MAXIMILIANVS D.G. ABBAS LAMBACENSIS S.C.M. CONS

D. FLVDI
ANATOMIA.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/anatomiaeamphith02flud

ANATOMIÆ AMPHITHEATRVM EFFIGIE TRIPLICI, MORE ET CONDITIONE VARIA, DESIGNATVM

Authore
Roberto Fludd. *alias de Fluctibus, Armigero & in Medicina D: Ox:*



Francofúrti Súmptibús Iohannis Theodori de Bry 1623.

HONORI, PIETATI, MEMORIÆ,

OPTIMI, INTEGERRIMI, DEQVE PVBLICO BONO LITTERARIO OPTIME MERITI VIRI, SVMMIQVE ARtificis noſtrorum temporum IOHANNIS THEODORI de Bry, ciuis Francofortenſis, qui die 8. Menſis Auguſti, Anni M. DC. XXIII. ad beatorum ſedes translatus eſt.

Æri ſuam ipſius effigiem incidenti

Corporis effigies ſculptores fingere multi *Iane refert Theodore tuam tamẽ iſta tabella*
Sat bene ſæpe ſolent; aſt animi nequeunt. *Arte tuâ, effigiem corporis atque animi*
Amicitiæ ergò poſuit I C. D.

VErſibus accuſent alij crudelia fata
Neſcia præclaris parcere fata viris,
Perq; leues Elegos deducant flebile carmen,
Orba parente ſuo tot monimenta gemant:
Lugebunt alij jacturam & publica damna
Ingenium flebunt artificemq; manum.
O Theodore tuam Socer exoptate Bryæe,
Quem triſtis rapuit morbus & atra dies.
Cauſa mihi lacrymas vicinior exprimit vdas
Et mea triſtitiæ pectora mole grauat,
Nam tua me pietas, amor, indulgentia, virtus,
Deſerit, & luctu proximiore premit.
Heu probitas! Heu priſca fides! Heu candida mentis
Fibra iacet nulla ſat lacrymanda die.
Vix ego, Sancte Senex, lectus tibi numine dextro
Sum Gener & nondum filia facta parens:
Occidis, & gratæ rumpis conſortia menſæ,
O Socer & plusquam mî venerande pater!
Sic olim pueros Solis vix lumen adeptos
Principio vitæ Mors inimica rapit.
Ergo cape has lacrymas, & teſtes ſortis acerbæ
Verſiculos, tremula lemmata poſita manu:
Atq; vale, & Chriſtus (nec erit mora longa) ſepulcro
Ereptum atherei collocet arce Poli.

Iohannes Ammonius Ambergenſis Socero meritiſſimo cum lacrymis poſuit.

SECTIONIS PRIMÆ PORTIO TERTIA

DE

ANATOMIA TRIPLICI

In partes tres diuisa.

Quarum
- Priori, Panis; Nutrimentum facile princeps; igni acie dissecatur; eius elementa, occultæque eorum proprietates discutiuntur.
- Duabus sequentibus Homo, Nutritu dignitate præcellentissimum, sectione Anatomiæ bifaria, videlicet vel
  - Vulgari seu visibili
  - Mystica seu inuisibili

} Diuiditur.

AVTHORE

ROBERTO FLVDD, ALIAS FLVCTIBVS,
armigero & in Medicina Doctore Oxonienſi.

FRANCOFVRTI,

Ex Typographia ERASMI KEMPFFERI.

Sumptibus IOAN. THEODOR. DE BRY.

Anno M. DC. XXIII.

PORTIONIS HVIVS TERTIÆ SVBIECTVM.

Portio hæc tertia in duo diuiditur Anatomiæ genera, quorum vnū versatur circa

- *Alimentum seu nutrimentum illud antiquissimum & æstimatione dignissimum, PANEM nimirum, cuius internum sectione ignea manifestatur, hoc est omnia elementa in eo occulte delitescentia reuelantur, ab inuicem segregantur, rectificatione purificantur, simul atque occultæ ipsorum virtutes & proprietates vigili artificis obseruatione deteguntur, ab effectu dignoscuntur, oculisque luculenter satis demonstrantur. Atque de hac pars eius prima.*
- *Alitum seu nutritum illud regni animalis facile princeps, HOMINEM nimirum. Atque hoc in duas subdiuiditur Anatomiæ species. Videlicet*
  - *Vulgarem, mediante qua, eius externum more vulgari dissecatur; partesque atque organa ab inuicem distinguuntur, earum qualibet per se describitur, & vsui à Natura ei destinato, recte applicatur. De qua pars huius secunda.*
  - *Mysticam, per quam tam eius externum quam internum, in portiones distincta, more mystico tractantur, & verborum acie æqualiter patefiunt, atque viuæ quasi sectione describuntur: Ac circa hanc speciem pars huius tertia versatur.*

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARS I.

De

EXACTA ALIMENTI PANIS
SEV TRITICI ANATOMIA.

Seu

CLAVIS PHILOSOPHICA MINOR, HOC EST, DEMONstratio ocularis, quamplurima Naturæ mysteria partim conclusionibus viuis & expertis, partimque speculationibus intellectus alis inniten-tibus aperiens atque reuelans.

In libros tres diuisa.



Iehoua cibauit eos adipe frumenti & de petra melle ſaturauit eos. Pſal. 147. 14.
Adipe tritici ſatiat te. Pſalm.

Panis Vulgaris.

Panis cor hominis confirmat & ſulſit. Pſalm. 103. 15.
Panis Dei beneficio depromitur de terra. Pſalm. 104.

Panis Cæleſtis.

Panis egreditur ex terra & quod ſub eo eſt vertitur in quendam velutiignem. Iohan. 28.
Panis cælorum ſatiauit eos. Pſalm. 105.
Dedit panem robuſtiſſimum, ſeu angelorum, hoc eſt frumentum de cælo ad comedendum. Pſalm. 78.
Non ſolo pane viuit homo ſed quolibet verbo proueniente ab ore Dei. Matth. 4.



VENE-

VENERANDO ATQVE REVERENDO VIRO, ET in accurata Naturæ mysteriorum inquisitione studiosissimo;

IOANNI THORNBVRGH, EPISCOPO WIGORNIENSI AMICO MEO SINGVLARI; IN EO IPSO QVI EST VERA MVNDI LVX, ET THESAVRORVM THESAVRVS,

SALVTEM:

VI internas rerum reuelationes aut abdyta Naturæ mysteria dedicarem, incertum vana me reddidit hominum vulgarium; in rebus grossis, corporalibus & solummodo externis versatorum; multitudo, ignara & profana me ancipitè effecit mortalium turba, cum inter hominum mille vix vnicus Naturæ nudæ cultor aut seipsum rite cognoscens sit inueniendus. Qui ergo circa res præ-ligiosas & intuitu externas minime versatur, hunc mundani in odio habent & derisione persequuntur vanâ, vtpotè quibus; in tenebris vagantibus, & circa corticem (vt dicunt) seu circumferentiam plane nubilosam assiduè peregrinantibus; ad centrum, fixissimum virtutis, luce diuina coruscantis, palatium; adytus; tanquam profanis negatur. Hunc (inquam;) quippe lucis atque charitatis filium, more contemptuoso respuunt. Ab huiusmodi ergo mundanorum farinâ declinat meâ Musa veritatis mercede onerata, hisce, experientiâ instructa, omnimodo aliena est facta. Porro etiam margaritas porcis aut panem filiorum hominum canibus minime esse præbendum sacrarum literarum admonitione docemur.

Ad quem igitur nauem hanc meam, diuitiis; chemiæ licet vulgaris; haud mediocribus onustam, atque turbida opinionum mundanarum maria iam nunc sulcantè melius, quam ad virum doctum, grauem atque in mysteriis Naturæ indagandis atque inquirendis studiosum, ac denique in abstrusa rerum centra acutissimo ingenij perspicillo introspicientem, dirigam? Lucis enim filij inter se exultant & lætantur; quoniam similia naturali quodam instinctu similibus gaudere atque delectari indicauit experientia.

Vestras ergo ad oras (vir Reuerende & plurimum ob doctrinam in re chemicâ profundam colende) tendunt vela meæ nauis plena: propitio amoris & beneuolentiæ afflatu ad vos cursum suum dirigit ipsa, ad firmas (inquam) & faustas inditij vestri oras appellere summâ ope nititur Historiæ huiusce meæ Cymba; idque sub securâ hâc fiduciâ, quia menti vestræ Trivnius effulserunt radij, cum vobis minime delitescant sapientum veterum Nihil, Aliquid, Omnia. *Chaos enim & Tenebras ingenue in scriptis tuis a-*

gnouistis: & lucem, cuiuslibet creaturæ vitam, ex ijs emergentem terso orationis filo prædicastis idque luculenter satis: solem terrestrem in tenebrarum centro, miro fulgore, regnantem verbis siquidem aureis explicastis. Quare dicant nobis per Deum immortalem fatui mundani, qui istiusmodi Naturæ mysteria (vtpote ijs penitus incognita) deridենt, quid est iniquius quam vt oderint quod ignorant? & iam si res mereatur odium, quid demum est futilius? quæve maior est deliratio ac vecordia quã eam damnare scientiam in quâ nihil prorsus olfecerint? qui scilicet nec Naturam benedictam, nec Naturæ maiestatem, nec eiusdem proprietatem occultasve ipsius in rebus mundanis siue elementis siue elementatis, operationes didicerint? Vtcunque tamen isti momi sine inuideâ referti, seu ignorantiâ turgentes crocitando & blaterando pergunt, fruetur nihilo minus virtus perpetuum illo veritatis trophæo quod in æternum fixit ipsa, syncerorumque sui cultorum & familiarium tempora gloriæ coronâ tandem aliquando adornabit.

Dignitatis vestræ obseruantissimus

ROB. FLVD.

PROOE-

PROOEMIVM.

TAM immensa erat Naturæ naturantis erga creaturas suas beneuolentia, vt earum quidem nullam suæ bonitatis scintilla aut portiuncula destitutam relinquere aut permittere voluerit; vtpote quæ præsentialiter,& consequenter essentialiter vbique adesse, omniaque creata tam simplicia quam composita inhabitare,iisque mediante spiritu suo (cuius est virtutem , & per consequens vitam cuilibet rei attribuere) immediate inesse solet, cum teste scriptura sacrosancta (a) *Deus per totum mundum adest, videlicet in inferno, in extremis maris, in nocte, in tenebris*, (b) *in cælis superne, & in terra inferne:* Nam si reuera rem perquiramus, ex totius veritatis fonte elicere atque explorare fas erit, naturam istam diuinam vniuersis mundi vestimentis, tam subtilibus quam grossis, fuisse à mundi primordio indutam: quorum omnium tenuius, & essentiæ suæ proximius erat lux, quam in cælo Empyreo seu angelico ipsam induisse dicitur; nam inquit Psalmista Regius (c) *Deus est amictus lumine sicut vestimento* & (d) alibi *Deus regnat indutus maiestate & celsitudine:* Vestimentum eius medium est corpus solare, quippe in quo, cælo æthereo seu stellari inhabitare traditur; vnde dixit Dauid (e) *In sole posuit Deus tabernaculũ suum.* Posthæc diuina & viuificãs hæc conditoris natura magis deorsum penetrans, densam nubem sibi fecit in cælo elementari tabernaculum, vnde scriptum reperimus (f) *quod Deus fecerit nubes vehiculum suum*; & alibi (g) *Densæ nubes sunt latibulum Dei, vt nos aspiciat, & ambulum cælorum obambulat.* Porro etiam ad machinæ totius centrum descendens lux hæc increata , seu spiritus sacrosanctus Iehouæ, (h) *ibi quidem vniuersum orbem implere* declaratur. Atque etiam alibi scriptum inuenimus, *quod aperietur Terra & pariet Saluatorem:* Ex quibus sat liquido constare videtur, quod Deus vbique mundi elementis simplicibus adsit, tam scilicet supernis in cælis superioribus quam infernis & sublunaribus. Restat iam vt diligenti intuitu, atque inquisitione syncera perquiramus, an hic spiritus sacrosanctus cuilibet creaturæ compositæ in hoc mundo præsens sit nec ne? Vt ergo cum regni animalis principe, homine nempe, inchoemus, de excelsa ipsius dignitate & encomiis, infinita æternis monumentis mandata inuenimus, inter quæ hæc expresse in sacris literis scripta reperiuntur (i) *Membra vestra sunt templum spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo.* Et alibi (k) *Dei pars est populus eius*, Et alibi (l) *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Hinc ergo est quod vt Terra, ita etiam & cælum, ad admirabilem hominis compositionem concurrat, eius enim cælum est homo internus seu spiritus, terra vero externus seu corpus; atque vt spiritus domini dicitur esse vbique in cælis & in terris macrocosmi; vtpote cuius sedes est cælum, & terra scabellum pedum ipsius, nam implet orbem terrarum vt testatur sapiens; ita etiam vbique adest in microcosmo, licet maxime sit in eius cælo conspicuus. Hinc ergo tam philosophiæ quam Theosophiæ peritiores, inquisitione & speculatione tam tædiosa hominis internum, eiusque actum centralem noctes atque dies haud inconsulte & inutiliter consumserunt, præeunte qua in hanc tandem positionem omnes vnanimi consensu inciderunt. Intensissimum hominis sapientis laborem fore & industriam dignissimam; *Noscere seipsum*; hoc est suum internum oculis sapientiæ seu intellectus inspicere, atque contueri sine qua quidem speculatione homo à bestia seu animali irrationali non multum discrepare obseruatur, vtpote admirabili cuius visionis virtute totus in altum sublimatur homo, & totis alis euolat ad Deum, hoc est ad intimum sui ipsius meditullium penetrat, vbi Deum intuetur, & in eo, & circa eum versatur: Hac inquam visione homo tam ad inferiora, quam ad superiora se dilatat, & ad cognoscendum atq; contemplandum Deum supra se, seipsum in se, Angelos iuxta se, & quicquid cæli ambitu continetur infra se mirabiliter illuminatur.

a *Psal.*139.7
b *Deut.*4.39.
c *Psal.*104.
d *Psal.*93.1.
e *Psal.*18.2.
f *Psal.*104.3
g *Iob.* 22.12.
h *Sap.*1.7
i 1. *Cor.*6.19.
k *Deut.*32
l 1. *Cor.*3.17.

At vero, vt ad regnum seu compositum vegetabile iam perueniamus, & de facile inter vegetabilia principe agamus: quod est triticum ex quo panis noster vulgaris componi so-

let, Panis inquam illud nutrimentorum humanorum antiquissimum, de quo immediate ab egressu Adami è Paradiso facta est mentio, In hoc ergo vegetabili spiritus ille, omnia viuificans, & orbem terrarum implens, affluenter abundat; Vnde fit, quod ad vitã humanam ita sit necessarium, vt nullum inueniatur in mundo alimentum corporale quod magis frequens sit inter homines, aut ad famem ipsorum propulsandam; paratius & vtilius quam est illud panis, ex grano tritici conflatum, cuius proculdubio facultas nutritiua ab ipso spiritus diuini actu immediate procedit; qui à sole, tabernaculo suo, de vitæ radiis exuberanter in compositionem hanc quotidie impluere & influere gestit; Nam omnis vitæ virtus & bonitas à Deo in creaturas immittitur, iuxta illud Psalmistæ regii. *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*: At vero nulla creaturis conceditur à creatore facultas optatior, aut perspicuior, quam est illa vitæ: & consequenter sequitur, quod actus, & per consequens essentia spiritus increati sit in nutrimento creaturæ, sine qua ad effectum suum bonum tendere minime est potens. Hinc ergo à Diuo Ioh. dictum est. *A verbo omnia facta sunt, & sine eo nihil est factum; in eo erat vita & illa vita est lux hominum*: quibus concludere videtur, quod vestigia essentialia verbi diuini sint in qualibet creatura, sed eminentius in homine in regno animali; ac tum postea in tritico in regno vegetabili: nam dona spiritus magis in vno loco eluceſcunt quam in alio; sed ad granum tritici paulo arctius me accingam, vt tum postea ad panis descriptionem & dignitatem propinquius accedam. Odo Abbas ille doctissimus *in harmonia sua de trinitate* narrat quod Triticum in multis sacrarum literarum locis pro secunda in trinitate persona analogice accipiatur, & primum locum hunc producit ex Propheta Ioel. *Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo*; super locum autem hunc sic allegorice agit. Spiritus implet torcularia vino, filius implet areas frumento, & pater implet torcularia oleo. Et quidem rem paulo accuratius perscrutando explorabimus, quod hæ tres creaturæ vegetabiles, non inepte in sua conditione tribus in sancta trinitate personis per metonymiam referri queant, si creata cum increatis comparare fas sit. Nam oleum refertur misericordiæ, vtpote quod dolores mitigare solet, Frumẽtum abundantia implet, & vinum reficere & recreare solet; Ad hunc etiam sensum quamplurima alia in sacris scriptis loca inueniemus; nam in Deut 18.12. *Oleum omne electum, & vinum & Triticum, tanquam primitias, offerent ad Dominum.* Et alibi: *Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti & olei & vini tui*; Deuter. 12.17. & 18.4. & 2. Chron. 18.5. Et alibi, *Dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum & oleum.* Deuter. 11. 14. Ex his ergo & multis aliis locis apparet, in quanto honore & excellentia triticum æstimatum esset inter Prophetas. Quod autem tritici balsamum internum pro maxima benedictionum terrestrium habeatur; testatur propheta regius in his verbis. *Iehoua eos ex adipe frumenti cibauit, & de petra mellis saturauit eos*; Et alibi dicit. *Adipe tritici satiat te*; Quo innuere videtur, quod in tritico insit maxima benedictio. Sic etiam in Leuit. legimus 23. 6. Sed de vlteriori huius grani dignitate & excellentia infra suo loco magis opulenter verba faciemus.

Quod autem ad panis dignitatem attinet; eius quidem mentione vndique implentur Biblia sacra, in quibus vt duæ panis recensentur species, ita quidem necesse est; vt panis internus & cælestis in externo & elementari non aliter inueniatur, quam homo internus in externo, vel anima in corpore: Externi autem beneficium per internum excitatur ad nutritionem & externum per internum nutriri solet, est enim cælum quod deficientes spiritus reficit & non terra. Vnde vbicunque de pane mentio facta est in sacris, ibi quidem internus panis per externum significatur, quod difficile est grosso vulgo intelligere, vtpote qui circa sensum externum præcipue versantur. Atque hinc est quod panis diuitiis & opulentiæ erat præferendus vt in Num. 15.19. habetur, vbi repetimus, *De diuitiis illius terræ participabis, sed de pane illius comedetis.* De virtute panis sic scribit Propheta. Psal. 103. 15. *Panis cor hominis confirmat & fulcit, vt vinum illud latificat*: Porro alibi legimus, *quod panis Dei beneficio depromitur de terra.* Psal. 104. Imo vero apud D. Matth. habemus, quanta diuinitate honorandum esset hoc alimentum, vbi legimus 26:26. *Panem benedixit & fregit deditque discipulis & ait, Accipite & comedite hoc est corpus meum.* Et in Luca 24.30. hoc inuenitur. *Et factum est dum accumberet cum iis, accepit panem & benedixit, & fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum & cognouerunt eum.* Ex quibus satis liquido declaratur, quanta sit inter panem seu creaturam hanc terrestrem

rèstrem & creatorem cœlestem relatio. Hinc ergo est quod Dauid rex Psalm 53. 5. narrare progreditur, *quam sit hominibus barbarum quamq; profanum, panem absque humillima gratiarum actione & ad Deum inuocatione comedere.* Porro etiam cum Deus impios & rebelles punire sibi proposuit; Panem ab iis in multis locis tollere minatus est. Vnde Psalm. 105. 16. *Panis scipionem fregit, & famem in terram duxit.* Infinita etiam alia de panis dignitate exempla ex sacro scripto proferre possumus, quibus luculentius declaremus, spiritum bonitatis ei copiose adesse & inesse ab origine, vtpote qui tanta virtute & bonitate à mundi primordio est præditus.

Hæc igitur est ratio, quod ad huius nobilissimæ creaturæ vegetabilis anatomiam auide me induxerit rerum occultarum cognoscendi cupido, vt interna & latentia eiusdem mysteria, pro chimiæ vulgaris possibilitate eliciam seu patefaciam, id quod in principe regni vegetabilis magis quam aut illo animalis homine nempe, aut mineralis auro scilicet tentare sum aggressus, quia internam hominis anatomiam via Alchimiæ vulgaris facere inutile & impossibile foret, quippe cuius natura est tam ignea & subtilis, vt partes in eo latentes & magis spirituales ignis vulgaris arte reuelare & sensibus subiicere aut difficillimum esset aut plane impossibile, vtpote cuius spiritus ignei tanta est subtilitas, vt ignis violentiam minus sustineat quam ille argenti viui, qui caloris violenti contactu in fumum cito euanescit; Nec certe in auri destructione (vt elementa eius interna speculari queam) operam & oleum meum perdere velim; nam licet dispositio mineralis de terra sapiat, vt illa animalis de igne, & per consequens partes eius ab inuicem diuisæ sub sensum reduci possint, & quod in hoc Sole terrestri spiritus disciplinæ sanctus posuerit tabernaculum suum, nõ aliter quam in sole cælesti, quatenus hic spiritus implet orbem terrarum, & iuxta illud Augustini, *quantum aliquid lucis in se habet, tantum sibi Dei vendicare videtur*; nihilominus quoniam iuxta sapientissimorum philosophorum sententiam, *facilius erit aurum construere quam illud destruere*, & consequenter elemẽta eiusdem ab inuicem segregare, vnus erit ex laboribus Herculeis; Ideo subiectum hoc intermedium, hoc est inter dispositionem mineralem & animalem consistentem, vtpote quæ de aqua maxime participat, ad opus hoc nostrum elegimus, quippe cuius species cum sit vegetabile, facillime ignis vulgaris vi destrui & corrumpi potest, elementaque eius interna ab inuicem distingui, sic enim occulta eius quodammodo manifestauimus, quoniam in vehiculo eius aqueo elementa melius apparent post eius corruptionem, quam aut in animali in vehiculo suo aereo, propter caliditatem suam intensam, & humiditatem nimis volatilem, aut in minerali propter extremam suam siccitatem à terrestri sua fixatione aut congelatione ortam.

Et quamuis de pane vulgari hoc in loco tractare videar, tamen me sub eius velo seu vmbra de pane mystico in regione seu subiecto sibi proprio abunde egisse, hoc est illum in typo panis communis luculenter satis demonstrasse vos ingenue cognoscatis velim: Nec quidem ob hoc me derideat Momus malenolentia & inuidia refertus, aut me friuola in lucem produxisse ideo proclamet ignarus, quia sensum huiusce historię interiorem aut minime intelligit: aut intelligere non vult, nec me temere accuset quispiam, quod parabolice seu analogice, hoc est sensu duplici hanc nostram panis anatomiam describamus, cum in huiusmodi sermonis filo sacras imitemur literas, quarum internum est spiritus, externum vero litera: spiritus mysterium rei explicat, & se habet vt anima ad corpus, litera historicum seu moralem rei sensum prima facie describit, & se habet vt corpus ad animam: Quod scripserunt Euangelistæ tam externum quam internum, illud totum erat verum, & vtile tam ad vitam animæ quam corporis instituendam, nam internum ad animæ vitam essentialiter conducebat, estq; mysterium diuinum quod diuinitus gubernat internum hominem, externum vero ad corporis institutionem tam physicam quam moralem spectat, corpusque ad animi dispositionem conformat, Tam ergo literarum sanctarum externum quam internum ad vitæ humanæ regimen infallibilia sunt, & perquam necessaria, nec est mendacium in iis. At vero earum internum non nisi paucis, externum vero omnibus fere patefactum est, hinc vt vulgo in parabolis loquerentur discipuli, *iubebat mundi Saluator vt aures haberent & non audirent, oculos & minime viderent.*

Quod autem ad hoc meum opusculum spectat, quamuis non æquum sit sat scio, parua cum magnis comparare, & colliculum tam humilem monti seu moli tam excelsæ quam est

sacrum

ſacrum ſcriptum æquiparare, tamen hoc auſus ſum dicere, quod tam eius internum quam externum à veritate minime diſtet; & ſi eius ſpiritus interior atque etiam facies externa lancibus Iuſtitiæ, hoc eſt trutinis æquitatis ponderentur, tum veritatem cum & vtilitatem in phyſices ſeu naturæ, atque etiam diſpoſitione Ethices, hoc eſt in ſymphoniaca diſpoſitionum humanarum ordinatione, haud exigua per viſiones externas exinde eſſe elicienda & reperienda, atque etiam per interna & abdita eius myſteria contemplationem ad diuinâ & ſupercœleſtia dirigente ſentietis; ſed horum myſteriorum actus in diuino verbo, mundi luce creaturarum omnium vita conſiſtit: Ab illo (inquam) lapide angulari, ſolo myſteriorum fonte, ſcaturire aſſolet miraculorum edendorum virtus, atque potentia: cui in ſacris ſcripturis, quia appropriatur panis (vnde dixit verbum: *Hoc eſt corpus meum*, Et alibi, *Non ſolo pane viuit homo, ſed quolibet verbo prodeunte ab ore Dei*) ideo dixerimus myſterium magnum eſſe in pane, ſeu potius per panem myſterium maximum videlicet verbum more hieroglyphico atteſtamur: Nec quidem ob hoc à quopiam me iuſte condemnari poſſe ſpero, cum in huiuſmodi meo conatu Saluatoris ſim imitator; ſub ſecura cuius alarum vmbra dum hæc ſcribam, vt à Viperinis maleuolorum linguis tutius euadam, me humiliter, centralibus cordis mei precibus præeuntibus, recondam: Præcipua denique quæ ad tractatum hunc mundo publicandum me induxit ratio eſt: quoniam in hoc comprehenduntur philoſophiæ meæ tam macro quam microcoſmicæ fundamenta veritatis fulchro ſtipata atque confirmata, quæ omnia meum in præcedentibus voluminibus promiſſum me cogit vrgetq; hoc in loco oculis & iudiciis veſtris offerre & in publicum edere, quo ſine vlteriori in philoſophia mea olim publicata hæſitatione aut dubitatione, labores & lucubrationes meæ vobis magis, grati atque certiore amplexu iam tandem accipiantur; vtpote qui demonſtrationibus infallibilibus & rationibus ab ipſius naturæ promptuario, ſeu ſacrario deriuatis, ſtatuminantur, Vale.

Libri Primi Contenta.

Quatuor præcipue in hoc libro primo tractantur: videlicet Tritici ſeu PANIS

- *Dignitas: De qua cap. 1. & 2. abunde.*
- *Elementa, in quibus duo reſpeximus, videlicet eorum:* — *Virtutes.* / *Vitia.* — *Et de his cap. 3.*
- *Proprietas vel*
  - *Naturalis, eaque vel*
    - *In motu conſiſtens: à quo*
      - *Vegetandi*
      - *Multiplicandi*

      — *Ratio: De qua cap. huius 2.*
    - *Ad medicinam vtilis: Et de hac cap. 5.*
  - *Myſtica: De qua cap. 6. 7. & 8.*
- *Diuiſio in* — *Terreſtrem.* / *Cæleſtem.* — *De qua denique cap. 7.*

LIBER

LIBER PRIMVS

De PANE ET TRITICO IN GENERE, SIMVL ATQVE DE ILLORVM EXCELLENTIA.

CAPVT I.

De tribus Naturæ regnis compositis, in quibus ipsa, tanquam regina sola & Imperatrix lucidissima, dominium habet.

QVEMADMODVM naturá vniuersalis, absoluta fabricæ mundanæ atque creaturarum eiusdem mater, in se & per se pura, simplex, transparens & inuisibilis esse à perioribus obseruatur, ita etiam ipsa, tria in infima hac mundi regione regna specialia atque notabilia, eaque ex simplicibus suis elementis composita, tam ad gubernandum, quàm ad incolendum sibi vendicat; in quibus, tanquam sub obscuritatis seu tenebrarum tegumentis, secreta sua ab indignorum oculis occultare atque abscondere gestit. Horum autem regnorum quodlibet, proprietate admirabili suæ Imperatricis aulam suam regalem in eorum centro seu meditullio tenentis; ab inuicem distinguitur; vtpote quæ ibi, iusta æqualitate, debitaque proportione, quodlibet eorum circumferentiæ membrum diuinitus regit, atque gubernat. Quemadmodum etiam vniuersalem hanc rerum gubernatricem, splendidum solis mundani palatium incolentem, (ac si per vastum mundi oceanum igneum & coruscantem eius direxisset currum) internum atque centrale eiusdem punctum possidentem, obseruamus, vt hac ratione motu suo diurno equos Phœbeos circa æqualitatis sphæram conducat, quo virtutem suam radiantem periferice tam deorsum ad imam vsque terram, quam sursum ad summum vsque cælum vndequaque emittat, atque ita res omnes tam superiores quam inferiores symmetria atque symphonia æquali adornet, & radiorum ipsius influentiis viuificet: Et sicut pari etiam respectu actiuum atque palpitans microcosmi tabernaculum, cor videlicet, ipsa hæc regina gubernat, spirituſq; vitales motu circulari, vbique, tanquam è centro virtuoso ad circumferentiam eiusdem, mediantibus vasis fluxibilibus, & canalibus arterialibus, liberaliter distribuit: Simili (inquam) ratione regina hæc potentissima, in centrali suo palatio, abstruso quidem more, imperans, horum trium regnorum suorum compositionem; radiorum suorum essentiam à quolibet ipsorum puncto medio ad subiecti margines seu periferiam eiaculando atque disseminando; quotidie nutrire atque augere sensim animaduertitur. Hæc ergo est virgo illa regalis, & Creatoris sempiterni ancilla; hic inuisibilis Zoroastri & Heraclitii ignis: essentiale hoc elementorum ligamentum, illaque veræ commixtionis virtus, quæ tam completam inter quatuor prædictorum regnorum in mundo sublunari inuentorum naturas dissonantes vnionem procreare solet: Hæc est illa creaturarum princeps, quæ cuilibet compositorum speciei characterem congruum, formamque decentem imprimere auet, qua quidem proprietate sua res vna ab alia differentia essentiali distinguitur. Imo vero hæc; inquam; est ea ipsa Imperatrix, quæ palatium suum in horum trium suorum regnorum meditullio posuit; in quibus triumphaliter regnat, sceptrúque tenet; In eorum verum vno maiestatem suam magis abundanter exprimere cernitur quam in alio, & tamen non est natura multiplex sed vnica sola, non indiuisibilis, & numero tantum simplex, generalis conditoris imaginem in gubernatione sua præ se ferens, in omnia nimirum & super omnia prædominans, vtpote quæ cum sit omnium rerum vita, dicitur, cum anima vniuersali esse in re qualibet, & consequenter in qualibet fabricæ microcosmicæ particula. Serio igitur cogitandum est, ipsam pro principali sua, in regno animali, mansione, fabricam humanam elegisse, quippe quæ est omnium creaturarum sensibilium excellentior: In imperio suo vegetabili Triticum, omnium vegetabilium dignissimum, pro suo tabernaculo ditissimo sibi vendicare videtur, vtpote in quo magis copiosè atque opipare curiam apertam tenere, donaque sua vegetabilia

bilia & multiplicatiua magis vbertim atque affluenter impartiti gaudet: In minorali vero eius natura, massa delectatur aurea, in qua eius gloria splendida, vtpote radiis igneis cotuscans, aperte mortalibus reuelatur. O quam eminens appareret artista ille super socios suos, qui actu Alchimiæ completo, igniſque cælestis virtute, partes palatii huius reginæ animalis tam spirituales quam corporales ab inuicem; iustis trutinis distinguere intelliget: nam exacta abditarum harum regionum reuelatione, & palatii occulti manifestatione, ad perfectam sui ipsius cognitionem, hominisq; interni visionem perueniet, summumq; in microcosmo cælo, hoc est arcanissimum hominis sacrarium, in infimo suo spiritu reconditum visitabit; in quo præsentia diuina radiis intellectualibus vndique stipata residentiam suam habet; cuius præsentia sacra non modo cæteris mundi creaturis præcellit homo, sed etiam in eas dominium habet sempiternum. Similiter quanta fælicitas, quantumque in fidelem illum operatorem infundetur gaudium, cui tam propitia erit fortuna, vt possit manu dextra atque experta nutricem illam inter vegetabilia almissimam bene detegere atque naturæ viam anathomizare; in cuius meditullio multiplicatiuæ huius reginæ dotes atque influentiæ, tanquam in suo templo vegetabili, tam copiose exuberant; nam hic ipse tanquam in Catoptro vniuersali, secreta naturæ mysteria speculabitur; Ac denique quantis diuitiis quaue fælicitate vera præditus erit ille, cuius fortunata nativitas, stellaque genialis clara, eum ad actus varios, effectusque ineffabiles elementorum eorum bene politorum atque illuminatorum; quæ sunt aurei illius castelli minoralis materialia, in quo regalis natura residentiam suam habet; reuelandos & detegendos dirigit atque conducit; nam huiusmodi eius arte seu scientia aurum illud fulgurans & spirituale, in tenebroso carcere ligatum atque captum redimere, & libertati suæ originali restituere habilis est, & diuinam naturæ; primæ & nobilissimæ creaturæ; gloriam detegere, vestesque eius obscuritatis exuere & deponere potens est, vt ita ipsum; elementariis suis amictibus ablatis; in simplici & nuda sua dispositione videre datum sit, quæ libenter cælesti aspectu, & iucundo intuitu, fidelem suum ministrum, militemque magnanimum, (qui tam fideliter eam è carcere suo tenebroso liberauit,) benevole respiciet. Et profecto tametsi me arte tam exquisita carentem fatear, aut saltem scientem me publice non confitear, videlicet quod occulta illa naturæ mysteria, aut ignis illius cælestis regimē intelligam; cuius ope glorioſi huiusmodi in natura effectus percipiuntur; & consequenter, denegatur mihi forsitan in viam tam arctam, ad visionem fælicitatis conducentem, ingressus; tametsi (inquam) acerba & seuera Promethei punitio terrorem cogitationibus meis forsan incusserit, & timidum me, & ad ignem hunc nobilissimum è cælis eripiendum minime audacem satis reddiderit, & fortasse ignorantia mea, aut meriti mei indignitas tantam à superis gratiam obtinere non patiatur, aut pietas aliqua aut desperatio, aut saltem Iouis iracundiæ formido me iubet & monet, ne violenter & vane illum à firmamento adamantino viribus abripere tentem, ne cum ambitioso & audaci Typhone, impulsu atque ictu fulminis in tenebrosæ terræ viscera immergar, & pro contumelia & rebellione hac mea, ignea cruciatus suspiria perpetuo euomam: (nam à scripturis sacris docemur, *non esse volentis nec currentis, sed Dei miserentis*) Quamuis (inquam) hæc mihi obstacula occurrere videantur, quibus aut non adest mihi tanta facultas, aut si adesset, eam palam mundo reuelare recusarem; tamen cum communi & spurio Alchimista, simia illa phantastica, & superfluo naturæ imitatore, hoc in loco aspirare mihi fas sit tam profunde in partes abditas, & in obscura ditissimi & incomparabilis istius vegetabilis compositione à vulgari oculo absconditas, me ipsum immergere & tam alte penetrare, quam scintilla illa supercælestis à creatore mihi infusa me via vulgari diriget; Nam viam mysticam si mihi nota esset, mundo propalare atque reuelare non licitum aut fas erat; sufficiet ergo vobis, quod ea quæ experientia mea propria & inquisitione in huius rei vegetabilis natura didici, apertis verbis vobis reuelare aggrediar; In quo quidem naturæ reuelandæ & vegetabilis istius anatomizandi conamine; agente, loco illius cælestis, terrestri vtimur, hoc est igne seu calore elementari, cuius acie partes istius compositi elementares ab inuicem diuidere tentaui: Et quamuis caloris illius ætherei & excelli proprietas, (ad cuius actus proportionem ignis istius inferioris aciē in hac nostra anatomia adaptauimus) sit res eas oēs subtilissare & spiritualissare, quas gelidum frigus brachiis suis inclementibus & glacialibus incorporauit & in labyrinthū tenebrosum ad formas lucidas & agentes incorporandas congregauit, nihilominus quoniam ignes huiusmodi inferiores seu agentia terrestria tam visibilia quam inuisibilia ab illo puro & essentiali lumine deriuantur; (nam sunt quasi proles seu infantes varii vnius patris secundum varietatem spiritus seu medii cui occulto modo insunt) rem esse conuenientem existimaui, vnum ex illis agentib. inferioribus ad hoc nostrum institutum eligere, mediante quo, gradibus naturæ in eo bene obseruatis, naturam Naturæ nudam licet non exacte, more Alchimiæ naturalis & supremæ, detegere, & spiritum huius vegetabilis excellentissimi internum videlicet tritici & panis; in quibus natura adeo abundat; in lucem proferre aggrediar. Quare hoc erit patiens seu anatomizationis nostræ huiusce subiectum, de cuius dignitate & internis mysteriis in hoc meo præsenti tractatu discurrere mihi proposui, quem ideo clauis philosophicæ minoris titulo insignire placuit, quoniam vt maior illa philosophiæ clauis exactam & infallibilem mundi ac elementorum creandi atque disponendi rationem explicat, simul atque (vt cum Salomonē loquar) rerum omnium mysteria tam occulta quam manifesta exprimere fertur, (vtpote cuius regimen virtute ipsius sapientiæ, ab ore altissimi egredientē, gubernatur, & per consequens fallere aut deficere nunquam potest,) est enim hoc mysterium omnium summum, à quo; vt testatur sapiens Sap. 7. vers. 17. *Data est cognitio certa constitutionis mundi, & virium elementorum, & principii finis, mediique temporum, & solstitiorum immutationum, & varietatum temporum seu tempestatum, & anni circuitus, & stellarum situum, & naturarum animantium, & animorum & irarum bestiarum, & ventorum seu spirituum virium,*

virium, & cogitationum hominum, & differentiarum plantarum, & facultatum radicum, etiam cognoscere quæcunq; sunt occulta & manifesta:) Sic etiam clauis hæc nostra minor, cuius subiectum non est ipsa sapientia, sed sapientiæ effectus, cum Deum non aliter à posteriore, hoc est per creaturas demonstrare, & in eis speculari admonemur; vtpote qui per opera sua mirabilia cognoscitur; quam à priori mouente sapientia, in prædicto mysterio omnium abditissimo: sufficiet ergo nobis in hoc nostro tractatu non nouum mundum conflare, omniaque noua efficere, hoc est à priori ad posteriora contendere (cum hoc sit clauis prædictæ maioris philosophicæ subiectum, de quo tantum cecinerunt illuminatissimi fratres Roseæ crucis, quorum cantilena à sapientibus non inconsulte est contemnenda & pro friuola habenda) sed viceuersa à posteriori ad priora progredi, hoc est non in construendo, sed in compositum destruendo, & in primaria atque simplicia sua elementa reducendo, quo simplices compositionis partes intueri, elementorum naturas, situs, & dispositiones pro alchimiæ spuriæ possibilitate animaduertere, compositi vegetandi atque viuificandi rationem colligere, spiritus limpidi atque lucis coruscantis vnionem atque ad vitam concentum speculari, corruptionis atque generationis intentiones tametsi de longe concipere, corporis tenebrositatis atque opacitatis rationem oculis apertis videre, & tandem complura alia in naturæ sacrario occultata elicere atque manifesta facere possimus; Hæc inquam est clauis quasi philosophiæ minor, quia tametsi elementa quinque, atque etiam ipsius chaos absurdum & tenebrosum huius artificio detrahatur, ita vt quodlibet ab inuicem distingui videatur, non tamen potest elementum purum in simplici sua natura, huius artis spuriæ industria demonstrari, nec natura in aurea & fulguranti sua puritate, prout reuera est, enucleari atque in lucem proferri, sed solummodo in inquinata sua natura ab inuicem segregari, quatenus quodlibet, licet adhuc impurum magis de hoc vel illo elemento participat; nam inuita arte chimiæ spuria, vtcunque per distillationes, cohobationes, digestiones, circulationes, putrefactiones, filtrationes, calcinationes, separationes aut coniunctiones, simul atque fixationes vel dissolutiones operatur, habebit tamen natura suas latebras labyrinthicas, in quibus Phæbeum suum vultum ab artifice sibi alieno recondat; non enim agnoscit ipsa, aut facie & vultu nudo atque detecto quempiam salutabit, præterquam ministrum suum proprium, in semita naturæ simplici ambulantem, in suis operibus simplicem, atque in operationis naturæ actu oculum suum semper fixum habentem, huiusmodi enim Alchimistæ vero aderit Natura propitia obscuritatis vestibus exutis, huic (inquam) aderit sapientia omnium creaturarum prima, eumque fausto & propitio omine salutabit, sed ad propositum transeamus.

Caput II.

De tritico seu pane, & de nomine tam apud Græcos quam Latinos ei appropriato. Eius etiam excellentia, eiusdemque ratio, similiter vegetandi modus atque multiplicandi formula in hoc capitulo luculenter explicantur.

Triticum igitur, excellentissimum illud reginæ naturæ templum atque habitaculum vegetabile, est subiectum in quod demonstrationis huius nostræ ocularis fundationem posuimus. Hoc apud Græcos πυρὸς dicitur, ab ignea (vt ego puto) eius dispositione, vtpote quod lucido & viuaci naturæ radio repletur: à Latinis vocatur triticum à triturando, vt nonnulli volunt, quippe quod conterendum & in puluerem vix palpabilem reducendum est, antequam in vsum proferri possit. In creatura hac vegetabili etiam gens rustica grossa eorum experientia differentiam haud exiguam inuenit, vtpote qui illam in acerem, furfures, farinam & similaginem diuidere solent, tametsi reuera, farina nihil sit aliud, quam ex furfure & semilagine compositio, prout semilago furfuris separatione apparere obseruatur. Hoc videtur esse solus granorum vegetabilium rex atque princeps, quoniam in eo natura alma; vniuersi mundi mater atque nutrix; præcipuam suam habet residentiam: Vnde non inepte à nonnullis (vt in præcedentibus dictum est) perfectissimum regni naturæ vegetabilis templum seu palatium dictitatur. Atque ob hanc rationem granum hoc virtute tam in multiplicatione quam nutritione infinita imbuitur, mediante qua magis fructiferum simulatque alimentosum esse obseruatur, quam aliquod aliud totius regni vegetabilis granum. Porro etiam tam prope in partibus suis essentialibus ad naturam hominis bene temperatam accedit, vt ipsum, ratione suæ in dispositione similitudinis, ad vitalem & naturalem hominis facultatem se ipsum conformare à medicis quidem doctis animaduertatur; quia partes seu membra hominis magis nutrit, quam aliud quodcunque vegetabile, cuius rei rationem satis efficacem vobis suo loco & tempore explicare haud desistam: At iam quanquam ignoranti res impossibilis videatur, certam vegetationis & multiplicationis in hac creatura benefica rationem dare, ei tamen speculatione vera erit facillimum hoc dubium enucleare, qui primum corpus istud bene anatomizare intelligit, & tum postea quatuor elementorum qualitates, simul atque cuiuslibet eorum ad alterum contiguitatem ingenue ponderat; sed præcipue qui balsamum illud naturæ pretiosum, à lucida solis cælestis essentia deriuatum, & in concauitatis meditullio abstruso more delitescens, recte contemplatur, mediante quo corpus hoc vegetabile viuit & multiplicatione abundat: Nam hoc est speculum illud Christallinum, spirituque quintæ essentiæ limpidus, in quo, naturæ lucidæ præsentia, non-

nunquàm visibiliter apparet, & effectu quodam externo se etiam oculo vulgari reuelare gestit: Si igitur in primo loco contemplatione philosophiæ intellectuali obseruauerimus, quomodo elementum terræ vinculo essentiali atque inseparabili cum illo aquæ concatenetur, & qua iterum via elementum aquæ illi aeris, & illud aereum igneo, ac tandem ignis elemento quinto seu quintæ essentiæ lucidæ adligetur, (quæ quidem quinta essentia de aurea solis dispositione participat; est enim quinta essentia scaturigo vitæ purissima, in qua lux & igneus æternæ sapientiæ radius, aut sacræ mundi cupidinis seipsum tanquam in castissimæ Psiches gremio balneare gaudet) tunc erit illa nobis res facillima (vti puto) cognoscere atque colligere, cur tritici spica directè & perpendiculariter è terra surgat, atque sublimetur, & quasi pini proceræ truncò in altum statuminaretur: nam putrefactione finita (sine qua testibus scripturis sacris nihil mortuum resurgere aut exaltari queat) illa sempiterna & nunquàm moriens quintæ essentiæ scintilla, immediate à cælesti sacerrimi Apollinis progenie (qui statuit tabernaculum suum in sole) deriuata, seipsam iam nunc per putrefactionem à quatuor elementorum vinculis, quibus in carcere suo opaco concluſa est, liberatam inueniens, fugam patriam suam ætheream versus, à qua primitus descendebat, suscipere tentat, atq; ita gradatim cristam vel caput suum supra terram tenebrosam vel ponderosam primum se exaltat: Deinde elementum ignis (quod admirabili inclinatione & inuiolabili nexu spiritui quintæ essentiæ connectitur) subtilibus fumis & exhalationibus sursum è terra post eam quintam essentiam exurgit, non aliter quam in Arithmetica videmus numerum 4. consequenter 5. sequi, & sic naturali quodam glutine adhæret elementum ignis illi ætheris, aut quia impatiens esset socium suum dulcem & formalem relinquere ac perdere, cuius præsentia elementum hoc cum tribus suis sociis inferioribus tanta pulchritudine ornaretur: aut in eo respectu quod res quælibet naturali instinctu ad libertatem suam natiuam aspirat, & in propriam mansionem seu patriam reuerti auet; pari scilicet ratione aer sub inuisibilis seu subtilis vaporis forma seu effigie consequitur, & immediate post ignem è terra ascendit, vtpote qui simili plane naturæ ligamento, elemento ignis vnitur, quo ignis quintæ essentiæ; Tandem elementum aquæ sua serie & ordine aeri succedit, vnde illud immediate post aerem ex terræ matrice sursum exilire animaduertitur, nam idem sibi vendicat combinationis priuilegium cum aere, quod aer habuit cum igne; Et quamuis in vltimo loco terra eadem ratione volatile & fugitiuũ aquæ elementum amplectatur, tamen ratione suæ ponderositatis, atque etiam propter eius in sphæra ei à creatione assignata quiescendi desiderium, sistit aquam in suo motu, eamque impedit, ne magis sursum vehatur; atque iterum aqua impedit aerem, cui naturali amicitia coniungitur, & iterum impeditus aer adest igni tanquam frænum, illumque coercet in suo motu, atque hic denique miserabiliter retinet radium solis inclusum, illumque prohibet, motuique suo ne magis sursum tendat omnimodo obstare videtur, vnde prouenit, quod iste radius cælestis in plantæ summitate seu cacumine fixe præter appetitum suum permanere cogatur, quæ planta per radices suas terræ tenebrosæ adligatur, ita vt scintilla hæc solaris iterum partim ab aere vndique obsidente, eamque gradibus inspissationis instar retis vndique inuoluente, partim que ab elementis cæteris, & præcipue à tetra incarceretur, & non aliter captiuetur quam fuit antea. Et tamen nihilominus peculiaris hæc ignis vitalis scintilla ita inclusa, non cessat omni momento magnetica quadam facultate sibi attrahere, & ab alto quasi in suum auxilium atque assistentiam aduocare scintillas formales, ignemque solarem sibi similem, ad dissipanda & violanda vincula illa nouiter nodata atque ligata: Nam aer semper radiis naturæ multiplicantibus impletur, qui inuisibiliter in fluctibus aereis huc atque illuc vagantur; atque hi parati sunt ad subsidium sociis suis captiuis adferendum, quemadmodum cohortes militum armatorum in prælio ab exercitus acie diuisas, paratas esse, omni occasione data, sociis suis in acie commorantibus auxilium, vbi exigit necessitas, præbere, videmus. Sed hisce lucis scintillis libertatem possidentibus, & in aereo oceano vndique vagantibus hoc idem accidit, quod famelicis atque audacibus muscis, quæ temeritatem periculo præferentes, tam profunde in limum illum mellis limosi seu Sirupi Sacharati se immergere atque præcipitare animaduertuntur, vt tandem visco illi lethali atque exitiali tam firmiter adhæreant, quod ad mansiones suas redire nequeant: hoc idem inquam lucidis hisce Phæbi infantibus seu libertinis cœlestibus accidit, qui inuisibiliter in aere vagantes, fratres suos incarceratos liberare aggrediuntur, & dolos seu proditiones materiales ignorantes, subito captiuantur, & grossorum elementorum retibus inhærent, atque ita libertate priuantur, & in diuersis carceribus aut corporibus opacis cum sociis suis, ante captiuatis, includuntur; Nonne etiam videmus quod aeris volatilia visibilia eodem plane modo viscosis aucupis astuti machinationibus prodantur atque decipiantur? Quid ergo potest esse dubii, quin ignes illi inuisibiles eodem plane modo mediantibus dolosis terræ machinis nonnunquam captiuentur atque incarcerentur? Hæc (inquam) sola est ratio, quod quælibet res per hanc solummodo scintillam inclusam in infinitum multiplicetur; Hic est modus, per quem quodlibet vegetabile, licet in se corruptibile, nihilominus per multiplicationem perpetuatur. Et siquidẽ non possum ego aliquod in toto vegetabili regno membrum magis exquisitum & in multiplicatione excellens producere, quam est granum hoc Tritici, nam vilissimus rusticorum, experientia doctus, nobis arguere potest, quod ex corpore vnius simplicis grani putrefacto, tres quandoque Tritici stipulæ cum completis suis spicis aut crinitis suis abundantiæ capitibus exurgant, & ad perfectionem & maturitatem perueniant; Cuius rei ratio, vt opinor, est humidi radicalis, & calidi innati copia, quam planta hæc possidet, cum sit semper radiorum vitalium, quos sol liberaliter ab aureo suo palatio in hæc inferiora eiaculatur, fidele atque auidum receptaculum. Sed ne vos hoc fictionem & ex propria mea imaginatione deriuatam existimetis, huius rei veritatem oculari quadam demonstratione in-

ferius

ferius indicare aggrediar. Ab huius ergo capituli effectu nobis obseruare fas erit, quod motus seu progressus in generatione aut resurrectione in planta omnimodo contrarietur illi extremæ priuationis seu destructionis; nam in priori elementa assurgunt in sua dignitate & ordine secundum naturæ dispositionem, quæ est huiusmodi, videlicet æther, ignis, aer, aqua ac tandem terra quæ est omnium basis & fundamentum. Sed in destructione res sese è regione habere animaduertuntur, nam in primis aqua ascendit, deinde aer, postea ignis; ac tandem æther, &c.

Caput III.

De tritici seu panis Elementis, & de manifestis eorum qualitatibus.

DE tritico igitur ille panis terrestris supremi gradus conflatur, quem Saluator noster Christus ratione nobilitatis & excellentiæ istius vegetabilis ad proprii sui corporis repræsentationem eligebat, quem panem alii reale Saluatoris nostri corpus consecratione præeunte fecerunt, alii pro signo quodam passionis eius memoriali, benedictione præeunte acceperunt, de quibus infra latius & magis luculenter verba faciemus, per totum enim huius capitis filum in naturalium tritici seu panis elementorum atque qualitatum eiusdem detectione atque reuelatione insistere in animum venit: Nam tametsi triticum non sit nisi vnicum in regno vegetabili simplex, ex membris nihilominus & partibus magis puris & homogeniis quam est suum totum componitur, quas nos elementa eius appellamus, quorum vnione seu cõiunctione (mediante quintæ essentiæ nodo seu vinculo) integrum tritici corpus seu granum in hanc suam speciem vegetabilem contrahitur, in qua, mediante corruptione multiplicatur. Experientia igitur alis infallibilib. nixa nos docuit, ꝙ aqua magis in huius vegetabilis massa abundet, quam aliquod aliud elementum, quod quidem vtpote superfluum & paucissimi nutrimenti peritissimorum medicorum consilio atque admonitione, ex Pane exhalandum & euaporandum est. Atque hac de causa Hippocrates integrum tractatum nobis de Panis præparatione atque assatione reliquit, Hinc igitur est, quod huiusmodi vegetabile, trituratione facta quo facilius in panem redigatur, calori artificiali exponatur, vt dicta humiditas superflua expiraretur atq; euaporaretur, quo substantia eius moderate siccaretur, nam à medicinæ peritissimis (qui vsuali obseruatione atque praxi instruuntur) concluditur quod huiusmodi humiditas superflua atque inutilis multorum in corpore humano morborum sit occasio, vtpote quæ humores spissos & viscosos generat, & per consequens origo cruditatum illarum phlegmaticarum, quæ sæpissime ventriculum affligunt & vapores flatulentos cum indigestione producunt, vnde fit, quod iste humor aut parum aut nihil nutriat. Porro etiam laterum & costarum dolores parit, facitque substantiam chili seu succi sui subito conuerti in putrefactionem; Atque hinc est, quod vermes diuersorum generum oriuntur. At vero agnoscunt vice versa medici atque fatentur, quod si bene pinsetur, mirifice alat, sanguinemque bonum generet, parum aut nihil ventositatis in ventriculo procreare cernitur, totamque reddit massam in dispositione sua magis stipticam. Hinc ergo apparet, quod elementum aquæ in hoc grano ita abundans, aut paruæ aut plane nullius sit vtilitatis, sed potius superflua atq; nutrimento magis noxia quam vtilis, vti antea est dictum. Et certe manifesta huius superfluitatis aqueæ in tritico seu pane ratio à perito medico abscondi non debet, quippe cui non est incognitum, quod calor efficax in huiusmodi grano vegetabili delitescens, & in summitatem eius plantæ cedrinæ aspirans, naturali quadam inclinatione humiditatem aqueam auide appetat, atque ob hanc causam aquam subtilem à terra mediante trunco seu stipulæ fistula, sibi omni momento ad reficiendum & madore aspergendum habitaculum suum calidum, non aliter fugit atque allicit, quam scintillæ cæleſtis caloris abditæ, quæ in media aeris regione sunt suspensæ, magnetica sua attractione lacus & flumina à partib. inferiorib. ad sphæram superiorem quam inhabitant, ad fulgurum coruscantium ignes mitigandos atque temperandos sursum attrahunt, vnde etiam apparet, quod triticum in manifesta sua qualitate sit humidum ratione humiditatis suæ, qua redundat copia, & calidum respectu exuberantiæ naturalis sui calidi, quæ essentialiter agit in eo. Et huic nostræ assertioni astipulari videntur herbalistæ, qui simplex hoc calidum & humidum æstimare videntur in gradu temperato.

Præter aqueum hoc elementum percipiemus quod subtilis & limpidus aer in hoc nostro subiecto delitescat, qui facultates multas abstrusas in se continet, quemadmodum loco suo inferius perspicue satis explicabimus.

Porro etiam fætidum ignis elementum (perfectum ad omnem corruptionem agens) ex eo elicitur, quod procul dubio est causa effectuum multorum præternaturalium in corpore humano, ita vt mediante eo multis infirmitatibus subiiciatur. Denique glorioſus & æthereus ille spiritus; per vniuersum radiis Phæbei luminis dispersus atque disseminatus, seipsum oculis prodit, relinquendo opacum suum carcerem, omni gratia, lumine, vita & solatio orbatum, cum sit amisso isto spiritu igneo tanquam terra vacua damnata, & caput illud mortuum chimicorum. Obseruabimus igitur, & debita inquisitione præeunte, inueniemus, quod hæc omnia elementa pani seu tritico insint, videlicet terra, quæ est separationis fæx vltima, deinde aqua quæ primum apparet, tum postea aer, qui secundam post aquam seriem sibi vendicat, hunc sequitur ignis, quem immediate succedit quinta essentia, seu quintum elementum à regione noctis in diei horizontem ascendẽs, à quo prius processit. Nec velim ego vt vos hoc in loco intelligatis me de simplicibus in natura elementis intellexisse, nam ita placuit maiestati augustissimæ & doctrina clarissimo Britanniæ Monarchæ mihi haud in-

iuſte obiicere, quod ſcilicet non ſit in rerum natura purum elementum, ſed vt ego ei reſpondi, ità & vos etiam ſcire velim, quod hæ compoſiti partes, ideo elementa nuncupentur, vtpote quæ magis participant de hoc vel illo elemento; agnoſcimus enim nihil abſolute puri nèc mundi in progreſſu naturæ eſſe inueniendum, nam elementum etiam apud nos ſimpliciſſimum, de aliena natura participare obſeruatur, quippe quę naturam pollutam & corruptam immediate poſt Adami lapſum induiſſe & à ſimplicitate ſua aberraſſe dicuntur: Et tamen ſapientes & in vera Alchimia verſati puri elementi ſacrarium pertingere haud dubitarunt.

Caput IV.

Quomodo panis elementa ad nutritionem humanam concurrant, & de peculiari cuiuslibet eorum officio atque functione.

Iam vero etiamſi res admodum difficilis demonſtratu ignoranti videri poſſit, quænam ſit illa in hoc vegetabili portio, quæ ſanguinem in animali procreat, mediante quo naturalis illius facultas recreatur & ſaturatur, & tum poſtea id in illo elementum dignoſcere, quod cor & ſpiritus vitales inprimis reſpicit, porro etiam quæ nam ſit illa vegetabilis ſubſtantia, quæ per vreteres, ſeu paruos vrinæ canales ſiue conductus in veſicam tranſit, denique vnde procedat id quod replet & nutrit veſiculam fellis, & tandem quænam ſit illa natura, quæ ſplenem & viſcera ſibi pro ſuo receptaculo vendicat; attamen qui anatomiæ huius noſtræ ordinem diligenter attenderit, ei quidem omnia hæc dubia perſpicua & manifeſta fient, quippe qui percipiet partem aeream illam eſſe quæ in ſanguinem virtute & natura iecoris ſanguificante conuertitur, quoniam ſanguis groſſus proxime accedit ad puram illam humiditatem ſpiritualem, quæ implet vaſa arterialia, quæ, quantum ad proprietatem ſuam, ita ſe habet ad ſanguinem iecoris, vt ſpiritus vini ad communem aquam vitæ; nam ſpiritus vitales in arteriis contenti ſe habent vt cremor ſeu puriſſima & ſubtiliſſima ſanguinis portio, quæ eſt nihil aliud præter tenuiſſimam aeris ſubſtantiam, cum ſubtili ætheris vel quintæ eſſentiæ natura; cuius beneficio viuimus; permixtã, quæ ſanguinis arterialis portio, partim per lucidos ſanguinis ſpiritus; ſed principaliter per aerem quolibet momento inſpiratione attractum conſeruatur, in illo inuiſibiles & cæleſtes vitæ ſpiritus delitescunt & occultantur, quos vt primum cor ſimul receperit per inſpirationem, illos firmiter retinet, eiecto per expirationem fuligino ſo & vaporoſo aere qui illos aduexerat, tanquam ad ſuum propoſitum inutili: Elementum ignis conſeruat & occupat veſiculam fellis, aquea vero humiditas à principalibus vaſis ſanguinis ad veſicam per canalem duplicem deſtillat: Terra craſſior recepta eſt à viſceribus vel inteſtinis, vtpote quæ nimis eſt ſpiſſa, quam vt per exiguas venas meſſeraicas tranſire poſſit, eſt enim harum venarum officium, vt chilum ad iecur traducant; at ſi forte ex tenuiori illius viſcoſitate pauxillum vna cum aquis craſſioribus intrat per anguſtos hos ramos, ſplen tenebroſus illico ad materiam illam limoſam ad ſe alliciendam præſto adeſt, qui illam in ſpongioſam ſuam ſubſtantiam auide ſugit: In hunc enim ſolum finem Natura hos internos tractus & conductus in homine & aliis animalibus ordinauit, vtpote ſine quibus terreſtris & fæculenta talis materia vniuerſam maſſam rubræ ſubſtantiæ, quæ præparata eſt pro nutrimento & conſeruatione partis carnalis contaminaret, polluret & inficeret; Propterea manifeſtum eſt, quod quando virtute fibrarum in ventriculo tranſuerſalium retentio facta eſt, vſque dum panis & cibus in perfectum chilum concoquatur, tum pulpa illa chiloſa conſiſtens ex elementis ſupra dictis, (nimirum terra viſcoſa, fluida & lubrica aqua, vehiculi loco omnibus reliquis inſeruiente, ſubtili aere, qui eſt tanquam ſal volatilis ſeu inuiſibilis Armoniacalis ſeu Nitralis humor, cuius craſſior & tenacior ſubſtantia miſſa eſt ad veſicam, poſtquam elementum aereum in ſanguinem redactum eſt, ac denique ſpirituali quinta eſſentia quæ ſe tenet intra aerem & ignem & ſeipſam miſcet cùm quolibet elemento, (vtpote quæ pro amicabili ſua natura eſt amica omnibus & nulli inimica.) Hæc pulpa ſeu ſubſtantia (inquam) chiloſa ita præparata, attracta eſt ad hepar in quo, tanquam in fornace, vnuſquiſque humor igne quaſi naturæ eſt examinatus & ab inuicem diuiſus, ac pro dignitate & qualitate ſua in competentia ſeu conuenientia vaſa, à Natura ad recipiendum illum ordinata, diſpoſitus & infuſus. Atque ita facillimum eſt diligenti anatomizanti diſcernere & percipere, diſpoſitionem officium & proprietatem vniuſcuiuſq; horum elementorum in tritico; ad corporis humani nutritionem & conſeruationem à Natura ordinatorum. Ex quo admonitos etiam velim ignorantes, vt obſeruẽt quomodo vera tranſmutatio mediante hac Alchimia naturali in microcoſmo facta ſit, videlicet vnius ſpeciei in aliam conuerſio hoc eſt vegetabilis in animalem, cùm quælibet eſſentialis & elementaris tritici pars ſit naturali quodam agente in partes vitales & naturales tam hominis quam etiam cuiuslibet alterius animalis transformata:

Caput

Caput V.

De miraculosis tritici in Medicina proprietatibus, & quomodo illud ad diuersa morborum genera curanda conducat.

Sicvt doctissimorum philosophorum consensu atque authoritate simul atque rationibus ibidem allegatis, superfluitatem aquarum in hoc vegetabili plurimis in corpore humano morbis & infirmitatibus originem præbuisse explicuimus, ita etiam in eo perfecta sanitatis humanæ inferendæ ratio est inuenienda: Ex antiquissimorum enim & scientissimorum medicorum monumentis colligere fas est, quanta excellentia & eminentia vegetabile hoc in morbis quibusdam, corpus humanum inuadentibus, seipsum habeat & gerat: Nam quid obsecro ad propulsandos morbos, & ad inimicis sanitatis resistendum, vitamque humanam reficiendam magis est efficax, quam eiusdem rei plenitudo, mediante qua illa præcipue conseruatur? Aut quid causæ est cur humores vitiosi tam irregulares & violenti sint in corpore humano, vt morbos producant, atque ita mortem præmaturam (nisi ei obuiam eatur) accelerent, præter vniuersalis vinculi seu nodi Naturæ defectum, præsentia & ope præternaturali cuius quatuor elementa in externa massa pacifice constringuntur? Nam quemadmodum equum in stabulo ferocem videmus; ruptis vinculis, non cessare recalcitrare & oppugnare reliquos, quousque ipse solus remaneat victor loci, sic etiam elementum peculiare sui fræni seu ligamenti (quod de natura quintæ essentiæ participat) defectum sentiens à gyro & carceribus suis exorbitat, ordinemque à natura ei destinatum relinquit, nec elementis, sibi in eadem compositione contrariis, violentiam inferre desistit, donec vniuersa palatii humani oeconomia destruatur, & vitæ spiritus in libertatem vindicetur. Atque hæc omnia à ligamenti huius cælestis & sympathetici defectu & inopia procedunt, vtpote cuius harmoniæ & concordiæ virtute forma essentifica per vniuersam corporis fabricam præseruari & in statu suo retineri debet. Melius ergo opus nescit humana industria seu scientia aggredi, quam ad recuperandum id, quo infirma & debilia ligamenta in hoc corpore possint resarciri & corroborari. Et profecto euidentissimum est ibi signum mortis, vbi vniuersalia naturæ ligamenta violata esse percipiuntur; Vbi vero aliqua in parte tantum hic quintæ essentiæ nodus laxatus est, significat mortificationem vel saltem deprauationem temporalem vitę illius ipsius partis: at si forte imbecillitas aut debilitas tantum vnam vel plures corporis portiones occupauerit in morbum vel infirmitatem eo periculosiorem excrescit malum, quo symphoniaca eorum vincula magis attenuata & violata sunt. Quo ita se habente, apparet, (vt opinor) euidentissime, quod per horum infirmorum & debilitatorum naturæ vinculorum nutritionem & recreationem à sibi simili, vigores corporis humani facile reparari atque restaurari possunt, modosi industria humana excellens hoc naturæ balsamum scienter comparari & præparari apte, vt conuenit bono philosopho & medico perito; queat. Et certe ipsa fateri cogor, me aliquando magna molestia, ob dolorem & debilitatem in exteriori manus meæ parte ortam, illoque ipso tempore cum essem circa hoc ipsum experimentum de quo nunc ago, fuisse affectum, vnde sumsi paululum ex crudo hoc tritici quintæ essentiæ balsamo, eoque inunxi gibbum vel dorsum manus meæ, & ex illa ipsa hora ex qua iam triennium elapsum est, vsque ad hoc præsens tempus nunquam sensi dolorem quo ante illud tempus affici solebar. Et tamen confiteor, (nec sine rubore) vel negligentia mea, vel occupationes aliæ in causa fuerunt, quod neque ante, neque ex illo tempore vnquam vllum aliud illius virtutis aut proprietatis examen vel periculum fecerim: vtpote qui ab expertis illis philosophis (qui circa secretas virtutes & naturam quinti huius elementi melius exercitati atque versati sunt) erudiri, & plene atque fideliter via exaltationis ad summum puritatis suæ effectum deduci exoptaui: Quid autem sit hoc quintæ essentiæ balsamum, mihi (volente Deo) exprimere & pluribus in secundo libro referre proposui, vbi demonstrabo, illud esse verum cæli stellati spiritum, lucidis radiis solaribus repletum. Antiqui & Moderni Medici, qui huius quintæ essentiæ extrahendæ modum ignorauerunt, eiusque pulchritudinis splendorem minime perceperunt, occultos & singulares nihilominus eius tam in debilitatarum & consumptarum naturarum præseruatione, quam in crudorum extinctione, resistentia contra venena, & curatione plurium humani corporis morborum affectus per experientiam & praxin perceperunt; Atque ad hoc propositum Almanzor profitetur, triticum bene coctum vel lacte elixatum melius nutrire & corroborare naturam humanam, atque hinc est quod illud in consumptionibus & Hecticis commendare videtur. Trallianus panem calidum vino immersum iis qui syncope seu examinationibus vel vertiginibus sunt oppressi conducere, publico scripto diuulgauit: Omnesque medicorum principes generaliter asserunt, illud bonum sanguinem procreare, sperma vel semen multiplicare & abundanter nutrire; Isaac affirmat illud mire confirmare & corroborare membra; Auicenna nos docet hoc granum continere in se curam morsus canis rabidi, vnde & hoc facit antidotum speciale contra venenum; cui adsentitur Dioscorides testans illud cum Ruta curare ictus serpentum; Et propterea etiam respectu facultatis suæ nutritiuæ Actuarius illud commendat ad compositionem cereuisiæ & longe illud præfert hordeo vel auenæ: Illud etiam curat Apostemata maturatione, aufert pustulas & tumores, interimit volantes serpigines & impetigines. Quasquidem facultates salubres recipit partim à parte sua aerea, sed spe-

cialiter ab ætherea sua dispositione, quæ arctissimo amicitiæ nexu copulata est vitæ omnium animalium, & propter hoc inimica est venenatis & infectis humoribus, qui pretiosa illa compositionis hominasiæ ligamenta antea allegata violare aut debilitare aggrediuntur. Sciendum enim est compositionis vniuscuiusque creaturæ ligamenta esse vniusmodi, & propterea simile nutritur suo simili, & similis suo simili gaudet & lætatur. Imo vero hoc balsamum extrahi potest à re qualibet cuiuscunque conditionis, quippe sine quo nihil ne momentum quidem temporis perdurare potest.

Caput VI.

De mystica tritici significatione in sacrosanctis literis.

ODo Abbas, sui seculi doctissimus, in harmonia sua sacrosanctæ Trinitati attributa, triticum præ reliquis omnibus vegetabilibus in sacris scripturis pro secunda Trinitatis persona multoties sumtum esse obseruauit; ad cuius rei confirmationem profert exemplum hoc ex Propheta Ioel. Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo; In quo singula membra attribuit singulis Trinitatis personis hoc modo: Spiritus implet torcularia vino, Filius implet areas frumento, & Pater implet torcularia oleo: Porro naturas horum trium apte personis Trinitatis applicatas esse deprehendemus respectu suarum proprietatum, velut oleum misericordiæ, mitigat enim dolores, triticum abundantia replet, vinum refocillat &c. Quocirca in hoc sensu inuenimus multos alios sacræ scripturæ locos in quibus iisdem plane verbis facta est de triplici hac harmonia, mentio, veluti *Omnem medullam olei & vini & frumenti, quicquid primitiarum offerunt domino, dedi tibi.* Deuter. 18. 12. Sic & alibi. *Non poteris comedere in oppidis tuis, decimam frumenti & vini & olei tui.* Deuter. 12. 17. & 18. 4. & 2. Chron. 8. 5. Similiter. *Dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum & vinum & oleum.* Deuter. 11. 14. Et plures alii huiusmodi loci deprompti sunt ex sacra scriptura, qui abunde arguunt, quo honore, quaque excellentia habitum sit triticum à prophetis sanctis. Præterea vtilitas huius simplicis, verbis expressis explicata est apud Propheram Dauid Psalm. 87. 16. & Psalm. 147. 24. Ita vt affluentia huius balsami seu quintæ tritici essentiæ videatur esse è numero summarum terrestrium benedictionum, quas homo in hoc mundo consequi potest; inquit enim ille, *Iehouacivauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos,* & in altero loco. *Adipe tritici satiat te &c.* Legimus etiam in Leuit. cap. 23. 6. *Cum ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum (primitias messis vestræ) ad sacerdotem, qui eleuabit fasciculum coram Domino, vt acceptibile sit pro vobis altero die Sabbathi, & sanctificabit illum.* Ex quo euidenter apparet, quam pretiosum fuerit triticum in oculis tam Dei quam hominum. Porro si legerimus quam serio & efficaciter Apostolus 2. Corinth. 15. nos doceat effectus resurrectionis nostræ per granum tritici, quod post eius corruptionem in terra, vitæ restituitur & multo glorioſius resurgit, audacter asserere possumus magnum esse internum mysterium, quod occultatur & delitescit in hoc nobilissimo grano: & eo attentius considerabimus magna atque stupenda secreta & allegoricas relationes, quas hoc vegetabile, sub vmbra panis ad personam Seruatoris nostri Iesu Christi habet, prout sacrum volumen late testatur, & nos quoque vlterius in capite seq. explicabimus.

Caput VII.

De duobus panis generibus, quorum alterum est terrestre & vulgare, alterum cæleste & immediate à Deo procedens; Et de admiranda virtute in pane corporali reperta, simul atque de naturali vinculo & iunctura quam habet cum illo spirituali.

ET quia propter rationes superius à nobis adductas nimirum abundantiam superfluitatis aqueæ illius substantiæ haud expedit hoc vegetabile granum in nutritionis vsum transferre absque artificiosa præparatione & necessaria correctione præeunte, requiri visum est, habito consilio & vsu atque experientia approbata, idque ab ipso rerum primordio, vt post triturationem in massam reduceretur, quam ipse Adam (ore summi Iehouæ instructus) appellari censuit לחם hoc est panis, vnde Gen. 3. בזעת אפיך תאכל לחם *In sudore vultus tui vesceris pane.* Hic vero recensere omnes operas in coctione & pinsatione illius inuentas, quarum facta est mentio apud doctissimos medicos Hippocratem scilicet & eius discipulos nimis foret tædiosum, & meo discursui nec vtile nec quadrans; quapropter id totum omittam, vt ad generalem panis diuisionem immediate progrediar, cuius toties in sacris fit mentio: in quibus inuenietis, quod sicut vniuersa mundi machina diuisa & distributa est in duas principales naturas, cælum nempe & terram,

ita et-

sta etiam panem in duplicem suam speciem spiritualem scilicet & terrestrem distinctum reperiemus. Panis terrestris productus fuit in prima creatione, & per multiplicationem in hoc vegetabili grano ad hunc vsque diem continuatus; ille vero cælestis à Deo procedit, in potestate cuius semper est de eo disponere prout sibi placet, vt in sequenti capite declarabimus: Et sane argumentis plurimis & manifestis apparet, Deum sui splendoris virtutem haud exiguam in huius panis inferioris Naturam infudisse; Vnde tanti æstimatur, & in tanto apud omnes orbis terrarum nationes pretio habetur, vt ipsum etiam aurum in tanto pretio ab homine non habeatur; nam licet in maiori quantitate & pondere quam aurum, gemmæ & lapides pretiosi vendatur, longe tamen iis & pretio & vtilitate præcellere obseruatur: primum quia animæ humanæ tabernaculum exuberanter nutrit atque reficit, cum auri & gemmarum pretiosarum officium solum sit illud exornare, atque splendidum extrinsecus reddere: tum etiam quia sui multiplicatiuum est in infinitum, quod aurum vel gemmæ præstare nequeunt, nisi sit aurum Dei & gemmæ mysticæ imagorum. Atque idcirco multo est pretiosius in oculis Dei & hominum, quam vel aurum vel pretiosissimi & rarissimi lapilli principum. Ob hanc igitur causam non dictum est Num. 15. 19. De diuitiis illius terræ participabis, sed *de pane illius terræ comedes*, arguens eo ipso panem esse summum bonum & pretium ad vitam & sustentationem hominis requisitum, Quod etiam Psalmista nobis manifestat Psalm. 103. 15. in his verbis, *Panis cor hominis confirmat & fulcit, vt vinum illud lætificat*. Præterea reperimus tam propinquam esse inter panem terrestrem seu materialem & spiritualem seu à cælo delapsum affinitatem, vt si recte & penitus panem hunc inferiorem introspiciamus, res siquidem fuerit non magnæ difficultatis imagines & vmbras mysteriorum in sublimiori illo contentorum speculari atque contemplari: Atque huius rei gratia in ipsa sacra scriptura obseruare possumus quam efficax instituta sit horum ad inuicem comparatio, ac si vnus cum altero secreta & essentiali quadam connexione fuisset coniunctus, vnde regius Psalmista, Psalm. 104. ingenue confitetur, quod *Panis Dei beneficio depromatur è terra*, Sic & in S. Matthæo inuenimus 26. 26 *Panem benedixit & fregit, deditque discipulis, & ait, accipite & comedite, hoc est corpus meum*: ex quo apparet quanta sit in pane hoc terrestri excellentia, cum Christus ipse suum corpus cum eo comparet, sermo profecto tantæ consequentiæ, vt ille vniuersum orbem Christianum circa hoc dubium efficaciter incenderit, videlicet, vtrum consecratus & sanctificatus panis sit reale corpus Christi nec ne? Sic etiam inuenimus in Luca 24. 30. *Et factum est, dum accumberet cum eis accepit panem, & benedixit & fregit, & porrigebat illis, & aperti sunt oculi eorum, & agnouerunt eum.*

Hoc miraculum Seruator noster Christus manifestauit in pane post suam resurrectionem, ex quo euidenter cognoscere nobis licet, admirandam esse correspondentiam inter terrestrem hanc creaturam & cælestem creatorem sitam. Legimus quoque quanta miracula circa hoc subiectum ediderit Christus in monte, *vbi septem panibus homines quatercmille saturauit, magna reliquiarum & fragmentorum copia residua manente*, Matth. 15. Et in alio loco, *quinque mille homines famelici & inedia confecti solis quinque panibus, omissis corbibus fragmentis residuo completis fuerunt sustentati*, Matth. 16. Porro nec mundus infitiari potest benedictiones quas Deus tritici grano impertit singulis annis; quod abunde suo tempore populis suppetit, vtpote illorum vitam & sustentationem per quam viuunt: Quam ob causam Rex Dauid *Psalm.* 53. 5. ostendit quam detestandum & barbarum sit vesci pane; absque humili nominis altissimi inuocatione, & debita gratiarum actione, pro tanta beneficentia, impium æstimans talem hominem, qui deuorat panem, gratia non præeunte: & à Pharisæis & Scribis pro vitio & transgressione habetur, panem illotis manibus comedere, tantam enim reuerentiam exhibuerunt principali huic nutrimento, *Matth.* 15. 2. Annon cum Iehoua improbos punitus est, illis panis inopiam minatur? *Panis stipionem fregit, & famem in terram duxit*, inquit Psalmista. 150. 16. Quot mandata & statuta diuinitus ordinata fuerunt populo Israelitico circa hoc nutrimenti genus, panes scilicet fermentatos & non fermentatos, iudicet & determinet ille, qui legerit Exodum & Leuiticum? nam in vno loco de illo dicitur. *Fermentatum ne comedatis illo die quo egressi estis ex Ægypto.* Exod. 13. 3. 7. His itaque perspicere possumus, quam pretiosus hic panis terrestris sit in oculis creatoris, & quam mystice voluntati eius secretæ connectatur: Nec negare possumus illum vitam, multiplicationem, & consequenter virtutem suam præseruatricem ex secretis ergasteriis & gazophilaciis ipsius Iehouæ ducere, quandoquidem ros & pluuiæ, quæ sunt veræ fertilitatis regii huius grani causæ, in manu Dei nostri Iehouæ constitutæ sunt; qui illas asseruat in secretis suis thesauris, tanquam in promptuario, ad eas terræ vel impertiendas, vel denegandas pro suo placito, nimirum vt tali retentione & denegatione triticum improbis in terra degentibus denegetur, illarum vero viceuersa emissione & in tempore opportuno effusione illud largitur Deus & abunde suppetit piis, & hominibus Deo placentibus, prout sacræ historiæ nos pluribus in locis edocent. Præterea non solum inuenimus oblationem tritici Deo gratam fuisse (vt supra innuimus) sed etiam & panem loco principalis oblationis ei consecratum esse legimus: sic enim ex Leuit. 23. 17. colligimus, *Panes duos esse Iehouæ offerendos*, Et Iob. 28. 5. Videtur asserere, *quod panis quidam egrediatur ex terra & quod sub ea est vertatur in quendam veluti ignem:* quid hic panis & terra à qua emergit, sibi velit in theologia mystica me longe profundioribus & doctioribus enucleandũ relinquo: Mihi quidem est facillimũ, maiotis adhuc importantiæ testimonia huius vegetabilis nobilissimi mysteria attestantia vobis proferre; tam ad eiusdem sanctitatẽ explicandam, quæ ex delicto & sacrilegio illo à Propheta Dauid in ablatione & esu panum consecratorum commissa verificatur, q̃ plura alia exẽpla altioris naturæ: sed verendũ mihi est, ne

vobis protractata hac mea mora displiceam, & patientia vestra solita abutar. Finem itaque huic tractatus mei parti seu libro primo cum succincta spiritualis & cælestis panis descriptione & dignitate imponam.

Caput VIII.

De pane cælesti seu spirituali cum infinitis eiusdem mysteriis & effectibus.

Sicvt terrestre frumentum apud nos esse recensetur, ita etiam datur cœleste, & consequenter sequitur, quod simili respectu panis terrestris relationem habeat ad illum cœlestem; Quid vero sit cœleste hoc frumentum, vel panis spiritualis, excellentissime nobis describit propheta Dauid. Psalm. 78. 24. *Mannam ad comedendum depluebat, & frumentum cælorum dabat illis, vt panem robustissimum comederet quisque*: Atque hoc idem à Moyse confirmatur in his verbis, Exod. 16. 5. 9. 14. *Mannapanis è cælo &c.* Quid fuerit hæc manna, vnde venerit, & quali discrepantia à tritico vel pane terrestri differat, idem summus Propheta sufficienter nos docet hisce plane verbis; *Afflixit te, & fecit vt esurires, sed cibauit te Manna, quod non cognoueras, nec cognouerunt maiores tui, vt notum faceret tibi non solo pane, sed omni eo quod prouenit ex ore Iehouæ viuere hominem.* Deuter. 8. 3. Iam vero constat, nihil procedere ex ore Iehouæ præter solum ipsius verbum, atque idcirco primo statim intuitu dignoscere possumus, quam excellens res sit cælestis hic panis, cum procedat ab ipso Dei spiritu, & sit tanquam ipsissimum eius verbum, quod nutrit & corporaliter & spiritualiter. Atque hinc est, quod sapiens dicit Sap. 16. 26. *Naturæ fructuum non alunt hominem, sed verbum Dei eos conseruat*; Ex quo euidenter apparet, hunc panem procedere ab ipso verbo Dei, quod etiam loco sequenti confirmatum est. Exod. 16. 5. 14. 16. 17. *Panis pluitur de cælo dictus Manna, Hic est panis ille quem dat vobis Iehoua ad comedendum. Hoc est verbum quod præcepit Iehoua, colligite ex eo.* Hic idem erat panis ille angelorum dulcis de quo Salomon Sapient. 16. 20. loquitur, inquiens. *Angelorum esca nutriuit populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*; Vnde apparet primum, cælestem hunc panem constitutum fuisse à Deo vt sit esca angelorum, & tum quoque quod fuerit nutrimentum admodum delicatum, & gustui atque palato gratissimum. Vt paucis absoluam, hic panis reconditus sub typo Mannæ cælitus missi, maius in se continet mysterium, (vt ego existimo) quam vt à maxima parte hominum verbis explanari possit, Et quamuis sponte confitear, me in cognitione tam ardui & mystici pabuli non complete adhuc profeciisse, attamen affirmare audeo, animi mei votum & desiderium esse vnicum, tantum de illo cognoscere, quantum qui vel plurimum; nam ad tam beatas contemplationes instigat & impellit me tam internus meus spiritus, quam acerrimus ille mentis stimulus homini à Deo & sua natura insitus, qui continuo eleuare seipsum molitur, ad summam contemplationem fœlicitatis & beatitudinis illius vbi vnitas commoratur: Mens mea me docuit, docet & docebit (Deo auspicante) viam ad beatitudinis palatium, ad creaturarum centrum, ad mundi lucem: Quid? nonne Sapientia Salomonis idem nos docet, nimirum *quod voluptati sit sapientiæ versari & habitare inter filios hominum*, Prouerb. 8. Nonne ex ipso lucido cælo super terram missa est illa, vt remaneret & cooperaretur cum homine in hunc scilicet finem, vt disceret & cognosceret quid acceptabile sit Deo? *Sapient.* 10. Et ob hanc causam Deus ipse dixit Iob. 38. 36. *Sapientiam quis posuit in renibus? aut quis dedit cordi intelligentiam?* Hinc igitur perspicue apparet, Deum superne sapientiam homini infudisse, & sapientiam esse lucidam emanationem immediate procedentem à Dei æterni Maiestate, *Sapient.* 8. Quocirca ne quis præsumptionis & ambitionis esse opinetur, conari quantum fieri potest, ad veram mysteriorum diuinorum cognitionem scandere, quandoquidem gratia diuina delibauimus ex lucidis æternæ sapientiæ fontibus, qui suo beneficio nos vsquead ipsissimum ipsius Iehouæ thronum deducunt & concomitantur, vt animo læto & alacri gloriam per spiritum contemplari & intueri possimus, sed quid dicam? Crassum & obscurum hoc corpus (cæca tenebrarum scaturigo) obuelat & cooperit ita captiuos nostros spiritus, vt difficulter discernere possimus ea quæ corporeis nostris oculis obiecta sunt, & multo minus res conclusas in cælo spirituali. An non idem sentire se testatus est expressis verbis sapiens quando Sapient. 9. 15. inquit. *Corpus infestum corruptioni aggraiat animam, & terrena habitatio deprimit mentem multis curis plenam? Et vix coniicimus ea quæ in terra sunt, & quæ ad manus sunt laborioſe inuenimus, quæ autem in cœlis sunt quis perueſtigabit? & consilium Dei quis nouit? nisi Deus dederit sapientiam, & miserit sanctum spiritum suum è locis altissimis, sic correctæ sunt eorum qui in terra versantur semitæ, & res quæ placent Deo homines edocti sunt.* Est ergo caro quæ spiritum ab altis rerum cœlestium contemplationibus abstrahit, & non voluntas Dei, qui sapientiam suam super nos ad conducendum & dirigendum nos ad se liberaliter implit: Sed vt ad nostrum subiectum, quod est spirituale manna seu panis cœlestis, redeamus, facillime colligendum est, quam sublime & mysticum illud nutrimentum sit, ex diuersis sacrorum bibliorum allegationibus. Et vt ab ipso seruatoris nostri sermone exordiar Ioh. 6. 32. *Non Moyses*, inquit ille, *dedit panem de cœlo verum, panis enim verus est qui de cælo descendit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum, Domine semper da nobis panem hunc, dixit autem Iesus, Ego sum panis vitæ, qui veniet ad me non*

esuriet

esuriet, & qui credit in me non sitiet in æternum; Ex quibus hic videmus, quod Iesus ipse, (qui est verbum, quod est ipse Deus) sit verum Manna vel verus panis, qui missus est de cælo, Nescio quid de pane illo miraculoso dicam, quem Angelus secunda visitatione Eliæ obtulit, de quo scriptum est 3. Reg. 19. 6. *Quod panis subcinericius & vas aquæ confortarint Eliam mediante quo cibo hoc est infortitudine cuius ambulauit quadraginta dies & noctes.* Illud pabulum omni dubio procul erat eiusdem naturæ cum manna illo cælesti, quo nutritus fuit Moyses tum cum quadraginta dies & totidem noctes commoraretur in monte Sinai: prout quoq; Seruator noster Christus tentatus à tentatore, visus est aliquo modo inferre hisce plane verbis, (qui ét eodem modo sustentatus fuit in deserto quadraginta dies & noctes) *Non solo pane viuit homo, sed omni verbo prodeunte ex ore Dei* Matt. 4. Hi ergo nutriti fuerunt spirituali & essentiali hoc pane, secundum illud quod scriptum est ab Ecclesiast. 15. 3. *Cibauit ipsum pane intelligentiæ, & bibendum præbuit ei vinum sapientiæ*; Annon Esdras quoque more miraculoso Nectareo hoc poculo sustentatus fuit per quadraginta dies & noctes, proferens integro illo spatio voces & præcepta sapientiæ? Esdr. 4. 14. 39. *Ecce calix plenus rei liquidæ sicut aqua, sed colore igneo, quo cor meum onerabatur intellectu, & in pectore meo intumescebat sapientia.* Ita etiam inueniemus Ezech. 3. illud ipsum pabulum nimirum Verbum Domini exhibitum fuisse Ezechieli, quamuis in alia forma, quo complebatur sapientia, & pronunciabat voluntatem domini, qui dixit ad eum. *Surge fili hominis, Comede de hoc quod inuenis, ede has literas, & abi & loquere ad domum Israel, tunc ego aperiebam os meum, & dabat mihi has literas comedendas, Et dicebat mihi, Fili hominis, fac vt edat venter tuus, & reple intestina tua hisce literis quas tibi do, tunc ego edebam illas, & erant in ore meo dulces velut mel*, Sanctus etiam Iohann. *in Apocalypsi*, de pabulo mentionem fecit simili quod fassus est dulce fuisse palato, intestinis vero amarum, quidnam ergo fuit pretiosum hoc pabulum? Annon illud verum Christi typum præ se ferebat; vel Christus illius? Nonne erat hoc spiritualis illa rupes, quæ sequebatur Israelitas in deserto, præsidio cuius pascebantur? Et annon Christus ipse erat spiritualis illa rupes? Audiamus in hanc rem Diui Pauli doctrinam 2. Corinth. 10. 1. *Fratres nolo ignoretis, quod omnes nostri patres fuerint sub nube, & omnes transierunt per mare, & omnes fuerint baptizati à Moyse in hac nube & in hoc mari, & omnes ederunt eundem spiritualem cibum, & omnes biberunt eundem spiritualem potum, bibebant enim ex petra illa spirituali quæ sequebatur eos, & petra erat Christus &c.* quapropter euidens est, quod Christus (qui fuit ante omne initium) esset spiritualis illa petra, & hæc petra esset spiritualis cibus & potus qui pascit & corpus & animam, quo tam internus quam externus homo regeneratur & in vitam reuocatur; Quid ergo? Annon hoc est cæleste & occultum illud Manna, quod dabitur ei qui vincit? *Iohan.* 2. 17. Hic scilicet, hic (inquam) idem panis absque omni dubio est fructus arboris illius vitæ in medio paradisi Dei consitæ, promissus illi qui victurus est, *Iohan.* 2. 7. qui affert secum album illum lapidem, in quo nouum nomen insculptum est, nemini notum, saluificans illum qui recipit id *Iohan.* 2. 17. Annon hoc idem Saluator noster agnoscit, quando dicit, *Ego sum verus panis vitæ, vera petra, & lapis angularis*, quem D. Paulus vocat *petram spiritualem, quæ pauit Israelitas* (vt modo dictum est.) Imo vero hæc est vnica illa petra, verus ille lapis excauatus, (inquam) è cælo delapsus quem Iacob cognouit esse portam cæli & domum Dei, *Genes.* 28. Cum itaque Christus sit perfecta sapientia in quo iuxta sapientem Sapien. 7. 22. *spiritus intellectus residet*, qui (inquam) est sanctus & vnigenitus, multiplex, subtilis, mobilis, clarus, incontaminatus, apertus, doli & damni expers, amans bonum, acutus, qui impediri nequit, faciens bonũ, amabilis, constans, fidus, absq; cura, habens omnẽ potestatem, circumspectus in omnib⁹ reb⁹, permeans omnes intellectuales, puros & subtiles spiritus, cũ omnibus rebus sit agilior, & ob hanc causam res oẽs ob puritatẽ suam penetret, (est enim illa verus spiritus potentiæ Dei, & vera influentia effluens à gloria omnipotentis, & idcirco à nulla re contaminari potest, vtpote quæ est splẽdor lucis æternæ, speculũ impollutum maiestatis diuinæ, & imago ipsius bonitatis, quæ cum vna sit, potest tamen efficere omnia, & perstans assidue in seipsa omnia tamen renouat, & habito discrimine ætatum, in omnes animas sanctas intrat, & illas Dei & propheratum amicas reddit; Hæc est (inquam) vera illa mundi gemma, petra spiritualis, verum manna cœlitus defluens, quod sustentat vniuersum mundum tam spiritualiter quam corporaliter, quod est vna cum Christo, Hæc est lux & vita hominum secundum illud *D. Iohannis cap.* 1. Et hæc denique est spiritus ille vniuersalis, qui dat esse continuum & essentiam terrestri tritico, sine quo nemo viuere potest, quandoquidem vita est virtus, omnis vero virtus procedit à spiritu Iehouæ, sic enim erudimur per psalmistam Dauid Psalm. 33. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu ab ore eius, omnis virtus eorum.* Neque vero deserit spiritus hic sanctus mundum, prout quidam profane comminiscuntur, qui relegant ipsum in cœlum mundi maioris, cum effectus mundi, rerum multiplicatio, & assidua creaturarum renouatio post corruptionem testari videatur, illum etiam nunc tam potentem esse in operatione sua quam fuit vnquam: Sed quid opus est verbis, cum ipse Salomon huius rei testis sit? inquiens, Sapient. 1. *Spiritus domini implet orbem terrarum*, Et viciſſim dictum est, *pleni sunt cœli & terra gloria Dei*, Et Esaias cap. 6. nos docet, *quod Deus impleat cœlum & terram*, sic etiam legimus in Ierem. cap. 23. *Quod cœlum sit sedes Dei; terra vero scabellum pedum ipsius*; quæ omnia nobis persuadent, Deum etiam nunc tam in omnibus esse quam super omnia, nimirum in te, in me, & in re quacunque, quocunque tempore & loco, tam in hoc instanti tempore, quam in principio, iuxta illud sapientis. *Deus est cuiuslibet rei centrum, cuius circumferentia est nullibi*, ac si diceret, Spiritus Dei vnicus est intra & extra omnia, & consequenter incõprehensibilis. Vnde liquet iuxta Salomonis dictum, & eadem illa sapientia vera voluptatem capit commorari inter homines tam hoc præsenti tempore, quã à mundi principio; potentia enim brachii diuini ne minimum quidem potest imminui; Nec enim credendum est Deum sapientiæ suæ radios etiam ab impiis deuiasse aut abstraxisse, cum illa & hos

etiam

etiam ad se allicere tentet, si forte ad eam quærendam serio induci possint: Inuenimus enim Prou. 1. 20. *Sapientiam vociferare & elata voce per compita clamare, vocare in excelsis locis, in turbâ hominum, in introitu portarum, & edentem verba sua in ciuitate dicendo; Quousque ô stulti amplexabimini stultitiam? quousque sanniones & scurræ delectabuntur scurrilitate sua? quousque fatui prudentiam odio habebunt? Recipite reprehensiones meas, Ecce aperiam vobis mentem meam & faciam vt verba mea intelligatis, vocabam enim, at vos tergiuersati estis, protendebam manus meas, at nullus ad animum ad reuocauit.* Vnde liquet, non Dei culpa fieri, quòd tanta potestas & familiaritas nobis cum ipso, & sacra sapientia ab ipso profluente non intercedit, sed infitis nostris tenebris id imputandum esse: non seueritas Iehouæ comis & mansueti illius omnis potentiæ spiritus; sed inuidiosa Diaboli peruersitas arcet & restringit nos à faciendis miraculis; & videndis miraculosis visionibus, quas patribus nostris Patriarchis scilicet & sanctis Prophetis videre contigit, secundum illud. Sap. 1. *Deus non fecit mortem, nec delectatur perditione hominum, creauit enim omnia vt essent, & vt generationes in mundo conseruarentur, & venenum destructionis in illis non est, & regnum inferni non est super terram; sed homo se ipsum it perditum per opera propriarum suarum manuum*, & vicissim Sap. 2. 23. *Deus creauit hominem incorruptibilem, & effornauit eum ad imaginem similitudinis suæ, at inuidia Diaboli intrauit mors in mundum &c.* Quid ergo dicemus de sapientia; nisi illam missam esse à Iehoua, vt obuiam iret technis & machinationibus Diaboli & mortis; instruendo hominem quæ recta sint coram Deo, & præseruando nos tanquam vera arbor vitæ, & panis spiritualis à stimulis famis & mortis tam spiritualis quam corporalis. Quocirca à Rege sapiente dicta est sapientia tenere prosperitatem & longæuitatem in dextra sua, & honorem atque diuitias in sinistra, quare anteponitur auro & lapidibus pretiosis: nam Iob. 28. negat *hominem nouisse sapientiæ pretium, Non dabitur aurum pro illa, nec ponderabitur argento pretium eius, non potest vllus æstimare eam auro, aut nitida gemma seu Adamanto*, & ob hoc Salomon beatissimum hominem esse iudicat, qui eam consequitur *Prou.* 3. Et ne quis nostræ ætatis blandiatur sibi ipsi, dicens, se habere sapientiam: hæc enim illorum imaginatio est duplicis ignorantiæ typus seu index, nam primo loco hi non sapientes nisi proprio suo iudicio, videntur, & tum postea omnimodo ignorant discrepantiam illam quæ est inter humanam sapientiam & diuinam, quam si nouissent, confiterentur ingenuè humanam sapientiam esse meram stultitiam, scientiamq; phantasticam, vanis hominum inuentionibus propagatam, cum è cõtrario diuina sapientia fuerit cum Deo ipso tunc cum adaptaret cælos, & firmaret altissimas nubes superius, cum stabiliret terram & fontes inferius, & tanquam inseruierit illi loco dexteræ adiutricis in compositione illa omnigena, quæ & continuo ludit coram Deo, vt inuenimus Prou. 8. 22. *Hæc sapientia ædificauit domum suam septem columnis affabre politis, ad quã inuitat omnes ad bibendum de vino suo, & edendum de cibo suo*, inquiens Prou. 9. 5. *Venite, refcimini cibo meo, & bibite de vino quod miscui.* Hæc est illa quæ dicit ad amicos suos Cant. 4. 17. *Ingredimini in hortum meum decerpite myrrham meam aromatibus meis, dabo vinum meum cum lacte: comedite amici, bibite, inebriamini dilecti*, Hæc est illa Sap. 5. 24. *quæ nunquam flaccescit aut marcescit, quæ facile percipitur aut inuenitur ab illis qui laudant eam, & cito inuenitur ab illis qui serio inuestigant illam, illa obuiam vt illis, qui expetunt illam, & se vltro offert illis qui desiderant illam, versatur circa illos qui exigunt illam, & seipsam manifestat illis in via regia, Hæc est vera illa sapientia quæ hominem docere potest omnia; Nam ipsa est cognitio certa &c. Sap.* 7. 17. Inquisitio præstat omnium rerum scientiam, monstrat cognitionem creationis mundi, & reuelat elementorum potestates, principium, finem, & medium temporum eorumque vicissitudines & mutationes partium annorum, anni cursum, & situationem stellarum, naturas rerum viuentium, & impetus bestiarum, potestates ventorum, & imaginationes hominum, diuersitates plantarum & virtutes radicum. Hæc denique omnes res tam abstrusas quam cognitas pandit: Quid ergo est humana sapientia respectu huius nisi mera fatuitas & spontanea ignorantia, quæ nil nisi imaginationes deluforias producit: O beatum ergo virum (liceat mihi repetere ipsissima sapientis verba *Prou.* 3.) & ter beatum qui possidet & recte gubernat hoc splendidum cæleste manna! quam bene hic recenseri potest inter electos Dei filios, qui exornatus est præsentia & virtute Christi! acquirit enim quicquid thesaurorum est sanitatis, opulentiæ & prosperitatis tam spiritualis quam corporalis, quorum supra facta est mentio; Neque vero dubito quin tales reperiantur in mundo, sacra enim scriptura nos docet, sapientiam maxime delectari inter filios hominum, quæ etiam omnibus hisce donis suis beat illos, qui forte se ad illam inclinant, illamque in honore & existimatione, & loco splendidissimæ reginæ habent, vt igitur hoc caput, simulatque hanc partem discursus mei concludam, dico hunc panem cœlestem, hoc manna cœleste, hanc spiritualem petram, hanc diuinam sapientiam, hoc omnia in omnibus vitæ hunc (inquam) Christum Iesum esse secundum illud panis genus, quod discrepat à communi pane, sicut discrepat cælum à terra, aut lumen à tenebris, quod est comes adeo excellens, vt quicunq; id adeptus fuerit, iure optimo dicere possit cum Philosopho *Omnia mea mecum porto*, vel cum Morieno pio illo eremita, *Qui omnia secum habet aliena ope haud indiget*, verum quia forte vobis videri possum peregrinus in ardua hac scientia, & longissime à realis diuinæ huiusce sapientia inuestigatione aberrare, fautorem nihilominus ad eius inuestigationem me commonstrabo, & hoc fælicitatis palatium versus peregrinantem me summa ope (Deo assistente & propitiante) dabo; Deniq; quantum ad internum secretum quod contemplatus sum cum hoc externo & terrestri pane, confirmat me constanter, quod sit talis quædam æterna & viuifica essentia inter homines, quæ est verus panis cœlestis, petra spiritualis, cœleste manna, & diuinissima sapientia, per quam vnaquæq; res magis vel minus participat de natura creatoris sui, at principaliter illius delectatio est conuersari cum homine præstantissima in compositione diuini creatoris imagine seu icone, vtpote cui proxime adest & ineft hæc ipsa sapientia, immediata Deitatis proles.

LIBER

LIBER SECVNDVS

MYSTERIA TRITICI ET PANIS CONTINENS.



CAPVT

CAPVT I.

Prima Authoris intentio concordat cum labore Archei, qui est chymicus Naturæ operator; secundum vero eius agens est illi Naturæ contrarium. Denique quatuor naturæ regimina bona fide hic describuntur.

EGo in hac mea inuentione actum Naturæ vigilanter & paulo accuratius animaduertendo & vigilando (vtpote quæ à suarum fornacium abstrusarum, seu concauitatum matris terræ centro, sæpe vapores emittit feruidos; haud dissimiles igni illi, quem sophisticus Alchimista balneum Mariæ vocat, at subtilis & verus, ad illudendum ignorantem, Fimum equinum, calorem ventris equi vel fimi nuncupat, (nam huiusmodi actionis genere Natura subigere & putrefacere solet grana terræ mandata:) illud (inquam) ipsum anni tempus, quo peritus paterfamilias almam naturam tali igne operari sentiens, sua tritici grana in matricem terræ recondere solet, quo melius putrefieri, vt per putrifactionem maiori cum gloria & multiplicatione reparilulare possit; illud ipsum (dico) tempus, simile fornacis genus, & æqualem ignis gradum, ad hæc quatuor in grano tritici elementorum vincula; quibus hæc vegetabilis forma sustentabatur, per corruptionem infringenda elegi, vt hac via eam omni sua forma exuerem, hoc enim modo totum eius corpus in viscosam substantiam est reductum, quod quidem euidens erat elementorum in libertatem suam vindicatorum indicium; sic quoque percepi, granum forte proiectum, & veteri fimeto superficialiter insertum, cæpisse post tempus à natura constitutum, leue aliquod resurrectionis suæ signum ex centro suo putrefacto protrudere. Porro sicut intentio Anatomistæ non est componere & coagmentare rursus corpus per incisione ignea destruxit, (neque etiam id efficere posset etiamsi vellet cum Deus non sit) sic & in hoc meo opere, transgrediar necesse est canonem præceptoris nostri Aristotelis, cum in isto opere vnius corruptio alterius generatio non sit; nam experimentum hoc externa priuatione concludo; vtpote qui cum corpus in sua principia dissolutum habeo, hic quidem opus meum finio neque vlterius ad generationem procedo. Itaque hoc præparatum meum granum tali modo dispositum habui, vt pro anni vicissitudinibus & Naturæ consuetudine, ligamenta ipsius, corpus scilicet in putredinem redigendo resoluerem; & postea sicut Archeum centralem Naturæ laboratorem & opificem per quatuor principales & distinctos ignis gradus operari animaduertimus, nimirum igne hyemali seu brumali quo putrefacit, deinde vernali quo crescit, & viridem suum surculum seu stipulam emittit, tum postea æstiuali feruore quo crista seu galea aurei plane coloris ornatur, atque hoc modo ad maturitatem accelerat, ac denique mutat hunc ignem in autumnalem operationem, qua maturitatis scopus; ad quem per integrum annum Natura collimat; exactissime contingitur: sic & ego in hac mea anatomizatione me ad quatuor actionum genera restringo, licet non eodem modo ac methodo qua Archeus operatur; habemus enim nobis (vt dixi) diuersos fines propositos, ac proinde etiam vt in ordine & ratione variemus necesse est, cum ille verus sit Naturæ operator, ego non nisi simia seu eiusdem in aliquibus imitator, ille creaturam ad putrefactionem compellens, vt eandem postmodum abunde in suo genere renouet, ego per corruptionem illam retroagens, ab essentia sua specifica quam antea habuit, quo ad suorum principiorum, elementorum scilicet, & primæ suæ materiæ naturam & esse reuertatur, à quibus ab initio deriuata est; at vero sensim & placide post putrefactionem operatur natura, ne elementa in tenera plantarum ætate erumpant, & compositionis ligamenta deserant; Eadem ratione videmus regimen & gubernationem mitiorem in puerili ætate requirendam, quam in adulta, eo quod mollioris constitutionis est ætas illa & ad impressionem quamlibet recipiendam aptior. At ego è regione maiori cum nisu & violentia hic operor, propterea quod volatilia illa & agilia elementa à lenta & fixa massa separare in animo erat, idque immediate post putrefactionem factam, quo speciem facilius corrumpam. Quocirca sicut Natura præeunte corruptione seu putrefactione ad producendam generationem secundam placide operatur, sic ego è contrario compositionem ad extremæ speciei destructionis apicem ignis violentia & acerbitate deducere labore.



CAPVT II.

Subterrestre Authoris agens: conueniens comparatio apparitionum huius primæ suæ visionis cum illis creationis vniuersalis, Euidens demonstratio, omnia esse aquam: Ratio cur materia mundi sit crassior in vno loco quam in alio; Descriptio primæ suæ visionis cum relatione inter illam & effectus creationis mundi maioris.

EODEM plane subterrestri agente, illi æstatis torridæ consimili, licet dispositionis grossioris & vilioris; propria creaturæ huius specificæ elementa seperaui, putrefactione scilicet ad imitationem Naturæ præeunte, vt hac ratione partes compositi integrales melius ab inuicem separarentur, Et sicut in diuino & summo Philosopho Her. Trismegisto legimus ab initio, in illo nempe ipso momento quo Deus seipsum reuelauit, ex tenebris subito omnia emersisse, & Hylam fuisse turbatam, & illico certam quandam obscuram & terribilem vmbram delapsam deorsum, obliqua reuolutione in naturam humidam migrasse, agitatã & concitatam prius ineffabili specie seu forma magni fumi, seu densæ nebulæ; pari etiam modo, mediante huius subterranei mei agentis acie, ignis (inquam) vulgaris violentia, tenebrosa & obscura huius grani massa deformis, putrefactione artificiosa præeunte & vapore mediante se manifestauit & sensibus nostris exhibuit: Nam vaporis spiritualis apparitio est modus in generatione & corruptione intercedens, sicut in creatione inter nihil & aliquid humida natura interueniebat. Atque ex hoc D. Petrus videtur concludere affirmans, 2. Pet. 3. quod *cœlum & terra cum omnibus in ijs comprehensis ex aquis & per aquas sint, virtute verbi Dei*; infertque ex eodem, aquam esse tam tenuem & subtilem spiritum, quam illud humidum densum ex quibus tum cæli tum etiam terra sint primordialiter procreata. At acutissimus Hermes, cuius supra mentionem fecimus, expresse hæc scribit; *Quod est inferius, est sicut illud quod est superius, & viceuersa*: Ac si innuere voluisset, id quod est crassum est vnum idemque cum eo quod est subtile, & viceuersa, quod est subtile, est nihil aliud quã illud quod est crassum; quod profecto si probe & accurate examinauerimus, inueniemus, terram in aquam, & aquam vi caloris in aerem attenuatione reduci; & illo ipso actu aerem in ignem trãsmutari, quæ omnia subtiliatione fiunt, Indeque infallibiliter concludere & arguere possumus, Terram esse crassam aquam, & aquam crassum aerem, viciſſimque Aerem nihil esse aliud, quam densum & crassum ignem. Huius igitur rei veritate oculari experientia vice versa declaratur, quod ignis condensando fiat aer, & aer eadem opera fiat aqua, & tandem aqua inspissetur & coaguletur in terram. Quod cum itaq; humano sensui sit manifestum, perspicuum etiam erit, omnia nil nisi vnum esse, eo quod omnia composita sunt ex quatuor elementis, quæ reipsa nil aliud sunt quam illud ipsum vnum, *quod* D. Petrus inquit *esse aquam*: & Moyses *spiritum Domini* non super cælo & terra, sed *super aquis vectũ fuisse* asserit, cuius separatione & in partes distinctione cæli cum terra postea creati sunt. Concludimus ergo substantiam cælorum extremorum esse nihil aliud, quam subtilissimam exhalationem consistentem ex tenuissima aqua, mediorum vero esse exhalationem compositionis intermediæ, qui est vapor tenuis, videlicet aqua mediocris substantiæ. Infimum autem cælum est tanquam vapor quidam crassus, qui quo altius vergit, eo tenuior apparet, & substantia fæculenta totius huius massæ aqueæ est terra. Vnde obseruare nobis licet, quod omnia quæ vniuersa huius mundi compages complectitur, nil sint nisi aqua crassa

vel ſubtilis, & quod omnis aqua nil ſit aliud niſi ſpiritus denſus ſeu tenuis, & idcirco omnes res reſpectu ſuę materiæ nil ſunt niſi vnum, nimirum aqua, quæ fuit ſola illa ſubſtantia & vnica in creatione, in qua vnicus ille Elohim, ſolus ille Deus ſuper aquis vectus ad mundi omniumque rerum in eo comprehenſarum perfectionem operabatur. Porro ne quis hic cauilletur & obiiciat: Quæ ergo eſt ratio inſpiſſationis & ſubtiliationis per tot gradus in toto aquæ elemento, vt ſcilicet in diuerſos cælos, ſphæras & elementa diuidatur & ſeparetur? Reſpondeo, quod ſicut ex glacie, niuibus, ſimilibuſque hyemis effectis colligimus, frigus potiſſimum eſſe in ſubſtantiarum diuerſarum diſcordantium adſtrictione & condenſatione mutua agens, ita è contrario calor deprehenditur eſſe gelidarum frigoris actionum oppugnator, vtpote mediante quo illæ debilitantur, colliquantur & tandem prorſus in naturam liquidam aquæ diffluentis diſſoluuntur. Hinc igitur fit, quod vbi frigus (quod tenebroſi Chaos origo, & propterea inimicum & contrarium calori qui eſt lucis & Demogorgonis proles) dominium ſibi vendicat, ibi in generali aquæ maſſa regnat craſſities & ſpiſſitudo: Vbi vero calor, auguſtiſſimus vniuerſalis Imperatoris lucis ſcilicet officiarius, præſens & potens eſt, ibi viceuerſa effectus frigori oppoſitus producitur, vbi ſcilicet ſimul concurrunt, & æquali dominio imperant, ibi etiam adeſt æqualitatis ſphæra, vel orbis ſeu circulus animæ mundi de quo Platonici tam perplexo & intricato modo tractauerunt, mediante quo (vt in Phyſica Macrocoſmi noſtri hiſtoria innuimus) ſplendidiſſimus mundi maioris Sol mouetur, vel in quo (vt in illa microcoſmi noſtri explicauimus) cor illud in microcoſmo viuificans viget & ſaltat. Quapropter manifeſte ſapienti apparet, quod vbi lux maxime abundat & dominatur, ibi ſpiritus aqueus maxime ſubtilis & tenuis virtute operatiua calidi, ab actu & motione radiorum lucidorum procedentis & emicantis, reddatur: Nam ſuccedens calor ſua præſentia frigus ſibi aduerſarium ita propulſat & propellit, vt illi materiam, tempus & locum, ad naturales condenſationis effectus in actum deducendos, deneget. E contrario vbi lux, & per conſequens, calor eſt debilis, ibi neceſſario contrarium eius fortius redditur; Et licet caloris & frigoris gradus in hoc ſemidiametro, cuius menſura à lucida mundi circumferentia ad tenebroſum vſq; centrum ſumitur, numero ſint infiniti, attamen nos ab aliis philoſophis hac in re minime diſſentientes, illos in ſex ſolum naturas euidenter ab inuicem differentes diſtinximus, quæ inſtar ſcalæ Iacobi, à centro mundi maioris ad eius vſque circumferentiam, ſurſum tendunt. Atque graduum ſeu interſtitiorum huius ſcalæ aſcendentium ordo eſt huiuſmodi; Terra, Aqua, Aer, Ignis, Æther, & ſpiritus Empyreus. Porro etiam proxime ſupra hunc ſummum gradum ſextum ſeptimus ſeu ſummus eminet, vbi generale omnis requiei Saboth reſidet, vtpote in quo præſentia Dei eſt permanens. Ex quibus colligere fas eſt, quod quo longius ab hoc lucis fonte recedimus, eo craſſior & denſior ſit ſubſtantia aquæ: nam ſicut lux, miniſtrante ſuo calore, à cælo ſummo ſeu aquarum circumferentia deorſum centrum verſus penetrando per ſubtiliationem & purificationem operatur. Sic etiam tenebræ, inſtrumentali ſuo frigore, ratione contraria hoc eſt per oppoſitionem à ſuo centro ſurſum tendentes, tanquam ad obuiam eundum & excipiendum actiones deſcendentium lucis nuntiorum nititur, & naturali ſua inclinatione tentat. Hæc eſt ratio comparationis à me tam in microcoſmica quam macrocoſmica mea hiſtoria inſtitutæ, videlicet caloris & motionis formalis in regione lucida & materiæ tenebroſæ, ad duas figuras pyramidales æqualium dimenſionum, quarum conus materialis aſcendens, contingit baſin pyramidis formalis quæ ſupra eſt; Et è contrario conus formalis pyramidis deſcendit deorſum, & centrum in pyramidis materialis baſi vſque pertingit, quæ eſt in terra, de qua inferius latius diſcurrere mihi quidem propoſui. Figuram & ſitum autem dictarum pyramidum hoc in loco, quo intentio hæc noſtra liquidius vobis explicetur, expoſuimus.



Poſtquam igitur ſtrenuus ignis vel caloris mei terreni actus ſecreta quadam reuerberatione tenebroſam vegetabilem maſſam ita præparatam penetraſſet, & quod in hac abiecta putrefacta & fere deformi ſubſtantia per agilitatem ſuam inſignem primæ & præſtantiſſimæ illius lucis ex tenebroſa Hyla exilientis virtutem imitatus eſſet: nebulam vel nubem denſam ex putrida maſſa decem fere cubitorum altitudinis, protinus ſublimauit, ingenti illi fumo ſeu vmbræ terrimæ haud diſſimilem quæ in vniuerſali omnium rerum ex nihilo, creatione (cuius meminerunt Moyſes & Hermes in locis ſupra citatis:) In qua quidem huius artificii actione, obliquas in aſcenſu eius faciebat motiones, & reuolutiones factas conſiderare dignum erat: videlicet qua ratione ignis iſtius terreſtris contactu conturbata eſſet maſſa: eodem plane modo ſcriptũ eſt aqueam abyſſum in prima generatione ſeu creatione ob lucidam colluſtrantis illius ignis præſentiam, qui viuit in omnem æternitatem, conturbatam & territam fuiſſe, *Pſalm.* 77.17. Et idem propheta recitat, Pſalm. 18. 12. *nubes & aquas obſcuras refugiſſe à ſplendore præſentiæ eius:* Sic etiam & nubes hæc à tenebroſa & putrefacta ſua abyſſo à viſu & contactu lucis ſeu ignis huius inferioris exiluit, & in altum euolauit, & iterum deorſum tendit, ſeque ad ſuperiorem vaſis ſui pattem diu cunctabula retrahens, ſimilis ſpiſſæ nebulæ volitabat, vſq; dum virtute frigoris condenſantis coagulatur (ſic etiam in media aeris regione vapores in nubes denſas vi frigoris congelatas videmus) in aquam denſiorem & quæ ob grauitatem ſuam idque naturali impulſu deorſum terram verſus, à qua violento motu aſcenderat, relabi cogeretur. Hoc itaque progreſſu congelatione videlicet

licet crassiores & tenuiores sublunaris regionis aquæ in vniuersali macrocosmi structura productæ sunt, nimirum ab infinito vapore humido vel fumante atq; nebulosa nube in substantiam aqueam reducta, quæ vi qualitatis frigidæ in tenebrosa cuiuslibet rei materia occultatæ, arctius fuit in hac orbis maioris sphæra quã in illa adstricta & condensata, & propterea ponderosior est, & conspectui magis exposita in vno loco quam in alio: cuiusmodi quidem distinctione *aquæ* à Moyse dicuntur *esse ab aquis, & terra ab vtraq; separatæ*. Atque ita plenam primæ huius meæ visionis mysticæ substantiam, quæ primum oculis meis se exhibuit, per dissectionem seu anatomiam hanc nostram vulgarem reuelatam vobis exposuimus.



Caput III.

De apparitione secunda in forma Aquæ à se ipsa exhibita.

Sicvt in montium Alpinorum cacuminibus & iugis nebulam densam, radiis solaribus nihilominus in excellentissima sua gloria circumcirca fulgentibus colligi animaduertimus, quę subito inspissatione in densam nubem conuersa tandem euanescit, & guttatim destillat, dissoluta in imbrem, puteos & lacunas circumsitas implentem: ita etiam vsu venit in hoc nostro opere. Nam in secunda apparitione nebula obscura, seu vapor nebulosus sensim euanescendo oculorum acie in guttas deorsum destillantes cõuertebatur, imbrem illum aureum repræsentantes, quẽ Poetæ in Danaes turrim impluisse fabulantur, ita vt mare quasi ceu paruam quandam aquæ abyssum obscuræ illi nebulæ succedere obseruabã, quæ erat vndiq; splendida, spiritualis lucis tinctura animata atq; decorata. Atq; exinde illico ad animum reuocabam, quomodo à Moyse *spiritus Elohim, in prima mundi creatione, super aquis vectus fuisse* refertur, illis ex igneo suo actu vel virtute liberaliter impertiens, ad quem locum D. Augustinus in commentariis suis in Genesin reponit, *Spiritus domini mouebatur super aquis, vigorem illis igneum edens*; Et Hermes Trismegistus inquit. *Floruit autem splendor Sanctus, qui sub arena & humida natura elementa deduxit*: Eodem plane modo aquam vniuersalem huius mei experimenti eiusdem lucis effigiem seu vestigia in se continere deprehendebam, quod in triplici creatione à spiritu viuificante ei infusum est, vtpote à quo essentiam suam accepit, adeo vt manifeste contemplatione debita præeunte speculatus sim, minorem hunc aquæ mundum omnia ea in se comprehendisse, quæ vniuersalis mundi maioris Aqua illo ipso tempore continebat, in quo spiritus Domini vehebatur super iis, nimirum vniuersalem lucis seu splendoris spiritum, qui erat anima mundi, seu Aer quidam vniuersalis spiritualis & volatilis chaos in se continens quinque particularia elementa, nimirum Ætherem, Ignem, Aerem, Aquam, Terram, de quibus

postea suo loco verba faciemus. Dicimus ergo quod in hac aquei elementi mole rem obseruatu dignam speculatus sim, videlicet quod postquam aeream eius tincturam & spiritum via Alchimiæ communi ab eo separassem, illa tamen hoc non obstante indies magis magisque nouam tincturam sibi attrahere moliebatur, hocque virtute illius remanentis vegetabilis & multiplicantis spiritus qui separari nequibat. Porro etiam aquei elementi abundantia ex tam paruo subiecto exiliens rationem mihi designabat, quod panis vel triticum in propria sua natura (non præmissa præparatione & correctione debita tam per fermentationem quam coctionem, qua depascitur & consumitur superflua hæc humiditas) sit humano corpori tam aduersum & noxium, vt multas in eo infirmitates per putrefactionem producat, è contrario certus sum, quod hoc sit illud ipsum excrementum seu humida superfluitas in pane, vna cum nutrimento ingesta, quam natura à massa sanguinea per renes in vesicam expurgat, & quod spiritus ille salsus qui ægre ob volatilem suam dispositionem separari potest, sit causa, quod vrina hominis est salsa, tantaque acrimonia infecta; Hic ergo ille ipse sal qui ex vrinæ multitudine ab Alchimistis extrahitur quem salem armoniacum vocant, Atque ita secundam hanc subiecti huius apparitionem, circa aquam vniuersalem versatam leuiter transimittam, quo celerioribus expeditionis alis ad partium eiusdem magis centralium anatomiam, videlicet earum qualitates formales, figuras & virtutes occultas, mediantibus quibus illud à corruptione fuit præseruatum, accedamus.

Caput IV.

Tertia visio erat spiritus qui aquis fuit tectus atque intermixtus. Partis aereæ ab aquea fæculenta separandi ratio: Quomodo liquor hic aereus ab aqua communi differat. Eius tam in natura vegetabili quam animali vsus & proprietates, Porro conclusiones plurimæ experimentales hoc in loco deteguntur, quibus huius spiritus facultates reuelantur.

AT quoniam in abysso hac aquea duplicem exploraui naturam, quarum vna agere, alia vero tanquam patiens in iusta proportione sustinere videbatur, ideo vehemens me illico inuasit, dispositionem illam actiuam exquirendi desiderium, vnde ipsam à materia sua crassa quæ illius actiones recipit, subtili operatione distinguere tentaui, quo naturam eius nudam & apertam (si fieri posset) oculis meis subiicerem, cuius rei perficiendæ causa agens meum seu calorem prædictæ operationi inseruientem commutabam, à feruenti scilicet æstatis torridæ propensitate in temperatam vaporosi veris dispositionem, atque hunc iterum caloris gradum seu ignis regimen in tres naturas partiri coactus fui, quarum prima erat calida in primo gradu, & minus humida, atque ob hoc omnium trium frigidissima, & hanc adaptabam, & appropriabam, ad primum vernalis temporis ingressum, qui mensi Martio refertur, nimirum postquam Sol arietem ingressus est. Secundus gradus huius ignis vernalis erat magis calidus & maxime humidus, proportionatus scilicet ad ingressum solis in Taurum nimbos illos Aprilares producentem, virtute quorum suos surculos plantæ foliaque induere gestiunt, atque etiam segetes germinare solent. Vltimus vero erat maxime calidus & magis humidus, qui non incommode ad ingressum solis in Geminos referri potest, quorum lepidissimo temperamento formosissimus atque regularis status seu circuitus constituitur anni, nimirum venustum illud Maiale tempus, quo prata suaueolentibus & variegatis floribus distincta rident vndique. Sic ignis mei gradus itaque ad huiusmodi separationis actum perficiendum adaptaui, vt per primum calorem separarem aquam tenuiorem à massa crassiori, in qua delitescens spiritus (licet antea per effectus suos tantum indicatus) nunc in substantia sua visibili apparebat. Per secundum purum vegetatiuum spiritum à spissioribus aquæ residuis segregabam, Et tandem per tertium vernalium meorum graduum spiritum in diuersis formis ac denique in sua propria dispositione exhibebam.

Cum

Cum itaque prima mea actione aquam tenuiorem à spiritu (viscosis fundamentalis seu fæcalis massæ lacertis adhuc detento) diuisam habui, residuum totum melliflui & densi liquoris formam induisse percipiebam, radiis vndiq; inductam, & lucida instar auri tinctura discriminatam atq; perfusam, quod postquam satis conspexeram, spiritum puriorem à substantia fæculenta, secundi mei caloris seu agentis virtute extraxi, ita tamen vt ille maculis terrestrium partium vndiq; conspurcatus apparuerit, qui cũ illo in alembici caput ascendere conabantur, quapropter spiritum hunc adhuc impurũ infimo caloris mei gradui adaptaui, virtute cuius (res ignoranti relatu mira) purus, albus & christallinus spiritus totus (quantum ego cognoscere potui) ex puro volatili sale compositus, in caput vasis cuiusdam christallini ascendebat & in eius receptaculum recidebat; & hic liquor (licet ob claritatẽ & liquiditatem videatur esse aqua purissima, attamen corpulentia & fluxibilitate, & substantiæ suæ qualitate videtur esse naturæ longe præstantioris quam aqua communis, vtpote qui conspectui erat liquide fluitans, penetrans & agilis in actu, & probe cognita experientia manifeste appareret esse illam alteram Psychen cœlestis illius cupidinis, & actum omniũ rerum, æquè ardenter calorem speciosum, & tincturam Solis auream ipsius appetẽtem, ac fæmina viri coniunctionẽ: Et pro certo scio, hanc esse occultum illud patiens in mundo, quod secretas influentias actus cœlestis recipit, & non aquã illam vulgarem, quæ potius putrefactionis adiutrix & causa est, vel patiens cholerici ignis elementi, à quo res omnes inferiores ad corruptionẽ reducuntur. Hæc est balsamum illud vegetabile abstrusum in quaq; creatura vegetabili, siue sit planta siue animal, vtpote quod vegetationẽ facit in plantis, extractione sui similis ex aere vel aqua quæ de cęlo decidit ad humectandam plantã. Nec tamẽ hoc præstat tota illa aquæ pluuiæ substantia ad vegetationem conducens, sed insensibilis quædam eiusdẽ pars, quæ vera & naturali sua Alchimia elicitur ex aqua illa pluuiali, relinquens quod residuũ est in grano tanquam superfluum, de quo paulo ante. Hac inquam ratione seipsam multiplicat planta in materiali sua substantia, quæ subinde eliciens & deriuãs formam ab aureo cæli palatio, multiplicationis vim omnibus reb⁹ abundanter distribuit; Cum a. hæc materia formam se dignam attraxerit, Hermaphroditus efficitur, hoc est vtroq; sexu fæcundissimus, videl. mas & fæmina sub vna forma vegetabili dominans, & tñ nihilominus prolem sui generis non minus producet, si matrici generalis omnium vegetabiliũ matris terræ videl. minime includatur, quam quis progeniem procreabit vnquam, nisi in mulieris vterum semen suum prius immerserit? Hæc est illa aqua occulta quæ tanto amore animal prosequitur, quæ sanguinem generat & semen auget in animali, ac consequenter vnicum est naturalis facultatis tam in homine quam bestiis statumen seu columen, sed quia hæc omnia tam incredulis quam ignorantibus impossibilia videri queant, experimenta illa quæ in hoc opere in conspectum meum etiam inopinate venerunt, quibus certiori demonstratione iis quę à nobis relata sunt fidem adhibeatis, vobis fideliter hoc in loco citare aggrediar.

Experimentum primum quo spiritum hunc de aeris vniuersalis natura participare probatur.

POstquam oculis meis spiritum rudem (igne vernali secundi gradus vti dixi prius præparatum) manifestassem, primi caloris moderamine illum purificare sum aggressus, mediante quo opere spiritũ in capite Alembici ascendentem in frustulas substantiæ albicantis coagulari obseruaui, quarũ quædam niui erant similes, quædam vero rursus in exiguas grandinis instar particulas conuertebantur, residuum vero quod frigora externa minime sentiebat, in forma liquida deorsum in Recipiens destillabat. Ex hoc videre est niuem vel grandinẽ nihil esse aliud quam aerem in media aeris regione, virtute seu vi frigoris congelantis coagulatum; idcirco hæc per calorẽ artificialem operatio, sicut aer mundi per naturalẽ, hunc spiritum ab vniuersali aeris spiritu originẽ ducere demonstrat. Vicissim ex congelata hac niue vel grandine colligebam, quod quamuis externa & manifesta spiritus aerei species perlucida & alba sit, internam tñ & occultam eius naturam igneam esse & auri instar fulgentẽ, substantia enim hæc alba ẽt exiguo calore tacta seu tractata, illico in

humorem aureum aſpectu iucundum, atque auro potabili haud diſſimilem oppido liqueſcit. Hoc ergo nobis mentem philoſophorum licet exemplari magis rudi aperit, dicentium, *Eius manifeſtum eſt albũ & aqueum, eius vero occultum eſt rubeum & igneum*, Et rurſus quando dicunt, *Fac occultum manifeſtum, & manifeſtum occultum*;

Ratio vero cur communis nix vel grando mundi maioris, poſt diſſolutionem eius hanc tincturam vel occultam eſſentiam manifeſtam non obtineat, eſt crudain iis aquæ abundantia, præſentia cuius natura ſpirſtus congelati inficitur & contaminatur, atq; idcirco obrationem aquæ prædominantis poſt diſſolutionem ſuam videtur nihil eſſe aliud quam aqua candida, ex qua nihilominus, ſicut ex guttis pluuiæ grana ſeu ſemina poſt naturalem in terra putrefactionem hanc inuiſibilẽ & ſpiritualem eſſentiam ſeu tincturam exſugunt in abditis guttarum pluuialium ergaſtulis, tam ad eius vegetationem quã multiplicationem adiuuandam deliteſcit. Spiritualis igitur iſta humiditas, eſt nihil aliud quam aer, & ob hoc etiam à ſuo ſimili nutritur.

Secundum experimentum, quo ſpiritum aereum in aqueo elemento ſecreto incluſum eſſe probatur.

AD probandum aerem in quauis aquæ particula contineri, nõ poteſt produci argumentum oculari hac demonſtratione magis prægnans & euidens, qua manifeſte percipiamus, quomodo aereus hic ſpiritus cuilibet vniuerſalis aquæ parti inſit, non ſecus ac anima in quouis corporis membro mouere dicitur; nam hic ſpiritus in aqua reuera eſt humidum radicale mundi, ſeu occultus & latens ille ſpiritus, qui recipit viuificans illud lũmen à ſpiritu Elohim, qui vehebatur ſuper aquis vniuerſalibus (ex qua vtrunq; tam cælum q̃ terra factum eſt) mediante quo viuunt, mouentur & recipiunt eſſentiam viuificam, vti infra luculentius declarabitur; Rem itaq; ingentis eſſe difficultatis expertus ſum, aquam à ſuo ſpiritu ſeparare, vtpote quæ in anima ſua vegetabili perdenda & relinquenda minime eſt prona, imo vero difficilis admodum; Quid igitur hic ſpiritus ſit vndiq; per aquas diffuſus præter in hoc noſtro ſubiecto demonſtrationem ex alio experimẽto didicimus, inde etiam hanc noſtram aſſertionem cõfirmante: nam cum in natationis exercitio me (dum in ciuitate Galliæ Nemoſienſi degerem,) ad fluminis fundum immergebam, duos ſilices colliſione forti ſimul concuſſi, vnde factum eſt vt terribilis propter aeris eius in aqua incluſum ederetur fragor, At vero quatenus mediũm vel ratio ſenſus auditus eſt aer ſolummodo, iuxta philoſophorum doctrinam, inde ex conceſſis aerem in aqua abunde contineri ſequitur, & per iſtud experimentum comprobatur.

Tertium experimentum, ſpiritum illum aereum vegetationem abundanter incitare docet.

NVnc autem rationem adducemus, qua ſpiritum hunc eſſe ſolam atq; vnicam in vnoquoq; ſemine vel planta vegetationis cauſam probabitur. Generaliter itaq; obſeruamus primo loco, quod pluuiæ cæleſtes (quæ plurimum ſpiritus huius aerei in ſe complectuntur) tempeſtiue in terram aridam effuſæ, ſint præcipua ſeminum & plantarum geminationis cauſa. At progrediar ad experimẽtum, quod licet incredulis impoſſibile fortaſſis videatur, quia tamen cognoſco id ita ſe habere, & quia id hiſce oculis meis intuitus ſum, non verebor id mea ſaltem fide proferre. Quodam die operator meus, natione Gallus, me ſubito in laboratorium ſeu ergaſterium vocabat, ibiq; laminam ferream tenuem & ſimplicem mihi oſtendebat, quæ ollam argillarem benecooperiebat, in quam ille partem fæcium illarum, ex quibus hic ſpiritus ſecundo tempore fuit extractus, forte, fortuna condiderat, Tempus autem quo olla ſic lamina ferrea tecta ſtabat, erat ni fallor circiter quinq; ſeptimanas, illo ipſo tempore, quo triticum terræ mandatum & in ea putrefactum emergere rurſus & repullulaſcere ſolet, in hoc (inquam) tempore vim vegetabilem obſeruari eſſe tantam materiæ coopertæ (rem quam ipſe antea haud facile credidiſſem) vt pro defectu vegetabilis vel animalis ſubſtantiæ, ſibi alias naturalis, etiam in ipſo minorali corpore ſeu lamina ferrea operabatur; Nam ſpiritus hic penetratiuus ſurſum ex olla in qua fuit concluſus aſcendens cooperculum ſuum ferreũ perforauit, effectuq; à natura ſibi inſito tam valide operabatur, vt decem mille ſpicula ſeu ſtipulas croco ſimilia more frumenti ex terra emergentis à ferro exurgere, procreſcere, & pullulaſcere faceret, quæ omnia in longitudinem aciculæ paruæ excreuerant, atq; hęc profecto viſio, vtrunq; nos in admirationem rapuit haud exiguam, planiſſime nobis perſuaſit, hanc eſſe vnicam & ipſiſſimam illam vegetatiuam plantæ partem; Concludo itaq; cum hac philoſophorum maxima. *Quod facit tale eſt magis tale*, Hæc autem procul dubio eſt ſubſtantia, ex qua ſanguis animalis generatur, vt in ſequenti experimento luculentius demonſtrare mihi propoſui. Præſens itaq; concluſio ad oculum quaſi demonſtrat modum per quem plantæ & herbæ ex terra creſcunt & germinant, cum ſpiritus hic ſit vitalis illius ſcintillæ vehiculum, quæ poſt grani corruptionem in terra ad æthereum illud palatium vnde ortum ducit aſcendere & redire omni diligentia nititur.

Quartum

Quartum experimentum veram tam vegetabilium quam animalium vegetandi atque multiplicandi rationem nobis aperit.

SVmpto itaque hoc volatili spiritu, qui erat albus, & christalli instar perlucidus & clarus, radiisq; tandem solis expositio, sympathiam illis mutuo tãtam intercedere sensi, vt materialis iste spiritus magnetica quadam attrahendi virtute, formalem quandam tincturam ab orbe illo lucido sibi eliceret, quæ illum à christallina sua albedine in rubram rubineam, hocq; paucarum horarum spatio transmutatum obseruaui, imo vero quo diutius aspectui solari obiiceretur, eo excellentiorem eius tincturam euadere animaduerti. Hoc etgo experimento perfectam multiplicationis rationem tam in vegetabili quam animali regno collegi; ham sicut mulier (ad quam spiritum hunc haud inepte comparamus) sine auxilio seu copulatione viri, (ad quem formalis hæc lux relationem habet) concipere vel multiplicare nequit, sic neque spiritus hic incrementum aut multiplicationem vllam habere potest nisi actus lucis cum ea coniungatur: natura enim passiua in se ipsa pati nequit, atque idcirco impressiones naturalis alicuius agentis à Natura bene prius ad hoc præparati atque elaborati expectat, quorum postea naturalis actio & passio est causa incrementi & multiplicationis in eadem specie quam inhabitant, idque in vnoquoque trium Naturæ regnorum accidit, sine quibus nulla fit in iis aut generatio aut multiplicatio. Hic itaque spiritus, putrefactione in terra facta, libertati suæ restitutus, illud obscurum tabernaculum, in quo habitat, deserens liberius peruagatur ad ignem illum cœlestem, virtute cuius multiplicatur, viuificatur & efficaciter mouetur. Nam hic est solus ille ignis actiuus, qui multiplicatione mouet ad generationem, & hic est spiritus ille passiuus seu medium, quo mouet lux viuificans in compositione, & mediante quo tanquam pretiosissimo rerum omnium sublunarium succo & substantia, optime nutritur species, & quia exigua lucis formalis istius spiritus portio ad granum multiplicatiuum informandum sufficit, ideo sequitur quod spiritus hic sibi & sui generis materiam assugat, & quod materia, naturali quodam appetitu, portionem lucis sibi requisitam ad eius informationem attrahat. Atq; hæc est causa multiplicationis, præeunte eius per putrefactionem libertate in terra facta, prout quotannis experientia docemur. Porro etiam in animalib. illo ipso spiritu hac natura actiua induto assidue tam per nutrimentum, quam per inspirationem (nimirum attractionem spiritus huiusmodi à pulmonibus) in corpus introducto crescunt & multiplicantur singula eorum membra & dimensione dilatantur, vt & spermatica eorum substantia augetur, & ad generationem idonea & habilis redditur. Notandum tamen est, q; ad animalis multiplicationem maior ætherei seu cælestis huius spiritus & formæ igneæ portio requiritur, quam ad illam creaturæ vegetabilis, Quomodo vero spiritus hic attrahat sibi simile, exemplo salis Tartari erudimur, qui occultum spiritum in aere volatilem magnetico quodam vigore sibi allicit, donec propter substantiam aeream attractam tam crudus & liquidus euadat, vt in specie liquoris ad instar aquæ vulgaris fluere soleat.



Quintum experimentum probat quod spiritus hic sit in aere vniuersali, eo quod de aqua, igne, & quinta essentia participat.

SPiritum etiam hunc per vniuersum mundi spatium esse diffusum & quamlibet mundi partẽ replere deprehendi, quatenus eum cum elemento aquæ naturali instinctu conuenire atq; permiscerisensi, non aliter quam forma materiam amplecti soleret: sic etiam familiaritatem haud minorem cum igne habebat, vtpote quem ex altera parte facile amplectebatur, imo inueni formalem hanc aeris essentiam nihil aliud esse, quam quasi grossiorem & magis materialem quintæ essentiæ portionem, locum vinculi elementorum discordantium supplentem in sublunari regione: Nam diligenti speculatione obseruabam, spiritum hunc in arctam & inuiolabilem familiaritatem à quinta essentia receptum esse, & eodem modo se habere ad eam quo aqua ad aerem, quemadmodum suo loco explicabimus.

Sextum experimentum comprobans omnia ex atomis esse conflata & composita, vt Philosophi quidam censuerunt.

IN experimento primo obseruari vniuersalem hunc spiritum subtiliando,& quidem minimo caloris adhibiti contactu, in miriadem atomorum sensibilium vndique per vitrum volitantium conuersum& resolutum esse,quæ quidem res mihi ilico Epicureorum veterum philosophorum dogma & opinionem in mentem & memoriam reuocabat, quo affirmare haud dubitarunt,omnia ex Atomis formata & facta esse, imo vero & ipsum quintæ essentiæ corpus eiusdem planæ naturæ & conditionis esse deprehendi.

Septimum experimentum quo spiritum hunc per viam purificationis operari probatur.

PORro necessitas requirit,vt prædictis his experimentis septimum & vltimum minime spernendum adiiciam, quo probatur naturam spiritus huius esse talem, vt naturali quodam instinctu purificet; nã cum vnum ex naturalibus tritici granis,(ac si esset ouum quoddam Philosophicum) in spiritum hunc purificatũ immersissem,ipsum quasi in proprio suo sanguine balneando, in paucorũ dierum spatio à natura sua tenebrosa ita mediante natura istius spiritus purificãte& clarificante expurgatũ esse sensi vt à corpore opaco diaphanum ac pellucidum factũ,ac si ex vitro fuisset conflatum:Plures obseruationes non ita magni momenti ab hoc spiritu depromptas hoc in loco narrare atq; exprimere potui,sed ne vos forte in re inutili(vt quidã, scio, obiicere volunt) discutienda detineam,in Anatomia hac mea directa progrediar. Dico ergo quod spiritus aqua mixtus, opacum quoddam & indigestum chaos vndique tegebat,haud aliter quam clarorum & perlucentium cælorum oceanus seu spiritus vniuersalis, (qui nihil est aliud quam pura & subtilis aqua) terram circumibat, quæ erat massa opaca, crassa & deformis, vel caput quasi vniuersalium mundi maioris aquarum mortuum.Quocirca hoc ipsum sequenti capite aggredi nobis proposuimus.

CAPVT V.

Quidnam author per Chaos intelligat, ex quo quinque elementa extraxit.

NON est vniuersalis aut infinita illa Platonis vel Aristotelis Hyla, quam hoc in loco demonstrare, & conspectui vestro (ô perspicaces & censorii æui huius oculi) exponere studeo, vtpote quæ nec humanis sensibus discerni, nec Geometricis supputationibus aut figuris comprehendi potest: nam & sapientissimi omnium ætatum philosophi ne summo quidem mentis aut ingenii sui acumine ad perfectam & completam eiusdem cognitionem vnquam assequi aut pertingere potuerunt,vnde qui ad veritatis scopum accedebant propius,in sensu solummodo typico,& per comparationis semitam illam describebant, quandoq; ipsam cum sylua comparando,cuius lignum ad quamlibet imaginem effingendam aut fabricandam aptum est,quandoq; ceræ eam adaptarunt, quæ ad quamlibet sigilli impressionem recipiendam prompta est:alii autem eam monstrosæ imagini in somno apparenti assimilant, quam homo è somno expergiscés aut vanam aut nihil esse inuenit,At D.Augustinus illam ad modum silentii se habere dixit, quod respectu loquelæ non minus quid est quam vmbra:Non est hic principalis inquam scopus, ad quẽ curiositas hæc mea collimat,sciens illam esse rem apprehensu prorsus impossibilem, cũ sit deformis, imo vero omni forma vel essentia destituta,& nihil aliud quam tenebræ inanes; Neq; vero hoc est rude illud & indigestum chaos à philosophis antiquis æternitatis memoriæ dedicatum,& in monumentis poetarum, poematum & meterorum mysticalium adeo celebratum,quod est tam vniuersale,non enim credibile est montem seu molem tam ingentem in colliculum tam exiguum vt ille est de quo verba facere decreui, transmutari aut conuerti posse,sed laboris & conatus mei alæ magis humiles & remissæ se præbent, ne edita nimis & excelsa cum Icaro carpendo ambitionis meæ plumæ reprehensionis & censuræ acutissimorum hominum ardore aduranturaut cera cui affiguntur liquescant,atq; ita tandem in turbulentum publicæ ignominiæ lacũ præceps ruam;illud videl.me reuelaturum profitendo,cuius fortassis sum ignarus,aut si in eo bene versatus,ad illud mundo reuelandum minime paratus aut dispositus. Meum itaq; chaos est solummodo externa & visibilis figura,& leuis tanquam vmbra,vel minimum vniuersalis illius atomum,quod reuera apparet esse (prout id appello) positiua corporis corruptio vel priuatio,sicut magnum illud mundi chaos,idipsum se esse manifestabat immediate post primam creationem.Nolim ergo vt à me mira atq, miraculosa expectetis, non enim talia profiteor.Verum hoc solum vobis promitto,me in hac experimentali mea conclusione naturam quoad potero imitaturum, & paruum chaos in hac creatura modo quantum queam subtili exquiram, quod maioris illius mundi erit imago, prout microcosmus seu homo est effigies & exemplar maioris, dicti macrocosmi: vobis itaque paucis hic referam, quomodo particulare hoc chaos oculis meis manifestauerim, vt tum postea eiusdem anatomizatione intelligatis, quomodo singula elementa in mundo maiori ex tenebroso & obscuro chaos producta fuerint: nam in huiusmodi speculo seu catoptro veram cuiusque elementi naturam, qualitatem, formam & consistentiam in propria sua sphæra,

vna

vna cum peculiaribus suis in corporibus compositis effigiebus percipietis, quæ singula prout visiones eorum mihi apparuerunt, vobis ordine referre aggrediar.

Caput VI.

De vero vniuersali mundi maioris Chaos, differentia eius ab Hyla, simulatque extractione quinque mundi elementorum ex eo, atque virtute ignis vel caloris lucis vniuersalis in magna Naturæ fornaci: Denique de allusione & comparatione illius ad paruum Authoris chaos, & duplicis aquæ typum.

Directe satis (vt opinor) & sufficienter in macrocosmica mea historia me explicaui, verum nimirum chaos fuisse triplicem massam tenebrosam, videlicet deformem atq; potentialem illam existentiã, quæ tertium & supremum cælum vel Empyrealem regionem de sua forma lucida priuauit, & illam, quæ ante existentiam, secundæ, mediæ & stellatæ mundi regionis occultauit ipsam ab omni aspectu forma vel habitu: quæ ambę deformes tenebræ, secundo die conglomerato & inuoluto motu per virtutum lucis in vtroq; hoc cælo apparentis repercussionem in inferiorem vel elementarem mundi regionem reuerberatę fuerunt, atq; hæc regio erat etiamnum rudis, tenebrosa & indigesta & exterius aspectu merum nihilum esse apparebat, eo quod virtutes quatuor contrariorum & pugnantium elementorum sub tenebroso & obscuro tenebrarum priuantium pallio occultæ iacerent. In eodem plane etiam statu manebat regio sublunaris secundo creationis die, videl. sine lumine, sine forma, sine actu manifesto, aut existentia vlla. Et tamen ab hyla plurimum differebat, vtpote in qua nullã interna lux, actio, passio vel elementum reperiebatur, quatenus in natura sua absolute annihilata permanebat, priusquam Deus è tenebris illuxerit, vel seipsum in mundi structura reuelarit, ita vt capacitas vel ambitus mundi suppositicius Hyla seu abyssus erat dictus, antequã spiritus domini splendore suo aquas in vasta mundi cauitate apparere fecit. Verum vt in Macrocosmica mea historia dixi, quod aquæ deformes, vel densiores spiritus in deformitate tenebrarum delitescentes, formalis lucis cupidi & appetentes in repercussione illa obiaculatos lucis radios facta, aliquot ex illis radiis, qui penitius in substantiam illorum se immerserant complexi sunt, illosque viscositate & limo suo naturali implicitos captiuos detinuerunt, atq; ob hanc rationem natura Hylæ potentialis in chaos conuersa fuit, quod vim actiuam intra se complectitur, quippe quod omnia elementa in se continet, & solummodo potentiale est extrinsecus, vtpote totum opacum & informe, idcirco (inquam) hoc chaos in se ignem habet, cum spiritus in tenebris delitescẽtes luce radiorum retentorum informati sint, atq; etiam aerem & aquam, propterea quod spiritus retentus & inclusus est crassus vel tenuis prout aut copiose vel parce de donis vel portionibus radiorum seu scintillarum lucis participat, Terra deniq; est chaos huiusce manifestum vtpote quod est magis opacum & spissius vniuersi chaos membrum. Hinc inde igitur apparet, quod vniuersale chaos triplex illa tenebrarum massa fuerit, videlicet obscura prę iens primum diem deformitas, atq; etiam illa immediate secundum diem præcedẽs, quæ ambæ mediante actu lucido horum dierum simul permiscebantur, & adhuc magis deorsum ad machinæ centrum protrusæ sunt operum tertii diei edendorum, atque ita completum est mundi maioris chaos hocq; immediate ante tertium diem, ex cuius ventro exiliebat vniuersæ regionis mundi infimæ substantia quæ in quatuor elementa se inuicem dignitate eminentia diuiditur. Ex hoc (inquam) rudi & indigesto chaos elementa inter se discordantia fuerunt extracta, hocq; lucis vniuersalis virtute, quæ illud vndiq; die tertio in fornace reuerberatoria mundi maioris circumambiebat, & tum tenebræ sensim atq; gradatim deorsum centrum versus subsederunt, & elementa tenuia ex massa extracta vniuersam concauitatem implerunt, ne vacuum vel inane aliquod in ea relinqueretur. Atq; ita quælibet spiritus iam inclusi portio, secundũ maiorem vel minorẽ lucis in eo regnantis opulentiã, super suos socios aut exaltabatur aut deprimebatur, & ligamentis quintæ essentiæ in sedẽ & sphæram sibi conuenientẽ confirmabatur. Hoc (inquã) modo eleméta ex vniuersali chaos formata fuerunt, atq; secundũ hanc itidem rationem se etiamnũ habent: Terra vero infimũ locũ, tanquam fæcalis in fabrica basis vel caput omniũ reliquorũ quasi mortuum occupare cernitur: & tñ hoc non obstante Mineraliũ Vegetabiliũ & Animaliũ receptaculũ & mater existit. Simili plane modo in minuto hoc nostro subiecto deprehendimus, q; aqua vniuersalis cũ spiritu suo, lucis tinctura illuminato primi & secundi diei opa repręsentet; nã sicut in primæ diei creatione cælũ primum vitã & essentiã cælo secundo impertiebat,

ita etiam ſpiritualis quædam tinctura (optima ratione igneo cælo ſeu Empyreo compatata) vitam & actum denſiori aquæ indidit, & ſicut hi duo cæli ante tertii diei creationem immenſa profunditate cooperiebant Chaos, quod inferiorum cælorum concauitatem replebat, ſic etiam aqua, ſpiritu tincturæ permiſta, inſtar profundæ abyſſi ſupra chaos meum opacum mouebatur, illudq; vndiq; cooperiebat atq; ſubmergebat, non aliter quam cœlum terram: Separata itaq; duplici aqua à maſſa nigra, illam quidem tam tenebroſam deprehendi quàm pix nigerrima, & tam tenacem quam viſcum, propter deformes ſcil. ſpiritus & viſcoſas lubricitates in ea contentas; Sumpſi itaq; illam aquam duplicem, igniq; admodũ lento adhibui, obſeruans cura quanta quidem potui maxima, omnes artificiales ignis gradus, nec tamen, Deum teſtem mihi teſtor, niſi poſt longum temporis ſpatium illas diſtinguere & ab inuicem diſgregare valui, quam quidem ob cauſam circa hoc opus multoties erraui & laborem meum vane adhibui. Itaq; ergo ad circularem illam Naturæ lucem imitandam me gnauiter accinxi, & igni meo vires adminiſtrabam, prout me ratio exigere ſuadebat: Primo itaq; ſecco portionem craſſioris aquæ extrahebam, quam cum aqueo elemento ſublunaris ſphæræ comparo; poſtea aerei ſpiritus portionem eliciebam, peculiarem cuius mentionem, quia in præcedentibus ſat verborum de eo feci, hoc in loco omitto, vt de elemento ignis ſeu elemento quarto fuſius diſſerere queam, ac tum poſtea de Æthere, qui eſt quinta eſſentia, vel elementum quintum, craſſo veſtimento, adhuc abductum. Et tandem finem huic libro cum deſcriptione & conſideratione terræ imponam, conferendo eam in hoc meo experimento cum illa mundi maioris: Quod quia perdifficile & (vt hariolor) obſcurum videbitur illis qui in volumine meo de mundo maiori verſati non ſunt, illos ad eius librum primum hac in cauſa omnino remitto, vbi hæc omnia plane & dilucide explicata inuenient.

Caput VII.

In quo ignei Elementi humorem aereum ſuccedentis apparitio, atque etiam naturæ eiuſdem ad omnium rerum corruptionem & putrefactionem procliuitas explicantur.

Postquam ſubtilis Aeris ſpiritus elemento aquæ ſucceſſit, confeſtim ignis in forma ignei liquoris, ſeu pinguis & rubicundi olei conſpectui ſeipſum exhibuit; Hic natura penitus ab aqua diſtans, & alius formę quam aer, tetrum quoq; fætorem, & odorem grauem expirans: Hoc ergo circulatione ſeu rectificatione purificatum, colorem croceum vel rubeum illi culinaris ignis flammæ haud diſſimilem induit, attamẽ grauem ſuum odorem vtvt mundificatum relinquere & amittere noluit, contemplatione ergo debita præeunte illud eſſe ſolum elementum agens in ſublunari ſphæra animaduerti, cuius vi infeſtæ illæ in mundo corruptionis alterationes producuntur, & quod illius violentia creaturæ ad putredinem adigantur, quippe quod elementum ad putrefactionem in corpore producendã dominatur, & ſuo dominio ipſum corpus maxime putrefit, & in actu putrefactionis fætor oritur teterrimus, ita vt propter vaporoſas huius elementi ex corpore putreſcente exhalationes, ſenſus olfactus grauiter offendatur. Porro ſicut inuenimus ſpiritum aereum (cuius ſupra mentionem feci) eſſe fæmininũ & bene adaptatum, & patiens ad generationem producendam, cuius agens ſeu maritus eſt ignis cæleſtis, vel lux illa quintæ eſſentiæ aerem tanquam paſſiuum ſibi apte ad hoc alterationis genus in curſu naturæ diſponens, ſic elementum aquæ eſt paſſiuum mortificationi ſeu corruptioni præcipue inſeruiens, vtpote quæ eſt corruptioni obnoxia, eius vero agens eſt fœtidus ignis elementaris, corpus compoſitum ad priuatiuum alterationis progreſſum inſtigans & promouens, qui motus eſt progreſſui naturæ contrarius. Et quanuis aqua videatur nutrire, attamen re vera per ſe non nutrit, ſed tãtum vnicus ille ſpiritus in ea deliteſcens, qui ſolummodo à Natura ad nutritionem in corpore retinetur, inutilis vero aquæ ſuperfluitas per vrinam emittitur; vbi vero aqua in ſola ſua Natura in compoſito vlrta ſuæ complexionis naturalis leges exultat aut exuberat, ibi ob eius exuberantiam morbi ſtupidi & hydropici procreari ſolent, idq; præcipue quando agens ſuum vel elementum ignis minimum in alteratione locum obtinet, huiuſmodi enim aquæ innaturalis poſſeſſionem inſequuntur animi deliquia vel exanimationes, Lethargiæ, Apoplexia, Catochæ, Catalepſiæ, ſtupores, & id genus alia. Vbi vero agens eſt æqualis potentiæ cum patiente, tum febres ſpuriæ tam phlegmaticæ quam cholericæ, item Apoſtemata compoſita, & eiuſmodi infirmitates in partibus corporis prædominantur, velut Pleuriſis, & omnis generis Phlegmona; Quod ſi ignis ſuper aquam dominium habuerit, tunc infirmitates omnes à pituita ſalſa ſeu aduſta deriuatæ procreari ſolent. At vero ſi agens ſit magis ſimplex, tenuemq; vaporem naturæ aqueæ inhabitet, tunc febres illas excitat, quæ vocantur Ephemeræ ſeu Diareæ, vbi vero ignis pabulo ſuo aqueo deſtitutus eſt, ita vt in craſſiorem ſpiritum aereum agere cogatur, ibi febres vrẽtes à ſanguinis corruptione ortas ſynochus dictas procreat: Atq; idcirco vniuerſam humorum corporis maſſam inflammat, verum vbi humor aquæ corruptus cum craſſiore ſpiritu aereo abundat, ibi putrefactio contagioſa oritur, quæ variolas & peſtes procreare ſolet, aſt vbi aqua corrumpẽs eſt tenuis, & cum ſimili ſpiritu aereo mixta, ibi febres peſtilentiales producuntur cum maculis quæ ab Italis Petechiæ nuncupantur: Deniq; omnes morbi ſiue à crudirate ſeu aduſtione procreati à proportione maiori vel minori duorum iſtorum elementorum corruptionis authorum progenerantur: ita vt aereus ſpiritus ipſe ſæpenumero inquietetur. Atque ſic hæc duo elementa nunquam per ſe & à ſua natura operantur niſi ad deſtructionem, Cum viceuerſa virtus Solaris ſeu ignis cæleſtis in aereo ſpiritu deliteſcens, ad ſanitatem & vitam naturaliter agat, Terra vero eſt horum omnium receptaculum.

Experi-

Experimentum demonstrans quomodo elementum ignis Melancholiam & morbos tenebrosos seu Diabolicos producat.

INopinatam in hoc elemento operationem inueni, nam licet id destillatione & rectificatione multifaria ad splendorem maxime lucidum purificauerim, tantam tamen habuit illud cum tenebris affinitatem, vt paruo temporis spatio antiquam & pristinam suam obscuritatem & nigredinem, perspicuitatem & fulgoris decus cito perdendo, sibi contraxerit: quæ quidem res mihi in memoriam redigebat dictum viri sapientis Arteſi nomine, qui in libro suo cui titulum fecit, Clauis maior sapientiæ, inquit: *Fortasse sunt quædam infirmitates, quibus adiungit se Diabolus humore egrediente à temperamento, ac perturbante ipsam sanitatem, & hoc maxime accidit in infirmitatibus ex cholera prouenientibus, cuius causa est ista, quia natura ipsius cholerę est calida & ficca vt ignis; corpus autem Diaboli ex duobus est compositum scilicet igne & aere: Et nos diximus,* (inquit ille) *in præcedentibus, quod omne subtile ingrediatur in omne grossum:* Manifestum est igitur, quoniam ignis est subtilior aere, quod apparens corporis ipsius Diaboli sit aer, eius vero occultum sit ignis; & hæc est causa occultationis eius ab humano aspectu, cum medium per quod videmus omnia, sit aer, qui est coniunctus oculo nostro; Cum ergo interius Diaboli sit natura ignis, manifestum est ipsum opponi & contrarium esse naturæ ipsius animæ, quæ est natura æqualitatis; cum ergo inuadit corpus aliqua ægritudo cholerica (quoniam Cholera est Diaboli occultum) sat apparet, quod ille seipsum facillime iungat cum Cholera, atq; ita augetur eius dominium in alios humores, imo vero tantum potest illa prædominari, vt recedat anima à corpore, & penitus separetur ab eo. Hæc ille. Ob hanc (inquam) rationem Diabolus aptus est naturali instinctu ad insinuandum & coniungendum seipsum in hoc elementum ignis: Ex quibus sedulo obseruare possumus, quod quemadmodum Deus, rex lucis, per cœlestem ignem ad vitam & præseruationem operatur, ita plane è contrario princeps hic tenebrarum qui dominium suum habet in elementis sublunaribus per corruptibilem hunc ignem ad mortem & destructionem agit; Hinc est quod priuationis huic spiritus vbique errans & peruagans, tenebrarum sibi contractarum impulsu; quibus à sua vsq; defectione est. Vexatus atq; exagitatus, hoc est ad lucidos creationis suæ primogeneæ radios in pœnam ambitionis & inobedientiæ suæ tenebroso velo occultandos; compulsus, iam aptum se præbeat ad demonstrandum per effectus affinitatem seu consanguinitatem, quæ est inter illum & humorem cholericum; vnde patitur etiam aer bonus. Hinc itaq; vsu venit, vt homo vi huius elementi in ipso prædominantis Lunaticus & à sensibus distractus euadat, impressiones obscurę clarissimam intellectus sui aciem obtundant, mentisq; radios obfuscent, chimeræ terribiles atq; præstigiosæ imaginationem eius conducant & ludibrio habeant. Imo vero & Diabolus in forma multifaria cum multis hoc modo conuersari solet, & visionibus monstrosis eos perturbat. Hinc etiam est q vita hominis febre ardenti vel morbo à radente melancholia orto laborantis infestetur, vel delirio, vel insomniis, vel desperatione, vel Lycanthropia, insania, & vt plurimum vaporibus melancholicis à fumo flatulento ex sulphureo hoc elemento emanante procreatis, qui fumus igneus passiones pariter Hypochondriacas incutit, cuius modi sunt trepidationes, ira, rabies, solitudo, insomnium, & omnis societatis & commercii humani odium. Quid addam grauius, cum deprehendamus mediante huius elementi atq, Aquæ eiusdem patientis insultu, non homines solum, sed & totam inferiorem vniuersæ mundanæ compaginis regionem, molestia & ægritudine affici? Cum in aere cometarum, Draconum ignitorum, columnarum ardentium, flammarum igniuomarum & id genus similium meteororum causa sit, vbi scilicet agens maius habet dominium, patiens vero eius copia haud ita abundat, vbi vero æqualiter potens & validum est eius patiens nimirum aqua, ibi fragores, tonitrua & fulgura inferiorē aggrauant regionem: At vero si patiens summa potestate præditum sit, & facultatem igneam superet, tum inundationes terram obruunt, media aeris regio densarum & tenebrosarum nubium obtentu caligat, vnde infinitę oriuntur calamitates, quamuis (prout prouerbium habet, *Nullus est ventus qui alicui commodum non afferat*) quandoq; abundantiam & fertilitatem terræ præsagiat aer caliginosus, atq; etiam quandoq; experiētia ducti obseruamus, quod febrili calore nebulosi corporis vapores consumi atq; exsiccari soleant, haud aliter quam fulgura (qui sunt febriles aeris effectus) morbidas aeris exhalationes dispellere atq; absorbere animaduertimus. Atq; tātum vobis de natura & dispositione elementi ignis declarare è re visum est.

CAPVT

Caput VIII.

Apparitio vel visio vltima, naturam quinti Elementi, quinta essentia dicti delineans.

IAm tandem mundi sublunaris cælos elementares superauimus,& in illam regionem ingressum nostrum facimus,quæ ab Alchimistis nomine quintæ essentiæ, à philosophis ætheris vel materiæ simplicissimæ, à Poetis cæli,olympi vel campi Elysii insignitur: Hic vero obiter intelligatis velim, quod sicut in rei alicuius structura vel compositione ab vno ad quinq; progredimur,qui numerus rotundus est,& verum denarii cẽtrum procedens videlicet ita 1.2.3.4.5. sic etiam in destructione & resolutione rei alicuius ad vnum, procedendum nobis est nimirum à 5.ad 4.& sic retrorsum ad vnitatem vsque. Ista ergo regio ab Hermeticis philosophis ideo quinta essentia vocatur,quia quinque gradibus à terra distat. Hæc est inquam ratio,quod proxime terræ apparitioni succedat illa aquæ,quam sequitur aer,atq; tum ignis aerem,& post ignem aureus ille humor quinta essentia ab eius ad veram quintam essentiam mysticorum philosophorum relationem dictus ascendebat,quod est vltimum dissolutionis huius violentæ signum; nã in hoc elemento est vera illa vita,mediante qua reliqua quatuor elementa agunt in corpore humano,hoc est virtute centrali, vel interno principio mouente,per quod integrum subsistit compositum.Et quemadmodum videmus,quod homo,qui compulsione coactus est,aliena,aliquid de proprio communicare,id inprimis & ante omnia offerre solet,quod ipse minimi æstimat,& minoris est pretii,dum putat se ita liberatum iri,at percipiens primam suam oblationem compellenti minime sufficere, tunc aliquid aliquantulum magis adhuc sibi charum & pretiosum ex suo thesaurario tradere cogitur,quod tamen nihilominus ille non tanti æstimat,quanti quod ei videtur maioris in sua arca pretii,atque ita gradatim pergit res minorum pretiorum proferendo, quousq; ad illam maximi valoris tandem distribuendam; videlicet ad charissimum vitæ suæ sanguinem perueniat: sic etiam in tenebroso hoc Chaos vel nigro terræ Cadauere res sese habet, vtpote quod, aqueo elemento (quæ portio ad suæ speciei præseruationem minus est vtilis) spurii Alchimistæ appetitui non sufficiente,aerem tanquam rem pretiosiorem ei offert post aquam,atque ita in egerenda thesauri sui ditissima dignitate progreditur, donec ipsum vitæ balsamum violentia ignea illi subducatur,ipsaque massa olim rudis & indigesta, iam nihil præter caput mortuum in ignobili terræ damnatæ & omni quasi gratia orbatæ conditione remaneat. Restat ergo vt ad pretiosissimam chaos vegetabilis gemmam, seu balsamum solare & viuificum in tritico iam tandem accedamus,quod summa artis igneæ extremitate à sua massa diuisimus: quam quidem gemmam terra tam auida & prona erat in suo gremio seu meditullio abscondere,& ab Alchimista dolose retinere,vt res maximę difficultatis & laboris fuerit,hanc ab illa separare,adeo profecto,vt si maiori asperitate & violentia hoc chaos pro suo thesauro balsamico comparando tractare aggressus fuissem,extinxissem potius& suffocassem spiritum hunc quam eum in natiuo suo colore & proprietate commode separassem. Vnde factum est,vt magna laboris mei parte frustratus fuerim,viam itaq; & rationem magis expeditam ad thesaurum hunc aureum ex spongiosis suis latebris eruendum atq; eliciendum tentaui: quod quidem vt perficerem, nouũ caloris genus inuenire necesse habui,quod ab vna vasis parte vim suam exercebat, mediante quo æthereum hunc humorem erui,& ad summam splendoris puritatem varia rectificatione prœeunte reduxi; Tum vero oculis apertis miram huic balsamo inesse dispositionẽ percepi, nam à minimo etiam calore liquidum fiebat, & rubrum instar sanguinis,atomis vniuersum vas replens,& vicissim à frigore aeris immediate in diaphanam &perlucidam substantiam lapidi pretioso similem irriguit,partim lucidi christallini colotis, partimq; aureæ Hyacinthi tinctura hoc est vitri christallini instar,scintillis vndiq; micantibus atq; quasi lucidulis stellulis consiti. At vero hic lectorem summo opere obseruare moneo,ne me hoc in loco veram & simplicem verorum Philosophorum quintam essentiam seu cælum in depurata & nuda sua dispositione in lucem produxisse,sed illam solummodo quæ ob puritatem suã vulgarem videtur à 4.aliis elementis visibilibus distingui, quam ideo quintam essentiam nuncupauimus vtpote quæ magis de natura quintæ essentiæ seu ætheris participat quam aliquod ex cæteris 4. elementis supra allegatis.

Hinc inde prompta mihi attentius speculanti incidebat harum quæstionum siue obiectionum resõlutio. Quomodo nimirum anima differat à spiritu,& quomodo hoc non obstante hi ambo promiscue aliquando imo vero plerunq; pro vno eodemq; resumantur? & quomodo à Platonicis spiritꝰ vehiculũ dicatur animæ, vt etiam Quid sit sphæra æqualitatis in qua anima mundi regnat,cuius illi tam religiose in scriptis suis mentionem fecerunt; Præterea quid Platonici intellexerint *per animam in spiritu, & per spiritum in corpore?* Et consequenter,quid sibi velit Merc. Trism.quando dicit, *Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, & spiritus in corpore?* Quidnam sit illud in hoc mundo,quod vitam cuiq; creaturæ attribuit,eandemq; fouet. Et plura huiusmodi dubia à vulgo minime enucleanda,ex quibus facile nos hoc vulgaris Alchimiæ experimento extricare possumus,si modo debita diligentia & attentione hanc cælorũ substantiam cõsiderauerimus; Ad primam itaq; quæstionem dicimus, Animam vitalem splendidam esse lucem à Deo emanantem, quæ in spiritu limpido

pidotanquam vehiculo lucido vehitur, cuius alarum remigio illa volat,& cuius præsentia illa oculis quandoque apparet, sub hac forma deprehensus est auricomus cupido in formosæ & candidæ Psichæ amplexu cubans, vti finxit Apuleius in sua fabula ænigmatica; vtpote in cuiusmodi subiecto hermaphroditico spiritus limpidus est fœmina seu patiens, lux vero radiis vndiq; in eo expansa est masculus seu agens, horum autē amborum in vnum congregatorū virtute & munere omnia viuunt; Atq; hac ratione pariter secundum explicamus dubiū, vbi videlicet tenuem limpidam & diaphanam materiam lucido christallo similē, esse animæ vehiculum affirmamus; namq; animam dicimus esse lucē splendidam, spiritum candidum irradiantē. Quibus equidē rationib. discernere possumus, quomodo anima dicatur esse omne in omnibus, & in qualibet cuiuslibet rei parte. Tertiæ itidem quæstionis solutio ex eadem demonstratione elicitur, cum hæc ipsa anima in spiritu (quæ duo coniunctim solius animæ nomine sæpe enunciantur) corpori infusa sit. Quod aūt attinet ad sententiam Mercurii Trismegisti, illam in capite sequenti explicabimus; quantū vero ad illam Platonicorum opinionem spectat, quæ est dari talem sphæram, quæ vocatur sphæra æqualitatis seu animę, hoc ipsum obiectū docet nos, talem esse illum ipsum orbē, in quo sol circumagitur, nam ipsissima materia quæ deorsum ad animalia vegetabilia & mineralia viuificanda descēdit, nos hoc idē ex compositione sua docet, quippe in quatā exactam obseruamus inter spiritū & lucem proportionē, vt lux nequeat vllo actu vel violentia dominiū habere in spiritū. Vnde fit vt tota substantia quasi mediante quadem capitis Medusæ virtute in lapidem christallinū fixari atque conuerti videatur. Nec tamen è regione ita abundat spiritus, vt sua densitate in æqualē lucis splendorē obfuscet, & caligine vlla obumbret, aut vt virtutē in luce viuificantem seu ignis cælestis actū obtundat; & ob hanc rationē tam æqualiter ad inuicē proportionantur, vt neutrū ab altero aut impediri aut opprimi queat, sed è contrario vnum alterum in perfecto & absoluto temperamento corroborat & animat, sic vt spiritus nutriat, sustentet & vehat lucē, tanquam in curriculo, lux vero vel pars eius formalis dat essentiā vitam & motionē spirituali parti, discutitq; ab ea tenebrarū caliginē, illamq; promouet imprimis ad viuificandū, & tum postea ad vegetandū; Hæc itaq; est ratio, cur loc⁹ ille à quo spiritus hic effluit, sphæra æqualit. tis vel animæ nominetur, estq; limpida hæc compositio nihil aliud, quam sol ille centralis cuiusq; creaturæ siue sit animalis, vegetabilis vel mineralis, originē trahens ab illo sole, qui mediū cæli pūctū inhabitat, & continuo æqualitatis orbe vel sphæra circūagitur; vbi lux formalis & spiritus materialis æqualib. naturæ trutinis ponderātur, vt vtrumq; in suo genere alterius appetitui cōplete arrideat, quo actio eorū ad vitam perpetuo, ob contrarietatis inter ipsos defectū se extendat, nam propter æqualē inter eos portionē semper agunt ad pacē, nunquā vero ad dissidiū seu contentionē, & ob hanc causam autores sunt vitæ, inimici aūtē mortis. Hę itaq; duæ naturæ in tam mutuā reciprocationem atq; amicitiā, mediante proportione symphoniaca redactæ, q̄ aptissime delineant atq; demonstrant intersectiones, quæ ex mutuo duarum pyramidū eiusdem dimensionis laterum concursu fiunt, quarum pyramidum vna erit formalis altera materialis, contraria quarū positione vniuersæ naturæ mūdanæ dispositionē in physica macrocosmi mei historia delineare atq; detegere tētau: Nam pyramis materialis (à qua lucidus hic spiritus emanat) basin vel fundamentū suum in ima terra habet, cum sit illarū aquarū imago hieroglyphica, quæ primitus è tenebris vel abysso scaturierunt atq; emanarunt, quarū pars principalior est huius lucis cælestis receptaculū. Formalis v. basin seu fundamentū suum habet in sumo cælo, conū v. suum in terræ centro, verū illius flammæ seu lucis iconē præ se ferens, q̄ in prima creatione à mūdi circūferentia deorsum centrū versus descer dit. Per pyramidē materialē cum suo cono è terra cælū versus, aqua è terra versus cęli circūferētiam ascēdens vsq; & vsq; gradatim tenuior arguitur: è cōtrario lux seu forma ignea à cæli circūferētia terrā versus semper magis magisq; descendens, ob eandē rationē eo debilior & tenuior redditur, quo magis à suo fonte declinat terræ cētrū versus, nō aliter q̄ in pyramidis geometricę figura videm⁹ q̄ eo magis pondere, substātia & robore exuberat, quo magis à suo cono basin vers⁹ pgreditur. Harū v. duarū pyramidū more oppositō dispositarū, quo se inuicē intersecant demonstratio hic sequitur, attamē de eis mentionē in libello nostro pyramidib. assignato, & fini technicæ microcosmi nostri historiæ annexo fecimus vberiorē, cui vos quo quid de pyramidib. ibi sentiā exacti⁹ intelligatis, libētissime referendos velim. Hic ēt lectorē admonitū velim⁹ q̄ vt ista nostra dicta quinta essentia nō est vera illa Philosophorū in sua puritate, tamē hæc ita se habet ad illā, vt anima humana ad suū spiritū, vnde dicimus quod cum spiritus sit imago animæ, sic etiam hæc nostra quinta essentia est imago illius inuisibilis & occultæ, & consequenter, hæc indicatur per illam demonstratione huiusmodi externa.



Hic A terrã denotat, b, c, materialis pyramidis basin, m, eiusdẽ conum, est verò & m, B, solus & sumus lucis fons, d, e, est basis pyramidis formæ, facta ab emanatione à fonte B. conus aũt dictæ pyramidis formalis est A. Intersectio autẽ facta ab his duabus, vbi vnius pyramidis portio est æqualis illi alterius est f, g, atq; idcirco hic orbis cælũ permeãs, sphæræ æqualitatis nomine insignitur, & ex eiusmodi materiæ vel formæ genere sol cælestis procreatus est, & ob hanc ipsam causam à Platonicis sphæra animæ mundi vocatur. Sic etiã quale in vnoquoq; cælo vtraq; pyramis dominiũ sibi vindicet, euidẽter ex dictarũ pyramidum delineatione hic apposita declaratur. Velut in K. L. proportio pyramidis formalis est tripla ad vnã partẽ pyramidis materialis, atq; idcirco appellatur cælũ Empyreum, vel cęlum igneũ, eo q̃ splendor ignis absolute ibi dominatur. Viceuersa in spatio o. n. itidẽ tres partes reperimus pyramidis materialis ad vnam pyramidis formalis, propterea q̃ cælum dicitur elemẽtare, vtpote in quo materia suũ habet dominiũ. At medium cælum per q̃ sphæra æqualitatis transit, vtpote in quo reperiuntur partes dictarum pyramidum lucis & spiritus ex æquo distributæ, appellatur Æther quasi Æthaer hoc est igneus aer, impertiẽs hac ratione æqualẽ denominationem vtriusq; pyramidis naturæ, quæ ex æquis partib. in illo dominantur. At si animum & studium ad istarũ duarũ pyramidum adaptionẽ explorandã applicare vellẽ, DEVM testor integrũ volumen huiusce narrationis filo, atq; mysteriorũ in hoc nostro subiecto contentorũ enucleatione me implere posse, sed quia iam fusius illa in duplici mea vtriusq; mundi historia explicaui, sufficere ratus sum, vobis hoc in loco exposuisse veram & naturalẽ causam ex ratione depromptã, qua scil. ad has duas pyramides inueniendas inductus fui, æqualem nimirũ hanc spiritus & lucis proportionem, quæ ad quintæ meæ essentiæ paulo ante in hoc capite nominatæ, compositionem concurrunt; Nunc vero ad vltimũ dubium progrediemur, nimirum, Quid sit illud in mundo, quod impertit primo, deinde per continuã suam successionẽ, vitam in vnaquaq; trium horum naturæ regnorum videlicet animalis vegetabilis & mineralis creatura præseruat? Ad quod respondeo, id esse ipsam subtilissimam & simplicissimam illam quintã essentiam in hac nostra quinta essentia grossa & impolita inhabitantem, cuius in hoc capite mentionẽ fecimus, cuius confirmandi gratia experimentum ex grossa hac quintæ essentiæ substantia vobis proferam, quo certiores vna mecum vos faciam (modo veritati apud vos fides sit) exactam inesse puro huic elemento viuificam virtutem.

Experimentum primum probans verum agens vitæ in quinto hoc elemento contineri.

CVm ego quodam die circa huius balsami cælestis, vulgari chimiæ more præparati, extractionem occupatus essem, frustrabar aliquatenus, vtpote seueri⁹ iusto terreũ chaos tractãs, floris huius cælestis portionem combustã, & consequenter inutilẽ sensi, lauabã itaq; vasculũ vitreum in quo materia deficiens erat recondita, in quodã vase maiori ex crassis lapidib. quadratis cõpacto, ad aquã pluuialẽ è stillicidiis ædiũ recipiendã ordinato. At v. paucis dieb. elapsis, aquã vermibus miræ formæ & longitudinis totam scatentẽ reperiebã, erant enim longitudinis inusitatæ, at vero latitudine aliquantulũ graciles seu tenues, & colore albicantes, omnesq; vnius generis & figuræ: q̃ illico ex viuificante hac natura procedere obseruaui, quippe q̃ante illud tempus huiusmodi animalculorũ ne vnũ quidẽ in vase hoc recipiente apparebat. Hinc itaque manifestum est, vitalẽ naturam esse vnã eandemq; in vegetabilib. ac in animalibus, sola vero diuersitas est in vase seu corpore virtutẽ hanc cælestẽ continẽte; Vnde fit vt illa in plantis anima vegetabilis, in animalib. aũt anima vitalis nuncupetur, Quod quidem in eo confirmatur, q̃ panis nutriat animã vitalem, atq; ẽt se in naturã animalẽ conuertat. Hinc ẽt manifeste & euidenter cernere datur quorundã huius mũdi ignorantiã, qui nutritionẽ, vitæ præseruationẽ, sanguinis multiplicationẽ, & cuiusq; humoris incrementũ panis & similium ciborũ externo attribuunt, at v. omnimodo peculiarium partium, earundẽ internorum, officiorumue ipsarũ naturaliũ sunt ignari, haud aliter q̃ vulgus huius mundi cæcũ inepte & insciteasserere solet, se optime hominem cognoscere, cuius nihilominus exteriorẽ solummodo speciẽ cognitam habet. At q̃ pauci (bone DEVS) sunt, qui internum hominẽ recte perspiciunt, q̃ quidẽ bene intelligere est principalis totius vitæ humanæ meta, ad q̃ inprimis tendere debet, videl. lucẽ in tenebris cognoscere atq; detegere. Nam terræ filiis omnia sunt tenebræ, quales reuera sunt res in mũdo sensibiliter apparentes, at viceuersa filiis lucis datũ est,



ipsas ẽt tenebras introspicere, & spiritualib. oculis occultã illam lucem in centro latitantẽ intueri, quæ est vniuscuiusque creaturæ honos & dignitas vera & antiquissima illis à creatore in creatione cõmunicata. Et quãuis ad tantæ perfectionis fastigiũ me adspirasse minime profitear, mihi tamen gaudio & gratulor, q̃ vel scintilla aliqua in me micat illius lucis, quæ quamlibet animã à stultis rerum terrenarũ solicitudinibus, quarũ cupiditate & desiderio æstuat mundus, securã & immunẽ reddit. Concludo itaq;, q̃ quandoquidẽ quotidiana experientia, ne ipsos quidẽ rusticos fallente, videmus solis præsentiam esse tam vitæ quam multiplicationis authorem, sequatur inde quintam hanc meam essentiam esse propinquissimam Solis seu quintæ essentiæ veræ & simplicis cognatam, & arctissimo sanguinis vinculo ei coniunctam, imo vero de propria orbis cælestis substantia, quatenus talem vitæ proprietatem in se continet.

Secun-

Secundum experimentum de quintæ huius essentiæ excellentiâ in Medicinâ.

FATEOR me non nisi semel balsamum hoc naturale in Medicinæ praxi vsurpasse; atque tum quidem (vt antea dictum est) in me ipsum eiusdem virtutem sum expertus: Nam cum ego ipse aliquando magna in gibbo manus meæ molestia & dolore afficerer, atq; neruorum imbecillitate laborarem (quod quidem illo anni tempore mihi sæpiculè contingere solebat, quo frigora rigidioris aeris comites ingruere consueuerunt, sumto itaq; pauxillulo ex aureo hoc balsamo manum male affectam protinus inunxi, vixq; exinde in hunc vsq; diem (gratia sit DEO) dolorem aut cruciatum sensisse me sancte testor. Vnde ingenue colligendum est quam amicum illud sit naturæ, & quantopere impedimentis illius obstet; Aliquid hic latet, quod non omnibus patebit: Si igitur interna huius essentia, exutis adhuc vestibus, exactius paululum elici queat, non est dubium quin maiorem longe adhuc præstare possit.

Tertium experimentum docet quomodo sensu vel odore quintum hoc elementum manifeste à reliquis quatuor inferioribus differat.

TERRA in hoc Chaos ob putridam ab elemento ignis factam dispositionem grauem efflabat odorem, Aqua auram ingratam spirabat, procedentem partim à terra, partim vero ab aere, qui paululum tantummodo de ignei odoris natura olebat. At vero hic erat diuersus & multo gratior quam vel terræ vel ignis ille, Ignis teterrimum efflabat fætorem, subito & graniter sensum afficientem, quo satis arguebat, illam esse putrefactionis causam, Æther vero vel quinta essentia, licet tam compositionis quam simplicitatis suæ respectu sit igni vicina, in peculiari tamen & propria sua natura suauiter fragrans, & mire sensui meo iucunda erat, complectebaturque tantam efficaciam & virtutem in se, vt si solum modo illam tangerem, biduo vel triduo post eius fragrantiam adhuc perciperem, adeo penetrans & efficax erat illa. Et certe (saluo aliorum iudicio) vt de me loquar, virtutem inconcocti huius balsami vitæ, omnibus aliis odoriferis, quæ vnquam sensui meo applicui, meo respectu præfero. Vnde constare videtur, quod quoad eius substantiam hæc prima essentia habeat naturam longe differentem ab illa inferiorum quatuor substantiarum ab inuicem differentium.

CAPVT IX.

Inquisitio quædam transcendens, quæ per superiorum animæ humanæ naturarum speculationem obseruatis & positis prius fundamentis prædictis visibilibus fieri & præstari potest.

QVEMADMODVM in dimidia illa proportione pyramidali superius delineata, quæ à sphæra solis deorsum versus tendit, totam tam externi hominis, quam mundi materialis compositionem more hieroglyphico inuenimus, vtpote cuius basis est terra, in qua humor aqueus visibiliter dominatur, aereus vero spiritus inuisibiliter continetur, vt & elementum ignis, ac denique centrale illud vitæ donum seu pabulum quod in eo concluditur & occultatur, ita vt externa visibilis mundi humani circumferentia sit terra, proximam vero sphæram possideat aqua quam sequitur aer, & cum eo ignis, cui orbi visibili viuificans solis radius vel quinta essentia se habet tanquam centrum vel internum principium, ad dandam reliquis prædictis essentiam, haud secus quam sol cælestis vim suam lucidam singulis cæli stellis præbere solet: Sic pari modo solis radii vel splendor æthereus, interni, spiritualis atque inuisibilis hominis basis seu fundamentum est, cuius centrum est DEVS ipse, *quem* inde ratione quidem præmeditata D. Ioannes *lucem hominis* vocat, quam qui semel in intima cordis sui penetralia recepit, is iure optimo dicere potest, quod non modo seipsum cognoscat, verum etiam DEVM suum in seipso incolentem syncere (vti hominem probum & iustum decet) venerari intelligat; nam huiusmodi sui ipsius cognitione præeunte, minime à Mercurio Trismegisto impossibile æstimatur, aut DEVM scire, aut eum prout nobis conuenit reuereri; nam in quodam suo loco in hæc verba loquitur. *Cogita quod in te videt & audit verbum Domini*: vnde & alibi infert, *vos insuper quibus mentis portio concessa est, genus recognoscite vestrum, vestramque naturam immortalem considerate*: Cuius quidem rei ratione nobis alibi designat, inquiens, *Lux & vita Deus est, & pater, ex quo natus est homo, si igitur comprehenderis teipsum ex vita & luce compositum, ad vitam rursus & lucem transcendens*; ex quibus idem ille alibi infert & concludit, *Qui seipsum cognoscit, transit in Deum vt Dei verbum tradidit*, Et in his à D. Ioanne minime discrepare videtur affirmante, *quod Deus sit verbum, & quod omnia per ipsum facta sint, & sine ipso factum sit nihil, quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Hic est itaq; externus homo, qui in oculos incurrit, cuius fundatio est terra, *Formauerat enim Deus hominem è puluere terræ*, Gen. 3. DEVS creauit hominem, cuius basis, fundatio, seu principium internum est spiritus, atq; hic spiritus cælestis à DEO ipso in hominis lutosi faciem est inspiratus, iuxta illud, *Inspiraueratque in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, Gen. ibid. Ita vt videamus hic fundamentum vtriusq; tam interni quam externi hominis, & quod culmen vel apex structuræ externi hominis sit basis existentiæ interni. Et sicut videmus solem, spiraculo illo vitæ repletum, quod DEVS primo creationis die in vniuersam molem mundi aqueam spirauit, vt virtute eius mundus viueret, magnifice, & aspectu excellentissimo per vniuersum terrarum orbem con-

ſpici, ſic ēt & ſol ille, eſt puriſſimū & ſupremū illud in mundo, q̄ humanis ſenſibus diſcerni poteſt, adeo vt vix ac nē vix quidē humani viſus acie contingi poſſit; Super eandē 'ergo baſin ſpiritualem homo internus primordiū ſuum, ſeu lapidē ſuū fundamentalē collocauit, ſic vt ſpiritualis hominis ſubſtantiæ circūferentia ad extremū interni hominis cōplexū continēdū inſeruiat, ſicut terra hoc idē in externo homine præſtat, eſtq; proxima ſphæra à circūferentia ſpirituali lux illa, quę fluctuans in hoc ſpiritu, vitā omnib. creaturis impertit, haud aliter q̄ aqua proxime terrā circūfluit, atq; tū poſtea in illa ſphæra rationalis mouetur, ſicut aer in aqua ineluditur, deinde in rationali illo ſpiritu lucid⁹ mentis ſpiritus vagatur, vtpote immediate à centro emanās, in quo DEVS ipſe, ſua gloria circūueſtitus reſidet, non tamē incluſione, ſeu vt cū Mercurio Trilmegiſto loquar. *Quatenus eſt diuinū hominis centrū, cuius circumferentia eſt nullibi*, hoc eſt cuius eſt ꝓprietas eſſe intrā & extra omnia. A centro ergo hominis interni emittens DEVS gratiæ ſuæ radios, vel eos ab vniuerſa cōpoſitione pro diuino ſuo placito reprimit, iuxta illud pſalmiſtæ regii: *Deo dante creaturis colligunt, aperiente manū ſuā ſatiantur bono, abſcondente faciē ſuam conturbantur, recipiente ſpiritum eorum expirant, & in puluerē ſuum reuertuntur*; quib. luce declarare videtur Propheta actum variū DEI in hominis interni centro regnantis, vel ad punitionē vel ad vitæ beneuolentiā inclinantem. Videmus ergo q̄ ad quintæ eſſentiæ centrū aliquantulū accedat, in quo DEVS ipſe primitus agit & præſidet. Hinc dictū eſt, *poſuit tabernaculū ſuū in Sole* q̄ idē & Mercurius Triſmegiſtus nobis narrat, inquiens. *Mens in ratione, ratio in anima, anima in ſpiritu, & ſpiritus cum his omnib. corpore* Motum aūt ſpiritus in corpore ſic alibi deſcribit. *Spiritus per venas arteriaſque ſanguinemque diffuſus, animal vndiq; ciet, molemq; corporis ſuſpenſam cōtinet atq; circumfert*, Sic itaq; videmus, q̄ nullū ſit in corpore a vel viſibili materia elementum q̄ ad ſpiritualem in eodē genere non referatur ſubſtantiā illud reſpicientē, neq; eſt vlla in materiali vel formali pyramide ſub ſphæra ſolis ꝓportio vel ratio ad naturā corporis cubici tendēs, quæ nō habeat ēt eandē illam imaginē vel formā in parte ſolē eminente, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos. *Per fidē cognoſcimus quod ſemper ita actū ſit cum mundo per verbum Dei vt ex iis quæ videre non poterant fiant ea quæ poſſunt videri.* Dicunt ēt Rabbi & Cabaliſtæ ſapientiſſimi, q̄ omnes res inferiores ſunt repræſentatiuæ ſuperiorū, & vti fit inferius, ſic agitur ſuperius, de qua ēt ſentētia omnes tam Hebræorum q̄ Ægyptiorū ſapientes conueniunt. Verū differentia (ſi quæ ſit) ſolū cōſiſtit in eo, q̄ inferior à ſole mūdi parseſt materialis, ſuperior v. ſpiritualis, vnde eudēter apparet, q̄ ſicut anima eſt ſpiritualis regis imago, ita ēt corpus eſt animæ imago, vtpote tabernaculū ſeu palatiū ad eam recipiendū ordinatum, ſola autē inter animā & corpus differentia eſt, q̄ hoc eſt viſibile & groſſum, illud ſpirituale, inuiſibile & ſubtile. Hinc Hermus Triſmegiſtus nos docet, *quod illud quod craſſum eſt, ſit ſicut illud ipſum quod ſubtile eſt, & vicenerſa illud quod ſubtile eſt ſit quaſi illud ipſum quod craſſum eſt*, Atq; ita cœlū habemus in terra, & vicenerſa terrā in cælo; Atq; viciſſim cælū in terra concluſā pōſſidemus, & terrā in cælo, & vi conſequentiæ terra & cælū non niſi vnū ſunt, & idē videl. aqua, vti teſtatur D. Petrus dicens, *q̄ erant iam olim cælū & terra de aqua & per aquā, conſiſtens verbo Dei*, fulgor ergo verbi diuin⁹ eſt baſis pyramidis formalis, vt & baſis illius materialis aqua eſt, lux ergo à verbo effulgente eſt aquarū vita, maſſā aqueā à cētro vndiq; gyrās, iuxta illud Ioānis. *In ipſo erat vita & vita erat lux.* Cōcludimus ergo, q̄ ꝓgreſſio à viſibili craſſitie ad inuiſibilē ſubtilitatē per naturę grādus facta, nimirū à terra ad aquā, aerē, ignē & ętherē, demōſtret nobis ꝓgreſſum ab ætherea ſphæra, vel ęqualitatis luce, vel ſummo viſibilitatis puncto, ſurſū verſus vel intrinſecus, ad ipſū vnitatis punctū, vltra q̄ progreſſio nulla datur, aſcenſus ergo à ſole verſus DEVM eſt huiuſmodi, videl. ſpiritus ætherens tanq̄ baſis recipiēs, tum lux ſeu anima in ſpiritu illo natās, deinde ſpiritus Empyreus ſeu rationalis in anima ſeu luce vitali incluſa, tū poſtea mēs in illo ſpiritu intellectuali latitans, in cuius centro eſt ipſe DEVS primū agens primus motor, vbi ſpiritus ætherus ad animā ſe habet vt aer ad ignē elemētarē; & anima ad ſpiritū Empyreū vt elementū ignis ad ætherē: & ſpiritus æthere⁹ ad viuā ſolis ſubſtantiā vt ſpiritus Empyreus ad mentē diuinā, ac tandē viuica ſolis ſubſtātia ad centrū ſeu internū eius agēs, vt mens ad DEVM atq; hoc modo ſubſolaria cū ſuper ſolarib. q̄ aptiſſime cōparari poſſūt: Vbi terra obſcura eſt pyramidis portionis ſurſum ad ſolem tendentis baſis, at vero terra ſolaris luce opulētiſſima eſt baſis pyramidis à materiali ad ſpiritualium conum aſpirantis.



Nos v. rē hoc in loco, videl. cælū in terra, ſeu internū in externo, ꝓut reuera in natura ſeſe habet in forma pyramidis cuiuſdā ſolidę explicare tentabimus, in qua cuiuslibet creaturæ elemēti ſitus, ſed ꝓcipue ipſius hominis interni in externo gradus ſecundū verā tā philoſoph. q̄ theoſophorū opin. delineauim⁹.

Sic

Sic itaq; videmus quomodo circa inuisibiles hominis partes solis contemplationis oculis versari atq; operari debeamus, nam præeunte ea sola ad benedictum vnitatis conum per centralem & abstrusissimã illam pyramidis scalam scandimus, vnde simul discimus, quod omnes hæ quinq; in basi particulæ, vel orbes, ad vnum in cono punctum reducantur, quod est vnitas à centri basi per axem suam ad conum delineata atq; protensa, vbi omnia ad vnam naturam coincidunt, Infinitus est huius & reliquorum pyramidalium mysteriorum scopus, super quorum bases vniuersam naturæ tam visibilis quam inuisibilis structurã vel fabricam constituere non erit difficile, At quia exactum illorum omnium quæ circa hæc proponi à me possunt Epitome in meis voluminibus inuenirè datur, leni passu illa hoc in loco præteribo, vt huic libro cum terræ vtpote fundamenti mundi visibilis tam maioris quam minoris descriptione finem imponam.

Caput X.

Vltima apparitio est de elemento terræ quæ est omnium reliquorum basis.

In primo igitur loco priusquam nos ad elementi terræ descriptionem accingamus, sciendum est, quod verisimile videri queat maiorem solis spiritum, qui quarto creationis die regnum suum in cælo exerere inchoauit, vltimo omnium ex terra profectum atq; extractum esse, nimirum postquam reliqua quatuor elementa ab illa fuerunt segregata, dictum est enim à Moyse, *terram creatã fuisse tertio die, & sublunari aquæ propriũ locum ad illam comprehendendam assignatum fuisse, cui nomen inditum est mare*, & ita consequenter aer & ignis illo ipso die finita & ex tenebroso chaos producta fuerunt: Vnde probabile videtur, quod collocata prius & fundata terra, lucida solis substantia post reliqua tria perspicua elementa ordine & serie à Chaos processerit, & virtute sui proprii luminis quarto creationis die ad medii cæli centrum eleuatum sit, Eodem plane modo in ocvlari hac nostra demonstratione deprehendimus, quod ad illius naturæ cursus imitationem, centralis nostræ materiæ sol è terra post reliquorum quatuor sublunarium elementorum separationem & dispositionem emerserit, quæ quidem separatio facta est virtute crassi & terrestris illius ignis, qui actum suum recipit à Deo lucis & ignis præside, & consequenter ipsum in actione sua necessario imitari debet, iuxta illud philosophicum axioma, *Quod facit tale magis est tale*; Quocirca, quoniam virtute istius actus (qui licet sit terrestris, est tamen verus & occultus ipsius Dei actus) sol quidem centralis manifeste ex terra seu chaos tenebroso resultat atq; emergit, post quatuor elementorum apparitionem, ideo videri potest, secundum naturæ probabilitatem in actionibus suis producendis, quod mundi etiam maioris Sol eadem plane ratione sit ex massa chaos terrestris quarto creationis die productus, immediate postquam cætera elementa ordine iuxta metricam & symphoniacam Naturæ normam redacta fuerunt. Sed vt ad propositum hoc nostrũ reuertamur; separata quinta essentia, inuenimus tenebrosam massam, caput mortuum, terram, opinione hominis at non effectu, damnatam: nam vt dictum est, terram ante mundi maioris creationem fuisse inanem, propterea quod nec signũ aut effectus aliquis, vel viuificans in tenebris lux erat ante creationem manifesta, vnde & tenebræ illæ fuerunt appellatæ Hyla, quæ postmodum mediante lucis apparitione & actu in eã existente, Chaos, actum postea terra vocata est, sic in fine creationis mundi, fæces vel limi hi aquarum in terram fructiferam atq; fertilem conuersi sunt, vtpote quæ immediate postquam (*vt Gen.* 1. legimus) in centro huius vniuersi collocata est, tam vegetabilia quã mineralia ac tandem ẽt animalia vberrime parturiuit. Assueramus itaq;, nos centralem quendam calorem terræ huic nostræ naturaliter insitum inuenisse, qui verus actus & semen primitiuũ est vniuscuiusq; plantæ, mineralis & vegetabilis, nimirũ sal quodammodo fixus, de quatuor illis volatilibus naturis participans, qui vi ignis ex terrestri hoc chaos effugerunt; Atq; idcirco in creatione plantæ & mineralia diuersorũ elementorum naturas in se continentia producta fuerunt, quorũ calidiora & subtiliora à fixo sale ignei elementi profecta sunt, at temperata à fixo sale aeris, phlegmatica vero frigida & aquea a salsa aquæ portione, ac deniq; illa quæ maxime crassa & sicca erant, à terra, in quibus quia aliquid ex viuificante solis humore remansit, (quod crassi terræ spiritus tam arcte constrinxerunt & amplexi sunt, vt simul cum corpore solari ascendere non valuerit) illud iam ascendere satagit, cum desiderio vniuersalem suam naturam in cælo regnãtem videndi, & cum ea se coniungendi, adeo vt secum trahat diuersos crassos spiritus, ipsos retinentes, atque ita in vegetabilia conuertuntur, quorum radices terræ ob rationes in primo libro demonstratas affixæ sunt, omnes ergo viuificantes hos sed & fixos sales in terrestri mea massa inueni, qui secundũ suam mediocritatem vel firmitatem in fixatione vel vegetabilia vel mineralia producunt, animal enim de magis volatili elementorũ substantia participat, quæ idcirco non alligata vel affixa est terræ, sicut illa vegetabilis vel mineralis, sed de vno loco in alium mobilis est, videl. tam in terra quam in aqua vel aere, Chaos autẽ mei residuum tenebris damnatis exuberans & omni iam quasi virtute destitutum, Lucifero vel litigio aut principi tenebrarum comparo, qui suo splendore despoliatus deorsum tenebras versus præcipitatus fuit, & ab omni luce & gratia extorris, atq; ob hoc à quibusdã vocatus est terra damnata, omnis qualitatis bonæ ad substantiã suam conseruandã expers: Et si lector me in his quę iam dicta sunt recte intellexerit, percipiet quidem sub hoc discursus mei typo me, more mystico terram vere damnatam Luciferiq; lapsum in his quæ iam dicta sunt, recondidisse & sub velo sensibili rem magni momenti explicasse.

Primum experimentum quo mineralem naturam cum vegetabili participare posse probatur.

DVPLICI experimento hoc probare conor, Nam primò omnium à tenebrosa & fæcali hac terra fungum seu lychnum resecabam, vt illum oleo comburerem, at eum tantæ duritiei esse deprehendi, vt quamuis continuo arderet, non tamen more vegetabilium cæterorum absumeretur, ita vt non immerito lichnus incombustibilis vocari posslit & tali nomine à quibusdam insigniri, Postea sumta illius frusta inferuidum illum conieci ignem, atque is prorsus colorem carbonis viui similem induit, quæ tum postea nihilominus ab igne retracta atque refrigerata, chalybi vel ferro similis euadebat, metallicam quasi dispositionem induens.

Secundum experimentum exprimens internum huius terræ calorem à sale in eo fixo procedentem.

POST destillationem meam vltimam, caput hoc mortuum inde abstuli, quod inueni quodammodo frigidum & caloreignis, vt mihi videbatur, destitutum, verum hæc terra fæcalis super asseres ligneos posita, aeremq; sibi attrahens quinq; præterlapsis horis recenter ita ardere incipiebat, vt nisi vigili cura detecta & extincta fuisset eius flamma locum & domum incendisset.

Atque ita breuiter excellentissimi huius vegetabilis anatomiam oculis vestris spectandam, vnumquodq; elementum ex illius chaos elicitum, cum sibi in maiori & minori mundo similib⁹ comparando subieci, Et quamuis circa subiecti huius explicationem iustum volumen conscribere possem, tamen quia in hoc tractatu nostro ipsam basin & fundamentum vobis pandere atque explicare proposui, super quod Macro & Microcosmicum meum volumen constituxi, propter quod nonnulli aut ignorantia præfocati, aut inuidia elati fenestram sibi apertam putant interpretandi actiones meas, iudicandi de mea religione, accusandi me criminis recentium & nouarum opinionum inductionis, qui pro suo arbitrio doctrinã meam condemnant, aiuntque me fouere nescio quas sectas, & inprimis illam fratrum Roseæ crucis, visum est mihi, hocq; inprimis necessario famæ & existimationis meæ interesse, veritatem illibatam viris synceris, & omni affectu longe semoto rem æqua lance perpendentibus, declarare, ne forte inertibus & improbis huiusmodi blateronibus fidem adiungendo, circumuenti & ipsi ad actiones meas carpendas inducantur. At spem firmam foueo illos ex his quæ à me hoc in tractatu proposita sunt, veritatem facile diiudicaturos, & in sententiam meam descensuros, consideratis sensibilibus demonstrationibus, à me in medium hic adductis, adiurans insuper & contestans, quod si fidem his quæ à me recitata sunt adiungere renuent, me quatuor vel quinque viros iudicio & existimatione graues electurum, in quorum conspectu denuo demonstrabo, quæ à me literis hic mandata sunt. At si quæ spiritualia sub hac corporea & visibili mea demonstratione lateant, ab ignorantibus minime respiciuntur, non me sed sui, condemnant intellectus cæcitatem, qui de cæli coloribus, terreis tenebris submersi, iudicare nequeunt: quæ enim spiritualia ceu cælestia sunt mentis & non carnis intuitu videri solent.

Iam vero ad vltimum huius tractatus librum progredlar, in quo vnumquodq; horum mysteriorum machinis maioris & minoris mei mundi tam interioris quam exterioris applicare instituí.

LIBER

LIBER TERTIVS

De

PRÆDICTARVM APPARITIONVM, AVTORI EX SVO CHAOS MANIFESTATARVM AD VTRIVSQVE TAM MAioris quam minoris mundi Architecturam applicatione.



CAPVT I.

Ratio cur Autor mentionem de Hyla vel prima in creatione materia, ex qua facta sunt omnia, fecerit.

IN primo voluminis mei Macrocosmici libro, materiæ primæ ex qua mundus cum omnibus in eo contentis creatus est mentionem feci. Et quamuis differentia inter illam hylæ dictam & chaos meum in præcedentibus toties à me allegatum, quod ego cum illo mundi maioris comparaui, magna sit instituta; (quippe quod Hyla nihil aliud est quam tenebræ vacuæ & inanes, ne lucis quidem scintillam in se continentes, chaos vero opacum & informe extrinsecus solum est, at intrinsecus elementorum actualium (licet indispositorum & confusorum plenissimum:) tamen Hyla illa quam nos primam materiam vocamus, per ex-

ternam chaos mei formam comprehenditur, quæ concipitur, tanquam res omni actu destituta, nullum intra se elementum actuale complectens hoc est res simpliciter in sola potentia existens, atque idcirco nihil in actu. Atque hinc erat quod in tertio capite libri mei primi de Macrocosmo, hanc materiam primam, hanc inquam Hylam minime fuisse creatam statuerim, propter quam quidem opinionem seu assertionem nostram, me à quibusdam ignorantibus aut inuidia obrutis iniuste, atque prorsus causa minime audita falso accusatum sensi: Ac si scilicet inde concluisissem, rem aliquam fuisse originaliter increatam, & consequenter aliquid cum Deo fuisse coæternum, cum tamen nihilominus scriptura nos doceat, *Deum omnia primordialiter ex nihilo creasse.* At profecto huiusmodi detractores dum sensum meum non intelligunt, se ipsos in hac sua censura fallunt atque decipiunt; absit enim à me vt rem vllam præter solum Deum increatam dicam, verum dico hanc Hylam esse merum actu nihilum, vtpote quod in sola potentia & potestate aliquid dicitur, vicissim inuenimus rem in sola potentia vel posse existentem longe differre ab illa quæ res in actu existit, ex quo sequitur, quod cum materia prima sit aliquid in potentia, id est res mente concepta in sola potentia, illa simpliciter & absolute sit nihil in actu.

Iam vero cum omnis creatio sit illius rei quæ nunquam ante realiter extitit in actum reductio, (præsentia enim Dei omnibus rebus formam habere dedit, quæ antea fuerunt nihil) ineuitabili consequentiæ vi colligitur, creationem nihil esse aliud quam in actuationem vel reductionem reuera nihili hoc est rei in potentia in aliquid actuale, At vero quoniam Hyla vel materia prima tale quid non existebat, antequam spiritus domini ex tenebris elucebat, atque super aquis vehebatur, sequitur quod fuerit nihil, vtpote omni forma & essentia qua vnaquæque res denominatur, carens. Hinc ergo erat, quod Platoni visum fuerit, hanc materiam nulli alii rei æquiparari posse, quam simulachro in somnis alicui exhibito, quod expergefacto illo merum phantasma fuisse constat, & Diuus Augustinus silentio id comparat, quod respectu locutionis est merum nihilum.

Alii vero eam ab omni re vere existente tam remotam esse æstimarunt, vt illam rem quæ vix ac ne vix quidem imiginari potest definiant. Porro vt vno comprehendam verbo, erat imaginatiuum quiddam, quod in rei veritate erat nihil, antequam Deus ex tenebris apparens, tanquam ille qui ex sua gratia semetipsum occultare diutius noluit, virtute splendoris sui tenebrosam deformitatem (quæ erat forma nihili) depelleret, & formam aquarum actiuam, prout nunc etiam apparet, indueret, atque ita illas ex opaca potentiæ voragine extraxit, & in clarum illum lucis splendorem omnia informantem & in omnibus illustrantem produxit, cuius virtute illæ mundatæ & repurgatæ fuerunt. Quod etiam & expressis verbis arguere videntur sacræ literæ vbi secundum Pagnini translationem hæc legimus. *Manus omnipotentis mundum ex informi materia effecit.* Iuxta illam Tremellii expositionem. *Manus tua creauit mundum ex informi materia.* At Hieronymus dicit. *Manus tua creauit orbem terrarum ex materia inuisa.* Vnde concludimus primum istam deformem materiam fuisse ante mundi creationem, deinde quod non esset creata liquet, quia deformis, cum omnis creatio est informatio.

Huius autem Hylætypum seu effigiem in quarto libri primi de Macrocosmo meo capite in forma scilicet infinitæ massæ vel spissæ nebulæ, picis instar nigræ, absque vlla scintillæ lucidæ in ea inclusæ consideratione depinxi, Quod autem ad plenam quæstionis illius resolutionem attinet; An materia prima seu hyla sit creata nec ne vos quibus adest plena de hoc dubio resoluendi cupido, ad Section. 1. Portion. 1. Part. 2. Lib. 1. cap. 5. De præternaturali vtriusque mundi historia referri moneo, vtpote in quo loco animi mei sententiam integram, & authoritates illam firme statuminantes videre potestis.

Caput II.

Chaos Autoris ad illud mundi maioris apte applicatum.

Illico post Dei ex tenebris apparitionem viscosi spiritus in tenebris concluſi, numerum scintillarum vel radiorum lucis infinitum complexi sunt, qui radii in tenebrosam abyssum penetrantes massam illam vel Hylam vel materiam primam in Chaos obscurum, quod est rudis & indigesta materia, commutauerunt: vnde dictum est quod in eius penetralibus seu meditullio quinque elementa more tam confuso concludebantur, vt magno impetu inter se luctabantur & contendebant; haud secus ac in tenebrosa & ingenti abysso in media aeris regione collecta accidit, vbi nubes tonans actui rapacissimi fulminis in ventre eius concluſi resistere obseruatur, quod quidem illam oppugnare non desistit, priusquam è carceribus suis in libertatem erumpat, Ad hoc itaque chaos, quod secundo creationis die in deformi tertii dici regione fluctuabat, applico ego chaos mei exemplar, ex quo quinque mea elementa terrestris ignis violentia extorquebam, ad imitationem omnipotentis illius artificis qui virtute sua ex vniuersali chaos illa quatuor mundi elementa, mediante cælesti suo igne primordialiter extraxit, Hinc ergo est quod in 10. cap. lib. 1. de physica macrocosmi historia duplicem chaos imaginem seu figuram expresserim, quarum priorem pro intentione & mente philosophorum formabam, posteriorem vero secundum propriam meam inuentionem, atq; apparitiones, quæ ex hoc exemplari meo se oculis meis ostendebant, delineaui.

Caput III.

De diuini spiritus qui super aquis vehebatur ex tenebris apparitione, nostrique experimenti ad eam allusione, simul atque de trium primarum dierum creatione.

COlligendum est ex Mercurij Trismeg. sermone, quod cum spiritus domini super aquis vehebatur, illæ aquæ fumo vel vapori glomerato vel perturbato similes fuerint, vnde & ipse nuncupat illas naturam humidam, meffabili vultu exagitatam, dicitque quod in hac natura humida ita ab obtutu & aspectu immensæ huius lucis & splendoris spiritus Dei perturbata, vmbra terribilis, vel caligo quædam immensa spirali vel obliqua reuolutione deorsum versus in humidam naturam ita perturbatam delapsa fuerit, Iam vero vt hæc ad hoc nostrum opus quodammodo haud inepte applicemus, inuenimus in prima nostra apparitione, spissam & nebulosam apparitionem modo à nobis relatam, & in ea nigram & opacam vmbram deorsum versus in aquæ vel humidæ naturæ fundum se virtute ignis vel lucis cuiusdam reuerberantis præcipitantem, quæ quidem lux in operatione sua, diuinum illum splendorem imitabatur, vt pote à quo originem suam ducebat, Harum itaque tenebratum deorsum versus repercussarum imago in cap. 6. lib. 1. Physicæ Macrocosmi Historiæ generaliter & satis luculenter expressa est, simul atque spiritus super aquis motus à verbo Fiat procedens, vnaquè cum tenebrarum declinatione deorsum centrum versus progressus, cum aquarum informatione, quæ erant vehiculum lucis illius operantis, ad viuum per figuram depictus est fol. 49. eiusdem libri, Et quandoquidem apud Moysem trium dierum facta est mentio, antequam mundi creatio completa fuit, quorum primo supremum cælum igneum scilicet seu lucidum fuit factum, secundo regio media, vel cælum æthereum, tertio vero infimum vel elementare, necessario sequitur, quod cum primum cælum solummodo primo creationis die esset factum, tunc quidem secundi seu medii cæli continens cauitas fuerit deformis atque tenebris adhuc obruta, atque consequenter illud etiam cæli infimi spatium. vnde sequitur, quod si tenebræ quæ ante vllam rerum existentiam primi cæli formam delerent & depriuarent, præsentia lucis repercussæ & deorsum centrum versus non profligatæ fuerunt, vmbram hanc tenebrarum ita deorsum detrusam & depressam, cum tenebris illis quæ formam omnem medio cælo, vel secundi diei operationi per spatium primi diei denegarunt, fuisse permixtam, ita vt huius cæli medii tenebræ iam fuerint geminatæ vel duplicatæ; & consequenter ob eandem rationem infimæ regionis tenebræ fuerunt triplicatæ, post secundi cæli perfectionem. Hinc ergo ortum est chaos illud, quod tria elementa in se continebat, nimirum sphæram ignis, illam humiditatis, atque globum terræ, Hinc ergo procedit triplex illud in compositione naturæ regnum, nimirum Animale, Vegetabile, & Minerale. Atq; hinc tres illæ completæ in terra vel regno tenebrarum regionis proficiscuntur, quæ singulæ ad horum elementorum singulum respectum habent; Hinc (inquam) primo omnium habemus terram, quæ est frigida & sicca tanquam aqua quædam spissa seu frigida & sicca, quippe ex qua omnis fere humiditas exhauritur: Huic proxime succedit sphæra humiditatis quæ est aut frigida, elementum aquæ communiter dicta, aut calida & humida quam vulgariter aerem vocamus. Tum postea sphæra ignis sequitur, quæ est quasi calida & sicca aqua, ita vt calida & sicca hæc aqua sit nihil aliud nisi quædam spirituum cæli ignei vel empyrei fœx: sphæra autem humiditatis crassior spirituum cæli ætherei vel medii portio, qui in tenebris fuerunt inclusi, atque huius sphæræ pars calida & humida est basis æthereæ partis, quæ supra sphæram solis est, eiusque portio frigida & humida est densior pars spiritus qui intra solem & sphæram aquæ natat, Ob hanc itaque causam in primæ secundæ & tertiæ diei creatione expressi figuras folio 55. 88. 63. 66. & 69. relatas, vnde gradus tenebrarum eluescunt quatenus scilicet in mensura & proportione illæ versus centrum mundi descenderint, vbi stabilitæ sunt eo scilicet loco, quo etiam nunc commorantur, tertio die quando terræ nomen illis inditum est.

Caput IV.

Extractio quinque elementorum ex mundi maioris chaos: eorundem cum elementis ex nostro exemplari extractis applicatio: Rationes Autoris eius inuentionem pyramidis tam materialis quam formalis concernentes, vt & modus harmoniæmundi, & denique quomodo sol ex terra extractus fuerit, hoc in loco explicantur.

IN secundo præsentis huius tractatus libro perfectam quinque elementorum ex paruo nostro chaos extractionis vegetabilis Grani rationem ignis terrestris violentia declarauimus. Eodem plane modo cæ-

lestis

lestis lux, immediate à spiritu Dei prosiliens, ex triplici chaos, quinque mundi maioris elementa, virtute circulatiua & re Verberatiua procudit, Modum autem quo vnumquodque quatuor istorum elementorum sublunarium à massa tenebrosa & à reliquis elementis separatum fuit, cum vera in eorum partitione operandi ratione, inuenietis in libro secundo voluminis mei physicæ macrocosmicæ, cap. 11. fol. 63. inter quæ illud ignis supremo loco gaudere cernitur; quod tamen omni dubio procul vltimum ex nigra terræ massa emicauit, atque emersit, prout demonstratum est à nobis tum in experimẽto nostro extractionis ignis ex nostro chaos; tum etiam in cap. 12. fol. 64. 66. positionem terræ tenebrosæ declarante: Vbi id demum se ipsum in propria sua natura singulis reliquis elementis iam diuisis & à sua mole extractis manifestauit; Tum & caput 13. fol. 66. 68. describit rationem atque characterem sphæræ humiditatis, quæ natura duplici ex massa deformi promanare videtur, vtraque simul iuncta, nimirum aqua scaturiens primo ante aerem, ac postea aer cum aqua commixtus. quem sequitur ignis velut modo dictum est; Hic itaque locus illa elementa aliquantulum confusa atque perturbata & immunda exprimit in prima sua apparitione; at vero figura fol. 69. eadem purificata & complete in naturali sua sede mediante vinculo quintæ essentiæ discriminata atque disposita depingit; Vltra autem hæc omnia, sicut in parua nostra operatione quintam essentiam seu grani scintillam ex centralis chaos nostri solis sphæra vltimo loco post omnia exilire deprehendimus, ita etiam verisimile & probabile est igneum & spiritualem solis globum in mundo maiori demum post chaos in centro vniuersalis machinæ vel structuræ stabilitum emersisse, atque in cælum fuisse sublimatum, atque hoc experientia in nostra hac operatione confirmat, in qua inuenimus primum elementum, aquam videlicet, primo è tenebroso carcere esse liberatam postea secundum quod erat aer, tum ignis qui erat tertium, tandem quinta essentia quartum, ac denique terra, quæ erat externa prædictorum omnium fundatio, ita vt inueniamus quintam essentiam vel quintum elementum (cuius præcipua habitatio in centro seu corde medij cæli est) vltimo ex magni & generalis chaos vtero fuisse extractum. Et profecto si modo notauerimus, quomodo mundi maioris sol à Moyse antistitum & sophorum facile principe & patre, post terræ positionem & aquarum limitationem factus fuisse dicatur, clarissime percipiemus, hoc eius mysterium ad eundem scopum meum tendere, sic enim ratiocinari cogor. Cũ creaturæ primi cæli creatæ sint primo die, & creaturæ infimi cæli cuiusmodi sunt mineralia & Vegetabilia die tertio sint factæ, quæ nam fuit ratio, cur creaturæ medij cæli quarto demum die procreatæ fuerint, nimirum sol, Luna & reliquæ stellæ? Ego respondeo, Deo super naturali ita visum fuisse, vt terrestre hoc chaos secundum naturalem suam positionem ederet seu pareret naturalem Dev m, vel splendidam naturæ lucem, in tenebroso chaos occultatam ad viuificandum temporali modo mundum, & ad producendam multiplicationem in compositis sublunaribus, qui in quarti diei principio subleuatus fuit in cælum. Neque impossibile hoc mundanis nobis videri debet, cum ex terra prosiliat ipse supernaturalis & spiritualis Dev s, quo inuisibiles animæ & spiritus in sua essentia præseruantur, Nam in sacro textu reperitur hoc, *Aperietur terra & pariet saluatorem*, Atque hic spiritualis & supernaturalis Dev s, muisibilis filius Dei patris, (sicut mundanus Sol à Platone visibilis Dei filius vocatur) dirigit & gubernat à sole sursum versus, per consonantiam Diapason spiritualem & inuisibilem, sicut visibilis sol per similem visibilem & materialem deorsum versus operatur. Ad quam rem pertinentia inueniet, qui se immerget in harmoniam nostram mundanam physicæ nostræ historiæ lib. 3. cap. 3. Et quantum ad figuram formalis & materialis Diapason Vid. fol. 90. Porro etiam materiam hanc fusius in 6. & 7. cap. libri primi Macrocosmi mei explicaui, vbi rationes satis validæ cum figuris rem istam confirmãtes adductæ sunt; Vtide mihi quidem proposui in hac mente & opinione perseuerare. Vsque dum rigidi & violenti huiusmodi demonstratiuarum opinionum reiectores, rationes solidiores fortiori experientia stipatas, quam à me in medium productæ fuerunt, adduxerint.

Nunc igitur quantum ad corpus solis maioris mundi attinet, inuenimus illud nihil esse aliud præter spiritum condensatum, vnde philosophi id *Densiorem sui orbis partem* definiuerunt, esse etiam flammis lucidis vndiq; illuminatum omnes cernimus, qui eius radij sunt tanquam agentia, quæ generaliter in spiritu mundi huius visibilis operantur. Et quia illud corpus lucidum videmus in ipso medij cæli centro collocatum, Dev s autem ipse formarum omnium fons & origo à propheta Dauid *in summo cælo habitare* dictus sit, hoc est in summa puritate, cum vero è regione infecta terra; quę est grossa & magna materiæ massa vel mater; in infimo centro collocetur, ita vt fons formæ ab illo materiæ oppositione spatij diametralis differat, in cuius medio sol cõstitutus est, infallibiliter ergo sequitur, solem æqualiter participare de forma & de materia, nimirum de spiritu materiali deorsum respiciendo, & luce formali sursum speculando, Atque hæc est ratio, cur antiqui philosophi tantum verborum fecerint de sphæra æqualitatis in qua sol circum agitur atque alij de spliæra animæ mundi quam rationibus sapientum philosophorum approbaui *lib. 4. cap. 10. Macrocosmi*, earumque veritatem demonstraui figuris & conclusionibus, fol. 81. 89. 90. 165. explicatis. Atque hæc illa est, cuius mentionem feci in sole meo centrali quem ex chaos meo artificiali elicui: Nam (quemadmodum dixi) inueni putum & limpidum spiritum, christallo similem, radijs lucidis totum irradiatum, ita exquisite proportionatum, vt spiritus proportionem lucis non excederet, neque formalis lux materialis spiritus mensuram superabat, verum appetitus spiritus actu lucis sibi requisitæ videbatur exaturatus, vnde fit vt immortalitate insignita sit huiusmodi substantia, & ad vitæ sustentationem conferat. Ex huiusmodi ergo substantiæ obseruatione percipiebam, quid philosophi per sphæram æqualitatis intelligant; quod quidem me vlterius ad extremitates huius mediocritatis quærendas impulit, vt scilicet eadem opera rationes

tiones excellentis actionis & passionis vitæ iuuestigarem. Geometrica itaque inquirendi ratione inueni terram esse fontem materiæ & passionis, eo quod crassissimam materialis substantiæ fundationem illam esse deprehendi, cuius rei veritatem eo magis & luculentius percepi, quia Aquam, elementum ei loco & natura proximum ea tenuius, & leuius, & magis perspicuum esse obseruaui, deinde aerem aqua, atque etiam ignem aere, ac tandem viæ consequentiæ colligebam, quod eadem proportione æther seu cæli stellati substantia tenuior elementari igne esset, ac deniq; quod intellectuale vel empyreum cælum esset omnium tenuissimum, vt pote cuius substantia ob immediatam DEI præsentiam nihil est aliud quam tenuissimus mundi spiritus in ignem & lucem conuersus, nam in hoc cælo lux primo die creata est; Iam vero quoniam nulla creata materia vel spiritus potest esse in DEO, ingenue & libere asseruimus, quod materia in hoc loco necessario vtpote DEO contiguo tanquam in vnitate vel puncto materiali desinat ac terminetur, ac si quis diceret *Non plus vltra*, Quocirca perspicimus materialem progressum ex opaco terræ fonte, sursum versus, esse instar flammæ ignis, quæ quo altius ascendit, eo magis acuminatur, & in apicem redigitur, Atque hæc causa est, cur vniuersum materiæ scopum seu fundamentum in terra iacens in formam pyramidis reduxerimus, cuius basis in terra vtpote spissiori materiæ portione collocatur, conus vero ipsum DEI thronum contingit, atque hanc pyramidem vocamus materialem, aqueam, & passiuam pyramidem. Iam vero quia sedes DEI dicta est esse in cacumine cœlorum, in summo cælo, vel cælo cælorum nimirum vbi punctum semidiametri terræ seu centro oppositi in mundi circumferentia terminatur, percipientes insuper actum DEI in creatione proportionatum esse, & æqualiter ad humidæ materiæ passionem se habere, pyramidem aliam positione illi materiali contrariam effinximus, nam eius basis est tanquam continua vel contigua DEI præsentiæ, videlicet in fabricæ circumferentia, eius vero conus deorsum versus vergit, ad pyramidis materialis basin, seu fabricæ macrocosmicæ centrum, seu meditullium, haud secus quam conus materialis superius illius formalis basin attigit, Et quod hoc in ratione ita se habeat, hoc modo eliciebam, quia nimirum DEVS dictus est fons omnis lucis, postea cælum proxime illi subiectum, in quo immediate elucet à suo splendore dictum est Empyreum, vel igneum, postea medium cælum vocatum est æther quasi igneus aer, quia aer & ignis æqualiter sunt proportionatæ, postea experientia percipimus effectum lucis in inferiori cælo esse debilem, ita vt materiæ appetitus nunquam satietur, vnde veterem formam in nouam permutare assidue cupit, atque hæc causa est alterationum in inferiori cælo. Hinc taque effectum lucis virtutem suam sensim & gradatim in descensione sua remittere, & in actu suo decrescere cernimus, idque ob materiæ inferioris dominium, quæ restinguit & coercet eius vim, non aliter quam lux corpulentiam & resistentiam materiæ, quo magis in altū se eleuabat, efficacia & vi sui in superiore regione dominii mutilabat. sequitur ergo quod sicut massa humidæ materiæ ad formam pyramidalem reduci potest, quæ vocatur pyramis materialis, ita etiam lucis molem in mundo à præsentia DEI è tenebris seu potentia in actū elucentis emanantem in formalem pyramidem reduci posse, quæ in descensu suo materialem illam ascendentem æquali proportione dissecare & diuidere cernitur, ita vt vbi concursus & intersectio illarum facta est, ibi videatur esse sphæra æqualitatis, vel animæ mundi maioris sedes, in qua sol cursum suum diurnum conficit, Hypotyposes & rationes duarum harum pyramidum, sibi mutuo obuiam venientium, vna cum illarum intersectionibus ad viuum expressæ sunt in dicto meo libro fol. 105. 18. 84. 89. & 90. Et quomodo hæ duæ pyramides non Geometrice sed physice sumendæ sint, sufficienter rationibus & demonstrationib. declaratum est fol. 76. Quoq; faciliorem vobis hanc pyramidalem meam doctrinam reddam, vniuersam meam in iis intentionem peculiari libro exposui, quem in technicæ microcosmi mei historiæ fine reperietis inscriptam, *De speculatiua pyramidum Metaphysicæ & physicæ scientia*. Totam igitur doctrinam illam quam de duabus hisce pyramidibus inuenimus, ab istius mediæ substantiæ speculatione collegimus, vtpote quæ exactæ & complete in luce & spiritu temperata est. Et sicut ratio ipsa nobis dictat, neminem sibi imaginari posse mediū, nisi habita ratione ad duas extremitates, non aliter quam in Arithmetica videmus numerum binarium dari non posse, nisi duabus eius extremitatibus, vnitate nimirum & ternario ponderatis, ideo, modum inueniens ego in semi diametro orbis Naturæ, illico extremitates eius dimensus sum, faciens semidiametrum mathematicum axem seu lineam centralem vniuscuiusque harum naturæ pyramidum, nimirum tam materialis quam formalis. Super has igitur rationes tanquam fundamenta stabilissima & tutissima philosophiæ meæ structuram imposui, ad refutandos rumores illos qui doctrinæ meæ fundamenta ideo erronea vtpote noua esse passim sed inconsulte vulgi ignorantis more sparserunt, sed hortatos velim insolentes hos censores, manum calamo admouere & confutare ea quæ à me proposita sunt, vt sic omnes iustitiæ alis innitentes illos iuxta & me quales sumus perspicere possint, eoque magis de nobis & erroribus nostris dextre iudicare discant.

Vltimo, ratio vegetationis & multiplicationis plantarum à me in primo macrocosmi mei libro descripta, vt etiam sensibilium & vitalium spirituum in animalibus in cap. proxime sequenti expressa, plene demonstrata est secundo cap. libri pr. huius tractatus & quarto cap. secundi libri & specialiter in tertio illius experimento. Atque ita vniuersum cursum visibilis naturæ in mundo maiori contemplati sumus in hoc exiguo vegetabilis creaturæ subiecto, quocirca progrediemur, & demonstrabimus quomodo id ad vsum microcosmi vel mundi nostri minoris demonstratione applicauerimus.

Secun-

Secunda Pars

LIBRI TERTII

MICROCOSMVM CONCERNENS.

CAPVT I.

De Homine.

NVNC vt concluſionem hanc noſtram experimentalem ad hominem eiuſque partes applicemus, id eſt ad eius externum & viſibile primo & tum poſtea ad internum; dicimus corpus humanum quod eſt eius externum terræ tenebroſæ & opacæ eſſe applicandum, vtpote quæ pars abſque partium ſpiritualium in illam infuſione animæ nimirum (quæ à cælo ſuam originem & eſſentiam ducit) maioris exiſtimationis & validitatis non eſt, quã exanimata noſtra terra antea allegata, caput nimirum mortuum, vel fæculentæ noſtri chaos reliquiæ: quomodo autem corpus hoc humanum merito appelletur terra, ſecundo capite libri mei quinti de microcoſmi hiſtoria fol. 100. oſtendi, vbi ſimul probaui, quod quamuis terra nuncupetur, tamen in ſe quoque contineat elementa aquam, aerem & ignem, ad compoſitionem perquam neceſſaria; Poſtea quemadmodum in hoc ipſo tractatu lib. 2. cap. 9. ipſos Platonicos ſtatuiſſe aſſeruimus, animam eſſe in ſpiritu, & ſpiritum in corpore; ſic etiam in quinta noſtra eſſentia videmus modum, quomodo viuificantes lucis radij (quæ eſt vera illa anima de qua Platonici intellexerunt) mediante limpido & claro ſpiritu tanquam vehiculo ſeu patiente ei optimè à Natura adaptato, in corpus introuehantur, Atque hinc ſpiritus hominis à ſapientiſſimis philoſophis vehiculum vel curriculus animæ appellatus fuit: & quia ſpiritus tam arctè animæ inuiſibilibus naturæ iuncturis deuinctus eſt, ſæpe numero pro anima vitali ipſa ſumitur. Hinc ab Apoſtolo dictum eſt, *Potens eſt gladius* DEI, *gladius agens vſque ad diuiſionem animæ à ſpiritu*, nemo enim præter ſolum DEVM hæc duo ab inuicem ſeparare poteſt; de hac itaque anima & ſpiritu cum eorum vnione & diuiſione fuſe in libro 13. de phyſica macrocoſmi mei hiſtoria cap. 1. & 2. vt & in lib. 12. cap. 14. & diuerſis alijs locis huc pertinentibus, mentionem fecimus. Iam vero quomodo ſpiritus vitalem lucem in ſe tanquam oleum lampadis flammam ſuam portans, in corpore operetur, ſufficienter in libro 8. capite octauo expreſſi, vbi primo loco demonſtraui ſpiritum hunc eſſe verum vniuſcuiuſque creaturæ tam animalis quam vegetabilis humidum radicale, & quod principalis eius ſedes ſit in corde, & ob hanc cauſam cor deorſum pẽdet, tanq̃ pyramis formalis ob figuram lucis viuificæ inuiſibiliter in eo laritantis & operantis. In illo etiam loco ſpiritus in corpus deferendi rationem ex Mercurii Triſmegiſti authoritate deſcribo; qui in hæc verba loquitur: *ſpiritus in venas, arteriaſque, ſanguinemque diffuſus, animal vndique ciet, molemque corporis ſuſpenſam tenet, atque circumfert; anima in ſpiritu, ratio in anima, & mens in ratione*, Tum & quid ſit anima viuifica ibidem in capite proxime ſequenti retulimus, nimirum *ſcintilla quaſi lucis cæleſtis, quæ à ſuo proprio chriſtallino liquore ſpirituali nutritur*; De operatione huius animæ, eiuſque potentiæ gradibus in corpore vnius cuiuſque animalis creaturæ abunde cap. 5. dicti libri egimus, vbi copiam vitalis lucis in hoc ſpiritu eſſe agilitatis corporis cauſam indicaui, Sic & in cap. 3. dicti libri animam hanc (quam in æthereo quaſi ſpiritu fluctuantem finxi) tanquam animam mediam, vel mediam animæ humanæ regionem eſſe declaraui, vbi ſimul rationem notaui, cur animal ſæpe immortale appelletur, & ſæpe viciſſim nuncupetur mortale, Et tandem quod ad proprietatem eius in corpore humano attinet, pluribus deſcripta legere poteſtis, hocque ample in ca. 1. eiuſdem libri; Hic itaque eſt ille Naturæ actus, mundanus vel cæleſtis ille radius, de quo in cap. ſexto. libri tertii eiuſdem voluminis verba feci, quem ad vitam tam hominis quam cæterarum creaturarum perquam neceſſarium eſſe aſſeuerauimus, quippe qui eſt celſiſſima viſibilis mundi eſſentiæ portio, quæ eſt tanquam lucidiſſimæ ſplendentis maſſæ ſolaris pars ſeu ſcintilla, in ſpiritu ad talem gemmam recipiendam digniſſimo natans, in qua quidem mixtura ad vitam conducente, vt lux benevole agit ad vitam, ita ſpiritus ſuauiter & naturali amplexu paſſiones eiuſdem recipit.

Caput II.

De Naturali facultate, & quod omnis vegetatio ab Hepate procedat, similiter de spermate vel Hepate hominis.

NArraui vobis in experimentali mea operatione, nimirum in libro secundo, & capite secundo istius præsentis tractatus, principalem & immediatam vegetationis causam ab aere proficisci, vbi experimentum vobis hoc idem probandi gratia in lucem produxi; sic quoq; euidens est ipsam aeream partem in nutrimento sanguinem procreare, virtute cuius vniuersa corporis humani massa vegetatur ac augmentatur, vbi contra illa deficiente, hæc tabescit ac flaccescit, atque hinc inde manifestum est, naturalem facultatem principaliter ab hoc elemento mixto cum portione animæ quintæ essentiæ, à me supra adductæ, foueri atque sustentari. De hac vegetabili vel aerea essentia sufficienter in capite septimo libri noni de physica Macrocosmi mei historia sermonem ieci, vbi aeream experimenti mei partem ad hoc negotium apte applicaui, & omnes innaturali hac facultate actiones manifeste explicaui. Et quamuis à nonnullis statuatur, sperma esse spumosam & superfluam tertiæ concoctionis partem, nihilominus certus sum & fideli experientia instructus, centralem & principalem spermaticæ massæ partem esse æthereæ & vitalis naturæ, de qua antea aliquid verborum fecimus, & quæ de hoc subiecti huius puncto dici possunt, in tertio, quarto & quinto capite lib. 11. de physica macrocosmi mei historia pleniusatque etiam luculentius in Anatomia mystica locuti sumus; concludimus ergo quod hæc naturalis facultas sit actus ille in aereo spiritu, cuius mentionem fecimus in cap. 7. lib. 3. eiusdem Microcosmicæ meæ historiæ; vbi non absque iusta ratione illam radium elementarem vocaui, & subiectum animæ sensitiuæ, vel basin vniuersæ fabricæ animæ humanæ.

Caput III.

Quod inuisibiles seu spirituales animæ humanæ partes super illas visibiles tanquam fundamenta & bases corporeas extructæ sint, Ratio etiam descensus animæ in corpus humanum hic disceptatur.

SIcut in experimentali nostra demonstratione visibiles vegetabilis & animalis animæ portiones in subtili totius illius spiritus substantia consistentis, qui est inter solem cæli & tenebrosam terram, ex qua corpus formatum est, oculis corporeis intuiti sumus: ita & spirituales atque inuisibiles animæ partes oculis intellectus speculari nos decet, atque hã à visibili solis corpore vsque ad materiæ conum cum Deo ipso cõtiguum ascendunt, quocirca, sicut in aere æthereus spiritus, tanquam in suo vehiculo portatur, & in hoc spiritu æthereo anima lucida tanquam in vehiculo vehitur, quorũ omnium fundamentũ est opaca terra, ita anima hominis est rationalis vel intellectualis spiritus basis seu vehiculum in quo mentis radii inuisibiliter se balneare & lauare gaudent, Porro & in centro mentis Dei essentia habitat, Et hoc est illud ipsum, quod Mercurius Trismegistus nobis hisce inculcat verbis, *Verbum in mentem, mens in rationem, ratio in animam, anima in spiritum, atque hic in aerem, & deinde hæc omnia per mare aereum deorsum subterlabentia, cum illo & in illo tanquam vltimo vehiculo in corpus transferuntur*; vniuersam huius in corpus humanum descensus methodum in libro tertio capite octauo physicæ meæ Microcosmi historiæ descripsi, vbi hæc continentur, *Quibus vehiculis aut per quæ media luces cuiuslibet cæli animam humanam constituentes corpori iunguntur*; & in tertio capite libri eiusdem quarti, quod hæc continet, *Qua harmoniæ mundanæ virtute, Mens ad corpus suum opacum allicitur?* In fine cuius capitis, etiam hieroglyphica demonstratio cum harmonia, descensus animæ in corpus expressa est. Et in quarto capite dicti libri, vbi legunrur hæc; *Quomodo mens & intellectus à superiori per vniuersum mundum inferiora versus ad centrum vsque penetrans mysteria cuiuslibet cæli animaduertat, & de natura ac dispositione cuiuslibet cæli participet, & ipsorum virtutes secum in hominem mundanum introducat?* Ita & in cap. 2. lib. 8. quorum sensus hic est, *Quomodo anima media cum sua domina mente, mediante spiritu æthereo in corpus infundantur?* Hæc igitur est mens illa, à cuius possessione homo ire imago Dei vocatur, prout pluribus descriptum inuenitis in cap. 5. libri tertii Macrocosmi mei, Quantum attinet ad excellens hoc animæ humanæ caput, reposuimus id in capite quarto libri tertii prædictæ historiæ, vbi ego voco illud radium supercælestem, & actum Dei, sicut etiam in toto libro septimo eiusdem subiecti, & in diuersis locis operis mei Microcosmici, vbi demonstraui partem mentalem esse vnitatem interni hominis: & licet Mercurius Trismegistus affirmet, quod *verbum sit in hoc mentali radio*, nihilominus tamen opinio mea est mentalem hunc radium esse verbum ipsum, cum sit emanatio immediata à fonte vnitatis & lucis, quod ego in libro supra à me citato probaui nullo modo pati in se ipso posse, vnde, & quia etiã est emanatio prima à patre, demonstraui illud esse Messiã vel virtutem Tetragrammaton, q videtur confirmari per illud D. Iohannis. *In ipso erat vita, & hæc vita erat lux hominũ, & hæc lux lucebat in tenebris, & tenebræ non cõprehendebant illã*, sed & hoc in historia nostra Cabalistica luculentius explicatur. Infinita circa hanc materiã possem proferre, & literis mãdare, at hoc nõ est intentionis meæ scopus, quippe q mundo declarare nititur, quomodo ppriatũ alarũ meatũ remigio elatus huc vsq; prigerim, & q in mea restat potestate, p qualibet re à me in

scriptis meis tam Macro quam Microcosmicis allegata, testimonium experimentale perhibere; quid autem demonstratione oculari certius? Atque ita breui huic tractatui finem imponam, qui licet minime prima fronte intelligentibus, aut ignorantia obfuscatis, atque etiam momis; aut ingeniis nonnullis mercurialibus ad temerariam censuram procliuibus ridiculus forsitan propter subiecti generalitatem videri queat, Lectores nihilominus monere mihi consultum est, ne leui (vt aiunt) pede res obuias & communes transgrediantur, nam quamuis illi externa illarum integumenta dignoscere & discernere queunt, tamen thesauros in illis reconditos detegere & apertis oculis intueri valde arduum videbitur. Hæc enim est ratio cur stulti res, quas nunquam viderunt, ita naso suspendant, pro impossibilibus illas iudicantes, quasi vero ad capacitatis illorum modum ita extensa sint omnia; vt debeant iure ipso vel belluino ipsorum sensui manifesta fieri, vel simpliciter in rerum natura existere posse prorsus negari. Sapientibus mysteria occulta conueniunt solis, manifesta & vulgaria tam stultis quam sapientia mundana intoxicatis, Illi cum reuera sint docti & in mysteriis Dei & suæ naturæ optime versati; à mundo pro fatuis, vtpote qui seipsos mundo reuelare nolunt, habentur; hi cum reuera sint mera insipientia obruti, pro doctis & sapientibus falso à vulgo habentur, quippe qui præstigioso more videntur prudentes cum reuera omnium sunt stolidissimi; sic enim in vanitate transit gloria mundi; nam quicquid est sub sole præterquam vera Dei cognitio est vanitas, iuxta illud sapientis, *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.*

FINIS.

SECTIO-

SECTIONIS I.

PORTIONIS III.

Pars Secunda.

De

VVLGARI MICROCOSMI ANATOMIA.

In diligenti trium corporis humani regionum inspectione particulariumque eiusdem inquisitione consistens.

Quippe in cuius regione

- *Infima seu elementari, omnes ipsius abdominis partes diuisim explicantur.*
- *Media seu cœlesti, quodlibet Thoracis membrum separatim æquali diuisione enucleatur.*
- *Suprema seu supercœlesti; quæ capitis & cerebri sunt; scalpelli acie, spiritualia verò verborum filo reuelantur.*

TABVLA INTEGRVM PARTIS HVIVS Secundæ ſubiectum delineans.

- Distinguitur Anatomia ventris ſeu regionis
  - Infimæ, in quinque libros, quorum tractat
    - Primus, De partibus continentibus communibus.
    - Secundus, De continentibus propriis.
    - Tertius, De peritoneo & partibus immediate ſub eo contentis.
    - Quartus, De partibus in eius centro apparentibus.
    - Quintus & vltimus, De partibus in eius profundo ſubmerſis.
  - Mediæ, in libros quatuor quorum
    - Præcedens
      - Agit de propriis
        - Oſſea
        - Carnoſæ
        - Membranoſæ
      - } Substantiæ continentibus.
    - Conſequens
    - Conſequenti proximus
    - Vltimus, circa contenta omnia verſatur.
  - Supremæ, in libros tres quorum tractat:
    - Prior, de partibus propriis continentibus
      - Externis
      - Internis
    - Medius, De cerebro & eius particulis.
    - Poſtremus de oculo & eius organis.

PROOE-

PROOEMIVM.

CAPVT I.

In quo variæ Anatomistarum, priusquam in directam praxis suæ seriem coincidant, perorandi formulæ tractantur; Atque etiam Authoris hac in re methodus, eius ratio, simul atque exemplar explicantur.

VEDICORVM fere omnium mos est atque consuetudo satis laudabilis, vt priusquam in publicæ Anatomiæ semitam ingrediantur, orationem quandam tam ad animos auditorum attentiores & paratiores reddendos, quam vt subiectum præ manibus tractandum, munda quadam huiusmodi oratione præeunte, gratum magis efficeretur. Verum enimuero in orationum suarum subiecto mirifice ab inuicem discrepant artistæ, vtpote quorum nonnulli ad solam corporis humani structuram; orationem conuertunt, alii vero corporum perfectiones & symmetriæ laudes, alii Anatomicæ artis antiquitatem atque excellentiam, alii denique Anatomistarum tam veterum quam recentiorum encomia &c. verbis quidem concinnis celebrare gestiunt, cum tamen (vti mihi videtur) nihil Anatomicæ artis præludio magis conueniat, nihil cadaueri dissecando honorabilius aut magis glorioſum accidere possit, quam vt dominæ suæ (animæ scilicet illud olim incolentis) prosapia, essentia regimen seu proprietates (ei; dum illud inhabitaret concurrentes) ac tandem fugæ & liberationis illius ratio, summa Oratoris argutia, verbisque satis ornate prolatis auditorum animis & auribus propalentur. Nam quis obsecro in philosophia bene versatus, rei naturalis effectus; ignoratis ipsorum causis intrinsecus agentibus; aut inspicere aut affectare gestiet, cum illi sensui & per consequens belluis familiares, hæ vero intellectui interno scilicet hominis principio subiiciantur. Et quis per insigne aliquod palatium transeundo; eiusque admirabile artificium admirando, in tanti ædificii dominum, licet absentem, non inquirat, atque eius statum, conditionem, stirpem denique, cognoscere non laboret; quare rem ignorantiæ flagello castigandam putamus, si quis in Anatomiæ corporalis seu hominis externi mare, temere, hoc est nulla hominis interni mentione facta, se immergat: Cum sola anima (voluntate diuina) diuersorii huius microcosmici sit opifex, eius digitis palatii istiusmodi nobilissimi organa faberrime sint condita, & tota domus hæc visibilis, ad inuisibile spiritus sui specimen arte admirabili fabricata. Ad corporis autem & partium eiusdem laudes, exactamque & symmetricam earum proportionem, similiter ad Anatomiæ & Anatomistarum excellentiam & dignitatem quod attinet; quid obsecro opus est commendatione in Anatomiæ præfatione. Cum ipsa praxis dignissimam humani corporis partium præcellentiam, illarum admirabilem in corpore iunctura, symphoniacam earum dispositionem atque situm, ac tandem vtilitatem in animæ dominæ suæ functionibus perficiendis luculenter satis spectatoribus exhibitura sit. Præterea per exquisitum Anatomistæ experti artificium laudibus se ipsa satis extollet scientia, prose (inquam) loquentur cum partes humani corporis æqualiter diuisæ atque demonstratæ, tum ars illa Anatomica, directione cuius huiusmodi partium dissectio perficitur, Animæ igitur in corpus lutosum descendendi formulam, atque eiusdem in diuersorio degentis conditiones, ac tandem à suo tabernaculo separandi atque discedendi rationem, ego in orationis Anatomiæ præmissæ serie (Anatomiæ prælectoris officio fungens, Londinensi in medicorum collegio Anno 1620.) huiusmodi sermonis contextu enarraui.

ORATIO.

VT ferenda non est inuidorum & maleuolorum insolentia, quotum è numero, Deus mihi melius, quam vt quispiam hodie in solennem hanc sapientum congregationem latenter atque inscientibus nobis irrepserit: ita ego vos (Præses summum in Medico magistratu gradum tenens, & dignitatis & imperii: Doctores & collegæ artis medicinæ peritissimi: Nobiles, quibus originis inclytæ fundamenta gloriam fecerunt; omnesq; in genere auditores tam doctrina quam beneuolentia ornatissimi) per commune ius humanitatis, in officio sanctæ bonitatis vestræ manearis, rogo obtestorque. Et quamuis præcursoribus hac in arte meis me nulla ratione coæquandum merito sentiatis, quippe qui ærumnabili mysterium anatomicum labore, quotidiana aliorum experientia præeunte aggressi, sedulo excoluerunt; vt tamen aliquid hodierno die in proscenium hoc medicum coram vobis producatur, quo aures vestræ bibulæ, oculique nouitatis forsan auidi quodammodo permulceantur, famigerabilis me iubet monetque huius collegii, quam publice gratissimo huic Doctorum cœtui per annua reuerticula celebramus, consuetudo, suauisque me vrget suadetque vestrum erga me mansuetudo.

En ergo & ecce præfamur veniam, si nonnulla in hac anatomiæ administratione, vel erroris exerti, vel

ſcientiæ claudicantis veſtigia, acerrimum alicuius veſtrum obtutum aureſue politas penetrauerint. Sed priuſquam aulæum palatii iſtius deſolati tragicum (colore licet candidum) dimoueamus, aut ſiparium larualis eiuſdem ſimulachri ſcenicum complicemus, vobis diuinæ dominæ, illud olim incolentis proſapiæ, eſſentiæ, in tale diuerſorium deſcendendi ordinis, œconomiæ in eo legum, ac tandem fugæ: palatio, carnificis impulſu, iam violato, rationis; tanquam intemeratæ veritatis documenta, perlucida reddere, ſic Exordior.

Mentem ſacroſanctum Dei ſpiraculum, præclaram parentum diuinorum propaginem, omni decore adornatam, Sanctæ Trinitati aſſimilatam, æternæ gloriæ coæquatam, ad beatitudinem in ſe ordinatam, legitimamque ſaluationis hæredem; Hanc (inquam) creaturarum pulcherrimam, ſuper excelſa mundi cacumina in toro tenuis roſidiq; ſpiritus dulci recubantem, omniq; gratiarum choro atq; famulatione angelorum ſtipatam; mitis aura molliter ſpirantis Zephyri; ſuo tranquillo ſpiritu deorſum vehens; paulatim per devexa excellæ vallis mundanæ ſubditæ, amæniſſimo paradiſi terreſtris hortulo leuiter delapſam, reclinat. In medio cuius proceris & vaſtis admirandæ conditionis arboribus conſitis meditullio; vbi pariter inter cæteras gratas herbulas Roſæ virgines matutino rore fluebant; pennigera hæc æterni conditoris proles, dulcis & mellita microcoſmi anima, fontem chryſtallino ſpiritus vitalis latice placidum proſpexit: prope cuius adlapſum domus quædam regia eſt ædificata, non humanis manibus, ſed diuinis artibus: palatium dico nobile, ex terra argillaue pretioſa in imaginem humanam factum, quod diceretis intuitu primo Dei cuiuſpiam luculentum & iucundum fuiſſe diuerſorium. Et certe templum Spiritus Sancti teſte ſcriptura ſacra, erat hoc. Animæ cæleſti vehementer arriſit admirabilis Tabernaculi huius terreſtris diſpoſitio, ac ipſa ſpecioſæ eiuſdem habitudine confeſtim ſumitur.

Iamque illud fidenter inuadit cælicolà, præſentia cuius conclauia etiam interiora; longe lateq; diſpoſita, domus ſine pretio pretioſa; ſplendore proprio ita coruſcat, vt diem ſuum ſpiritualem domus, etiam ſole macrocoſmico nolente, ſibi faciat: ſic fulgentium domicilii cubiculorum color, contra viuificam ſolis huius interni aciem fulgurat, ſic luculenta parietum eiuſdem (anima in eo gubernante) reſplendet claritas. Nec ſecius partes cæteræ maieſtatis domus huiuſce animalis reſpondent, vt illà recte videatur ad conuerſationem diuinæ & incorruptibilis naturæ, cum humana corruptibili, magno cuipiam numini fabricatum terreſtre ad cæleſtis exemplar palatium. Iamque tumore imaginis lutoſæ pectus attolli, iam ſalubris vena pulſare, iam ſpiritu corpus impleri geſtiunt. Rubore iam vndiq; ſanguineo, & calore natiuo perfuſa eſt moles. Facies terreo lurore antea deformata, iam nunc ſpetioſa habitudine, & virginali prorſus verecundia, ac præ pudore quaſi punicare videtur, & micantibus oculis, & rubentibus bucculis, & hiantibus oculis mirum in modum decoratur. Caput reni tentibus crinibus reſplendet, vt & pectus candidis vberibus & flagrantibus papillis quam accuratiſſime exornatur. Atque ita integrum ſignificis ſempiterni opus lutoſum in verum & totum ſpecioſæ pulchritudinis iuuenem conuertitur. Iamque hic ſui periclitabundus, membra paulatim mouere tentat, ac tandem aſſurgit primus Adam, qui formæ ſuæ diuinæ contemplatione raptus, emergit lætus atq; alacer fallaci admodum & fragili terrenorum gaudio perfuſus.

Hac (inquam) ratione anima; quondam libera, & ſplendore ſancto coruſcans; nunc diutinis amore pedicis corpori tenebroſo alligatur: cœlum dico Lucidum, inferiorum amore corruptum, in opacos terræ carceres ſe inopinate; dulcem & amarum guſtulum carpens; immergit: Nam graui hoc nexu terrenam ſortita eſt diſpoſitionem ipſa, & à prolapſa cœleſti ſic diſiuncta, diutinam ſibi miſere intulit obliuionem. Quippe quæ corporeis iam conſopita paſſionibus, perque ſenſibiles palatii ſui formas extra ſe abducta, quid ſit, aut quid fuerit oblita eſt, quoniam nihil aliud ſe extitiſſe recordata, ſe nihil præter quod videtur eſſe pro certo credit.

Inde ergo tam vehementi carceris ſui amore ardet, vt doloribus eiuſdem acriter affligi videatur, quæ per ſe dolere ac pati ignorat: formidat interitum quæ interire neſcit, timet defectum, natura cuius diuina deficere nequit: oculorum ſpeculatione depaſcitur: ſonoris permulcetur auditibus: ſuauiſſimis delectatur odoribus, larga epulatione reficitur. Et licet his omnibus ipſa nullatenus; propter naturæ ſuæ ſimplicitatem; vtatur, graui nihilominus triſtitia afficitur, opideq; ei duplicatur mœſtitia, ſi huiuſmodi domus ſuæ neceſſaria ſubtrahantur. Hinc ergo vitia rationi contraria ſurrepunt, dum anima delectato corpori indulgentius remittendo, locum noſcitur præbere peccato. Sed ex arcano immenſi rerum conditoris decreto exitiale factum eſt inter hęc duo commercium, qui diuinæ ſimilitudinis ſpecimen res groſſas negligere, terreſtriumq; cupidine minime flagrare animaduerrens, illud atra veſte, ſeu terrea domo contectum eſſe voluit, hominemq; hac ratione nobiliſſimam creaturam ex anima cæleſti, & corpore terreno; tanquam æterna & mortali natura; fabricandum ordinauit, vt animal rationale ita conformatum, vtriq; origini ſuæ ſatisfacere potuerit, & mirari atque orare cœleſtia, & incolere atque gubernare terrena.

Iamque anima ſic incluſa, interna merito definitur hominis externi effigies, cui ſuprema quidem ſapientia eſt guſtus, intelligentia viſio, mens oculus, ratio aſpectus, & ipſa ratiocinatio obiecti inquiſitio, potentiæ tres quibus operatur, concupiſcibilis, iraſcibilis, & rationalis, quarum priori appetit & amat, media contemnit & odit, atque poſteriori inter vtramque priorum diſcernit. Affectus quatuor, cuiuslibet tam virtutis quam vitii fundamenta. Gaudium & ſpes quæ à concupiſcibili deriuantur, ab iraſcibili dolor & metus. Gradus deniq; per quos tam ſurſum quam deorſum ſe oſtendit ipſa, ſunt quinq; eius vires, nam mediante ſenſu corpora ſpeculatur, imaginatione corporum ſimilitudines, ratione eorum naturas, intellectu ſpiritū creatum, & intelligentia illum increatum: nam ſenſus informat imaginationem, imaginatio rationem & facit

ſcientiam


ET
DeVS Est omne quod est
ab eo procedunt omnia & iterum
in eum revertuntur:
Omnia Sunt Vnum & in seipsam reflexit ardore.
DEVS est principium & Principium est finis.
Monas generat monadem
Diapason est omnia
intellectualis seu Mentis
Vbi
Infinita TETRAGRAMMATI dimensio: in & extra omnia.
Sanctum
Sanctorum
Pars media auro onata & cum. 7.
Pars Vltima & exterior:
seu Spiritus Cadelabro cucernis
Vnum
Diapason prior seu lux perfectionis prius a Patre emanans seu Filius.
Mens: Ratio Anima lucida
Vita:
Diapason vitalis
Diapason secunda seu lux perfectionis seu Spiritus vbique
Spirit
Corpus Humores
Sanct. Spiritus a Patre & filio
Novem Angelorum ordines in Cælo Empyreo ad quatuor in Diatessaron Vocibus & quinq; Diapente respondentes.
Novem cæli æthe: rei Sphæræ:
Novem mundi Elem: regio:
Hierarchia. z.
Hier. ☽
Cælum Stellatū
Aer
Aqua
Terra
Tonus.
Lemma
Mediet. minor:
Mediet. maior:
Extre: max:
Proportio sesquitertia Consonantia Diatessar:
Proportio sesqualtera Coson: Diapente.
Proportio Dupla seu Cónsonantia Diapason.
Proportio Dupla
Proportio Dupla
Proportio Decupla
Proportio Octupla
Bis Diapason
Diapason cum Diapente
Proportio tripla
Proportio quadrupla seu Consonantia
DEVS est finis & principium.
Deus ∞ seu Aleph
Principium Centrum Aleph tenebr.
Fons Creator.
Fol. 54 ***

ſcientiam quæ & prudentia dicitur, deinde rationem inſtruit diuina præſentia atque ſapientiam producit. Hinc binæ recenſentur vitæ animi actiones, quarum vnius virtute caduca & tranſitoria reſpicit, & ad carnem, mediante ſenſu, inclinatur; alterius conatu in altum ſublimatur, & totis alis euolat ad Deum, & in eo & circa eum verſatur. Atque hæc eſt diuina illa animæ in ſuo diuerſorio gubernantis œconomia, hæ admirabiles politiæ eiuſdem in corpore humano leges, quibus pro libitu ſe ad inferiora & ſuperiora dilatat, & ad cognoſcendum atque contemplandum Deum ſupra ſe, ſeipſam in ſe, Angelos iuxta ſe, & quicquid cœli ambitu continetur infra ſe, diuinitus illuminatur.

Nauis ergo corporea omnibus neceſſariis ſic munita per vaſtum mundi Oceanum vltro citro (magiſtra & duce anima) diſcurrens, vel placide maris viæ conficitur, inque leni clementer vibratur vnda (vita ſiquidem pauciſſimis cognita) aut variis procellarum turbinibus quaſſata periclitatur. Imo vero ipſa, (gubernatricis regiminę amiſſo vel ſaltem neglecto) ad vlterioris infælicitatis marginem detrusa, præceps demergi, morteque inopinata obrui plerunq; aſſolet, nec agilis ille atque præclarus ducis tam diuinæ conatus fortunæ humanæ ſeueritatem anteire poteſt.

En tragicum & laruale iſtiuſmodi conditionis obiectum præ oculis habetis, carnale quondam animæ diuerſorium, in quo ipſa œconomiæ ſuæ leges diu inſtituit atq; adminiſtrauit: at illud crucis ſeu patibuli naufragio, fati truculentia, iam tandem deſtinatum eique ſæua carnificis manu (laqueum ceruici induente, illoq; ad gulam aſtricto ſpiritus officia diſcludente) affixum, clandeſtinis itineribus, relicto lare omnibuſq; priuata terrenis, emerſit anima, & in momento (alis æthereis vecta) in altum aufugiens, terreſtre hoc ſuum palatium, vita & actione, ſed non fabricæ perfectione deſtitutũ in cuſtodia & poteſtate hac noſtra reliquit.

Ecce ergo (ſpectatores ornatiſſimi, qui voluptatem huius ſpectaculi ſatis famigerabilis conſectamini) ego, publicus hodierni iſtius exercitii miniſter, lugubre hoc ſubiectum, colore buxeo vndique perfuſum, in proſcenium medium veluti quandam victimam oculis veſtris præbendam produco, vt curioſo veſtrum videndi ſtudio, officioque erga vos meo hac in re ſatisfaciam. Laruale (inquam) ecce ſimulachrum, pænali mortis luore, & miſero priuationis ſqualore deformatum; Hominem (dico) externũ per ſe ſolum, interno æternum amiſſo atque elapſo, curioſis, ſed & piis atque Chriſtianis oculis arbitramini. Dum ego præcipuus, licèt inuitus huius tragœdiæ actor, ſeu potius lanienæ tantæ non tam inhumanæ quam neceſſariæ, in iſto cauiæ conſepto nunc perficiendæ, autor inuoluntarius, miſerrimum hoc, ſed intuitu admirabile, humanæ fragilitatis exemplar; linteis amiculis intectum; manu officioſa reuelare fidenter me accingam, vt cultello ſeu ſcalpello; cadaueri altiſſime & ad meditullium vſq; demerſo; arcana eiuſdem conclauia, animæ (olim illud habitanti) inſeruientia, ſub vnius vel alterius diei luminis arbitrio recognoſcatis.

DIXI.

QVam quidem perorandi formulam vobis hoc in loco non docendi gratia produxi; vtpote cuius non tanta fuit vnquam in elegantia latina fœlicitas; ſed vt Orationis Anatomiæ præmittendæ ſubiectum debere eſſe hominis internum indicarem, & ſpirituale, quod verbis potius viuis, quam ſcalpello vtcunque dextro ſeu acuto eſt diſſecandum, & conſequenter orationis filo duntaxat deregendum atq; explicandum: Cuius quidem ſubiecti campus vt eſt cæteris amplior atque ſpatioſior, ſic etiam in Anatomia ſtudioſi, illum nunquam ſterilem ſed fœcundiſſimum inuenient, adeo, vt cuilibet orationes ſeu ſermones de hoc ſubiecto varios ſuo more proferre liceat.

CAPVT II.

De Anatomia humana in genere.

PHiloſophorum petitiores, & in medicina optime verſati, auditores ſuos admonere ſolebant, vt fidem quidem certam non libris de Anathomia tractantibus adhiberent, ſed vtillum potius ab ipſa natura inſcriptum ſedulo, oculiſq; ratione gubernatis, idq; crebro intuerentur, quo de rebus ſeu membris in corpore humano ſingulis non bene perceptis, aut antea intellectis rectius diiudicarent, eorumq; ſitus & poſitiones diligenter animaduerterent.

Hanc autem partium humanarum obſeruationem, ipſi deſcriptione multifaria explicandam nobis innuere videntur, earum nomina, origines, ſubſtantias, compoſitiones, ſeu actiones & morbos iis communiter accidentes, atque etiam conſtellationem cuilibet parti præſidentem, explicantes.

Anatomiæ autem vocabulum (vt apud nonnullos inuenimus) ab Ana (quod eſt æquale) & tomia (hoc eſt diuiſio) deriuatur, ac ſi quis diceret Anatomia quaſi æqualis diuiſio, vnde à quibuſdam definitur Anatomia eſſe interiorum maxime atque exteriorum recta & æqualis diuiſio.

Verſatur autem huiuſmodi operationis effectus, vel in corporibus viuis, vel in mortuis cadaueribus, vnde Galenus ipſe libros nonnullos tam de viuorum quam mortuorum Anatomia inſtituit.

Veteres quidem huius rei praxin in ſpecies quatuor, ſecundum membrorum principalium numerum, diuidere ſolebant, quarum vna ad cerebrum pertinebat, cui virtus animalis refertur: alia cor reſpiciebat, quod virtuti vitali inſeruit: tertia hepar amplectebatur, facultati naturali attributum: atque vltima teſticulos, qui vim generatiuam ſummopere reſpiciunt, inquiſitione ſtricta intuebatur, De quibus ordine ſuo & methodice verba (Deo volente) faciemus.

Caput III.

De generali hominis in regiones tres diuisione, illis mundi maioris respondentes.

Generalis inter hanc Microcosmi fabricam atque illam mundi maioris relatio aut in mathematica figurarum similitudine, aut physico plane vtriusque respectu consistit. Et quamuis Geometrica consideratione corpus irregulare videatur; quod tamen in rei veritate sit sphæricum centrumque fixum non aliter possideat, quam & mundus suum, facillime percipiemus, si à generationis tam virilis quam muliebris puncto seu pudendorum sede circinos (semidiametris ab eo ad caput vsq; æqualiter sic extensis) notauerimus: quippe qui locus cum macrocosmi terra, elementorum matrice; spermata eorum atque influentias superiorum procreatrices continente; peroptime conuenit. Hinc liquet ipsorum error qui vmbilicum corporis centrum posuerunt, quoniam semidiametri eius sunt inæquales, quemadmodum experientia videre licet, & alibi in Microcosmi mei historia demonstratum est. Porro etiam comparatione physica caput Microcosmi (vtpote diuinæ mentis atque rationis diuersorium) mundum intellectualem siue cælum Empyreum respicit, vt & eius pectus seu regio media (à cuius centro cor quidē maius Microcosmi luminare, ad quodlibet totius fabricæ membrū vitæ radios eiaculare solet;) cælo macrocosmi stellato respondet, è cuius meditullio tenuissimos spirituum vitalium fluctus vndique dispergit atque emittit Apollo. Infimæ denique regionis eiusdem Cholera, sanguis, pituita, & melancholia in relatione proxima habentur ad quatuor elementa ignis, aeris, aquæ, & terræ in mundo sublunari.

In peculiari autem huius corporis descriptione ab infima eiusdem regione (vtpote putrefactioni magis obnoxia) sermonem meum exordiar, atque ita gradatim & paulatim ad superiora (Deo assistente) contendam.

Regionis Infimæ Descriptio.

Regionis infimæ seu abdominis descriptio in libros quinque distribuitur, quorum

- *Duo priores versantur circa eius partes continentes, videlicet liber*
  - *Primus, circa communes.*
  - *Secundus, circa proprias.*
- *Tres posteriores, ipsius partes cōtentas comprehendunt, nam Liber*
  - *Tertius, illas in eius superficie denotat.*
  - *Quartus, eas in centro apparentes describit.*
  - *Quintus, ipsas in profundo latentes explicat.*

In abdo-

In abdomine quatuor sunt inprimis considerandæ, videl. eius
Nomen quod est apud
Græcos. ἐπιγάστριον,
Latinos. Abdomen & venter inferior.
Arabes. Mirach.
Anglos. The paunch or belly.
Compositio quam consideramus vel respectu
Situs seu positionis, quo modo partitur in portionem
Epigastricam, cuius tres sunt partes, videlicet
Hypochondriu dextrum.
Epigastrium.
Hypochondrium sinistrum.
Vmbilicalem, cuius tres sunt partes
Regio lumbalis dextra.
Vmbilicalis.
Regio lumbalis sinistra.
Hypogastricam, cuius tres sunt regiones
Dextra.
Media.
Sinistra.
Partium eam constituentium, quarum aliæ sunt
Continentes ex quibus pars illa abdominis integralis Mirach dicta conflatur, suntque vel
Communes, quæ sunt 5. numero videlicet
Cuticula.
Cutis.
Pinguedo.
Panicul⁹ carnosus.
Membrana communis.
Propriæ, quarum duæ sunt species nempe
Musculi 8. Abdominis.
Peritoneum.
Contentæ, quæ undequaq; implicantur quasi atq; cõprehendũtur à simplici mẽbrana Peritoneo, harumque aliæ
Concoctioni inseruiunt, suntq;
Omentum.
Ventriculus.
Intestina tenuia.
Vena Porta.
Hepar.
Vena cauæ pars.
Excretioni sunt dicatæ nempe
Intestina crassa.
Vesicula fellis.
Splen. Renes.
Vreteres, Vesica.
Generationi adaptatæ, videlicet
Vasa seminaria.
Testes.
Situs, quippe qui se extendit ab osse pubis ad illud mucronatæ cartilaginis.
Vsus, vt sit commune membrorum tam nutritionis quam generationis receptaculum.

CAPVT

Caput I.

De Epidermide seu cutula.

A superficie autem huius ventris inferioris, eius meditullium versus, paulatim & gradatim descendendo exordiemur, ac primum de cuticula quæ se primum oculis nostris obijcit pertractabimus.

Hæc continentium communium pars se primum oculis obiiciens

- *Nominatur*
  - *Græce, ἐπιδέρμιδα & ἐπιδέρμις.*
  - *Latine, Cuticula.*
  - *Anglice, the scarf skin or chaff skin à similitudine.*
- *Originem videtur habere (iuxta omnium fere opinionẽ) excrementitiam & nõ seminariam. De eâ vero variant Authores nam*
  - *Alii volunt quod à sanguinis efflorescentia oriatur.*
  - *Alii à cutis veræ superfluitate eam nasci dicunt.*
  - *Meâ vero hac in re sententia est, quod à densiori & sicciori aeris per poros inspirati portione, externæ corporis superficiei seu cuti veræ adhærenti producatur.*
- *Substantiam habet valde tenuem, delicatam & porosam.*
- *Figuram possidet telæ aranei, seu tritici aceris (vti nos obseruauimus) simillimam: Nam vt cutis vera se habet ad carnem, ita etiã percipimus furfurem tritici se habere ad farinam eiusdem; similiter etiam cuticula non aliter obseruatur cuti adhærere quam tritici acus furfuri eiusdem. Diuiditur autem à cute vera, sensimque oculis aut medicamento vesicatorio, aut ferro candenti, aut huiusmodi aliis subiicitur, atque elevatur.*
- *Sensu omnimodo est destituta, quippe quæ tam ægritudine affectis quam etiam sanitate præditis (quibus artificioso decorandi mysterio nonnunquam venustatis gratia aufertur) sine sensu & dolore labitur.*
- *Temperie est frigida & sicca.*
- *Vsum habet duplicem nam*
  - *Primum cutim veram (quæ est valde sensibilis) à frigidis aeris externi iniuriis defendit.*
  - *Deinde seroſas retinet humiditates, quæ sine obstaculo huiusmodi, per cutim veram facillime penetrarent, vt in excoriatis euidenter demonstratur.*
- *Morbis afficitur multivariis, cuiusmodi sunt Maculæ, Purpura, Morphea, Ictericia, Perrigo, Papula, Herpes miliaris &c.*
- *Constellationem habet Saturninam.*

CAPVT II.

De Cute vera.

Nomen — Græcum est δέρμα. Latinum, cutis vera. Anglicum The Hide or skin.

Partis huius continentium communium secundæ

- Ortus à densiore seu crassiore seminis substantia ducitur, aut (vt alii volunt) ab ipso periostio.
- Substantia ex fibris omnium generum compacta est, quo facilius se dilatet, atque huiusmodi fibræ à tenuibus neruorum filis deriuantur, vnde fit, vt sensum tam exquisitum sibi vendicet pars ista: Porosa est admodum, nam per meatus illos vapores, sudores atque humores emanare solent.
- Compositio neruosa, venulas exiguas atque etiam arterias capillares sibi acquirit.
- Figura assimilatur furfuri in tritico, vt eius cuticula aceri eiusdem haud improprie supra comparauimus.
- Quantitas tam ampla & spatiosa est, vt vniuersum inuoluat corpus locis tantummodo perforatis (cuiusmodi sunt os, aures &c.) exceptis. Densitate vero est inæqualis, cum sit in capite quam facie spissior.
- Obseruatio in continua solutione, est quod non regeneratur, vtpote quæ pars est spermatica, at verò hunc eius defectum supplet cicatrix quædam vel arte, vel natura inducta, mediante qua vulneris labia conglutinantur.
- Sensibilitas, est apparens admodum, propter compositionem suam neruosam, (vti dictum est) tametsi Aristoteles proprietatem illam carni inconsulte satis attribuere videatur.
- Temperamentum, est frigidum & siccum, vti & omnia alia membra neruosa.

- Connexiones, fiunt cum partib. ei subiacentibus. Vel per
  - Modum vnionis, vt in capite & facie.
  - Communionem, vt in manibus, pedibus, & dorso.
  - Appensionem seu appositionem, vt in reliquis membris. Atque instrumenta quibus huiusmodi connexiones fiunt, sunt nerui, venæ, & arteriæ.

- Vsus, est duplex videlicet ad
  - Pinguedinem & carnes aduersus frigidos aeris externi insultus muniendas.
  - Vapores serosos recipiendos atque retinendos, ne à centro exhalantes subito euanescant.

- Ægritudines seu morbi maxime familiares, sunt pruritus, scabies, serpigo, impetigo, sphora, lepra, variolæ, & huiusmodi alii.
- Constellatio, est ♄, qui vim habet super coria.

CAPVT III.

De Pinguedine.

Tertia hac continentium communium pars

- Nuncupatur
  - Latinè,
    - Pinguedo.
    - Adeps.
  - Anglice, ffat or Greace.
- Originem habet, vt nonnulli volunt, à sanguine grosso, tametsi illa (vt mihi videtur,) tam à vapore vnctuoso ipsius aeris externi per poros inspirati, quam à pinguiori nutrimenti succo deriuetur, qui vapor ab externo frigore condensatur atque congelatur inter cutim & carnem, atque in hac congelatione sua tam venis quam fibris membranosis vndique (melioris roboris causa) confirmatur.
- Sita est, inter cutem veram, & membranam carneam.
- Copiosior inuenitur respectu quantitatis in corporibus phlegmaticis, in cholericis vero parcior.
- Sensu omnimodo est destituta.
- Temperamentum aereum, hoc est calidum & humidum habet.
- Vsum habet duplicem, nam
  - Ad vestimenti duplicati instar calorem internum contra frigora externa defendit.
  - Extrema fame consumptos sua humiditate diupræseruare solet.
- Morbis quandoque afficitur, quorum qui frequentius ei contingunt sunt sudores atque colliquationes præternaturales, suntque vt plurimum symptomatici.
- Constellationem obtinet,
  - Communem, estque ☿ & ♀.
  - Huic regioni propriam
    - Ex planetis ♀.
    - Ex signis ♍.

CAPVT IV.

De Panniculo Carnoso.

Pars hac quartum continentium communium locum implens

- Vocatur
  - Ab antiquis; vtpote in infantum & bestiarum anatomia vt plurimum versatis; Panniculus membranosus.
  - A recentioribus: eo quod in hominibus adultioribus talis esse videtur, Panniculus carnosus.
- Oriri dicitur, à pinguedine liquefacta.
- Substantiam habet membranosam in infantibus & brutis, at vero in hominibus carnosam, (vt dictum est.)
- Compositionem requirit venis atque arteriis vndique intertextam.
- Sita est inter pinguedinem & tunicam musculorum communem, cui fortiter adhæret, atq; inter hanc membranam & cutem veram venæ superficiales obseruantur sparsim dispergi atque disseminari, præterquam in capite, fronte, scroto, virga virili, & similibus.
- Figuram habet instar pergamenæ tenuissimæ.
- Connexionem suam habet cum musculis subiacentibus per fibras, & cum cute per pinguedinem.
- Vsum hunc habet, vt musculos venasq; interiores instar pellis seu tunicæ contra frigora externa defendat.
- Constellationem habet,
  - Communem, ♄.
  - Huic regioni propriam,
    - Ex planetis ♀.
    - Ex signis ♍ & ♎.

Caput V.

De Tunica Musculorum communi.

- *Vltimæ cõtinentium communiũ partis*
  - *Nomen, est tunica musculorum communis.*
  - *Origo, à Perioſtio vti nonnulli volunt seu potius (vt mihi videtur) à musculorum fibris derivatur.*
  - *Substantia, est neruosa & membranosa.*
  - *Compositio, recipit neruos, venas, arterias, atque carnem sibi appropriatam.*
  - *Positio, est inter nudam & simplicem musculi substantiam, & panniculum carnosum.*
  - *Vsus, est duplex, quorum*
    - *Vnicus est, vt musculos in eorum situ & positione naturali contineat.*
    - *Alter, vt eos à corruptione conseruet, vtpote sine qua materia purulenta à partibus similiaribus in concauitates musculorum vacuas emanaret & distillaret.*

REGIONIS INFIMÆ LIBER II.

Caput I.

De continentibus propriis.

- *Partes propriæ continentes sunt*
  - *Musculi decem, quorum*
    - *Obliqui sunt quatuor, atque horum*
      - *Duo descendentes,* — *Dexter.* / *Sinister.*
      - *Duo ascendentes,* — *Dexter.* / *Sinister.*
    - *Recti duo,* — *Dexter.* / *Sinister.*
    - *Trãsuersi duo.* — *Dexter.* / *Sinister.*
    - *Pyramidales duo.*
  - *Membrana vnica illaque generalis, omnes abdominis partes internas seu contentas comprehendens, quæ Peritonæum appellatur.*

Caput II.

De musculis in genere.

IAm tandem ad duplicem huius regionis partium continentium propriarum naturam, hoc est musculosam eius substantiam ac illam paniculam subtilem, quæ peritonæum dicitur, propere accedimus, quarum illa, musculosa videlicet substantia, in partes decem diuiditur, ad quarum particularem descriptionem ne temere progrediamur, operæ pretium & operi nostro conueniens fore existimaui, prius pauca verba de generali musculorum dispositione & natura facere.

- Pars hæc corporis organica, quæ (teste Galen. li. 1. De mot. musc.) est instrumentum eius motus, qui secundum impetum fit:
  - Componitur, ex partibus
    - Similaribus, quæ sunt quinque
      - Caro fibrosa, quæ ad motricis facultatis influentias recipiendas quam aptissime formatur.
      - Neruus, qui ipsius motus instrumentum existit; quia dirigit musculum in sua actione vt manus calamum.
      - Tendo seu ligamentum, officio cuius vis seu potestas musculo conferri solet.
      - Vena & arteria, quarum est substantiam illam musculosam nutrire, & in habitu suo naturali præseruare.
      - Tunica musculorum communis, de qua supra mentionem fecimus.
    - Dissimilaribus, quæ sunt tres,
      - Caput seu principium, quod ex ligamentis ab ossibus prouenientibus constari solet, & huiusmodi sunt vt plurimum nernosa.
      - Venter seu medium, quod est semper carnosum, præterquam in diaphragmate.
      - Cauda seu finis, qui est neruus seu tendo ex pluribus membranosæ substantiæ fibris constitutus, sed & termini seu caudæ istæ non sunt semper tendinosæ, sed in illis tantummodo musculis, qui ad ossa commouenda naturaliter disponuntur.
  - Mouetur,
    - Duplici motu videlicet,
      - Voluntario, à facultate animali tanquam interno suo principio seu agente, estque huiusmodi vel
        - Simplex, qui sex modis perficitur, videlicet
          - Sursum.
          - Deorsum.
          - Dextrorsum.
          - Sinistrorsum.
          - Ante.
          - Retro.
        - Compositus, vno tantum modo præstatur, in circulum nempe.
      - Involuntario, estque huiusmodi violentus atque coactus.
    - Tripliciorgano, mediante videl.
      - Cerebro, quod imperat velut rex in suo regno, nam eius officium est, de obiecto desiderato iudicare, videlicet, an sit vtile? an odio prosequendum? vel contra, ratione per medium quasi theatrum in cathedra tribunali erecta tanquam iudici: Hinc ergo oritur motus voluntarii principium.
      - Nerue, qui loco nuntii vel ministri immediati, cerebri mandata deorsum ferre gestit, operatur autem organon hoc virtute spirituum animalium, qua cerebri mandata musculo communicare assolet.
      - Musculo, qui spiritibus animalibus quasi radiis diuinis illuminatus, contrahit se, atque varie pro rei exigentia sese ad mandata sui regis perficienda agitat, sic iudex sententiam mortis dare, minister interim reum condemnatum ad crucem producere, carnifex loco vltimo iudicis sententiam exequi solet.

De hisce satis me dixisse existimo, quare ad particularem quinque musculorum abdominis partium descriptionem breuiter, & saltu quidem leui sic descendam.

Obiter Lectori.

NE tibi forsitan irregulare aut inhonestum videretur, (Lector beneuole, & diligens imaginum in hoc tractatu sculptarum spectator) quod alienas & minime mihi proprias partium humanarum effigies in hac

in hac mea Anatomia expressas, inuenis, hoc quidem non mea sponte, sed precibus atque instantia Iohannis Theodori de Bry, calcographi nostri, factum, imo vero contra desiderium meum peractum esse te certiorem facere operæ pretium atque mihi haud incommodum fore existimaui; Rationem autem desiderii sui toties in epistolis suis explicatam duplicem fecit, videlicet vt sumptibus primum & laboris irriti damno eum eximerem meo hoc officio, Tum etiam vt propter eiusmodi expensarum diminutionem opus hoc nostrum pretio viliori & scholaribus tolerabiliori distrahere posset: Hoc igitur respectu commotus, ego ad figuras illas viri clariss. Caspari Bauhini contra inuentionis meæ metam atque voluntatis affectionem constringi cogor, vtpote quæ sumptibus dicti Theodor. de Bry, Anno 1605. ære sunt exsculptæ, atque apud eum in promptu sine vlteriori eius sumptu aut tædio custoditæ.

PRIMÆ REGIONIS TABVLA PRIMA EXPRIMENS cutem à corpore separatam, atque etiam musculos omnes in genere.

LIB. I. TAB. V.



Hic cuticula cum cute separatur à cæteris internis partibus.

Hic etiam generale habemus musculorum corporis catoptrum.

Pro literarum peculiarium significatione, quibus singuli corporis musculi ab inuicem distinguuntur, respicere fas est expositionem à Caspare Bauhino factam in tabula V. libri 1. suæ Anatomiæ.

Caput II.

De Musculis Abdominis, ac primum de duobus illis oblique descendentibus.

Musculi hi
- *Numero sunt decem.*
- *Specie non sunt nisi quinque; nam in paria distinguuntur, quæ nec natura, nec figura, nec substantia differunt, sed sola eorum ad dextram vel sinistram positione distinguuntur.*

In musculo oblique descendente considerantur eius

- *Nomen, quod oritur*
  - *Ab eius motu deorsum.*
  - *Quia caro eius à fibris deorsum tendentibus constituitur. Vide Tab. 2. I.*
- *Substantia, quæ est*
  - *Neruosa in principio seu capite.*
  - *Carnosa in medio seu ventre.*
  - *Tendinosa in fine seu cauda.*
- *Figura, quæ tendit ad effigiem triangularem.*
- *Quantitas, quæ est valde ampla & lata.*
- *Numerus, sunt enim duo dexter & sinister.*
- *Connexiones, nam*
  - *Supra sextæ, septimæ, & octauæ costæ fit eius ligatura digitali quodam amplexu hoc modo. Pro hoc vide A. CC. Tab. 2.*

  - *Infra, ossi pubis & externo Ileo adligatur. Vt Tab. 2. per literas B. CC. videre liceat.*
  - *Lateraliter transuersis apophysibus vertebrarum lumbi affigitur. Vt in Tab. 2. luculenter sine literis.*
  - *Deinde eius cauda tendinosa lineæ albæ inseritur. Vide Tab. 2. literas CC.*
- *Vsus qui est duplex. Nam*
  - *Extendit se tam ad dilatationem quam contractionem Thoracis.*
  - *Defendit partes interne contentas ab externa frigoris iniuria: caloremque internam præseruare animaduertitur.*
- *Constellatio fixa, quæ est ny.*

Caput

CAPVT III.

De musculis oblique ascendentibus.

Nomen, tum { A motu eius, qui sursum fertur. / Quia caro eius à fibris obliquis sursum tendentibus conflatur, vt in Tab. 2. per literas H H. demonstratur.

Substantiam partim neruosam, partim carnosam, & partim tendinosam vt modo dictum est.

Quantitatem satis largam & spatiosam.

Figuram positionis suæ respectu fibrarum suarũ, cum illis musculi oblique descendentis, intersectionem hanc imitantẽ. Pro hoc obserua X Tab 2. in fibræ I. intersecante fibram H. ita vt fibræ fibras in centro se ipsas intersecare videantur. Et reuerà si modo rem paulo accuratius explorauerimus, inueniemus quidẽ, quod fibræ omnes omnium horum quàtuor musculorum in eodẽ centro coincidãt, ac si natura ipsa totam horum musculorum virtutem in punctum vnicum contrahere voluisset, quo vires sic vnitæ functionem à natura huic parti destinatam expeditius & validius præstarent. Positio ergo fibrarum quatuor musculorum se ipsas in centro intersecantium est huiusmodi.

Musculus obliquè ascendens habet

a.b. & c.d. Intersectio facta à fibris musculorum descendentis & ascendentis e.f. est fibra recti musculi in centro conueniens cum cæteris in vnitate. Ac etiam fibra g.h. est illa musculi transuersalis, quæ conuenit cum reliquis in puncto centrali. Hoc ex obseruatione fibrarum musculi oblique descendentis. A. vel I. oblique ascendentis. H. transuersi K. & recti E. quomodo nimirum se inuicem intersecent, explicatur. Tab. 2.

Connexiones varias, nam adligatur eius { Principium, ossis ilei appendici. / Latus, apophysibus vertebrarum dorsi. / Supra, pars eius carnosa 4. costis spurijs inferioribus. / Cauda membranosa (post tendinosum eius musculi recti amplexum) substantiæ lineæ albæ, vide Tab. 2. liter. H H.D.

Vtilitatem duplicem, videlicet tam ad { Compressionem intestinorum, excernendi causa. / Diuulsionem thoracis deorsum, tam rectè quam oblique, quo melius fiat respiratio & facilius.

Constellationem fixam, quæ est ♍. & ♎.

CAPVT IV.

De Musculo Recto.

Cui competit
- Nomen respectu
  - Positionis suæ.
  - Fibrarum rectarum carnem suam constituentium transitus, vt in Tab. 2. per literas EEE. explicatur.
- Substantia neruosa, carnosa, & tendinosa, quæ diuiditur in portiones trés per intersectiones tres tendinosas, quas sibi maioris roboris causa vindicare videtur.
- In Tab. 2. figuræ 1. 2. 3. denotant intersectiones has tendinosas.
- Figura,
  - In principio (quod in osse pubis habet) furcata, eiusque furca vna solet esse neruosa, altera carnosa: At indiuisum aliquando inuenitur huius caput, quod semper in tali figura obseruatur esse carneum. Hoc Tab. 2. indicatur.
  - In fine seu cauda sua circa os sternon terminante, lata est atque membranosa, Vt per F. Tab. 2. apparet.
- Quantitas, longa admodum, ab osse pubis sternon vsque se porrigens. Notatur autem eius dimensio per EEE. Tab. 2.
- Connexio, fit.
  - Capitis, ad exteriorem ossis pubis.
  - Caudæ lata, ad costas inferiores.
- Vsus,
  - manifestus, ad
    - Trahendam thoracem deorsum.
    - Reddendum ventrem sphæricum.
  - Occultus, ad ventrem centraliter comprimendum.
- Constellatio fixa, ♋. inp. ♎. secundum partium eiusdem situm.

CAPVT V.

De Musculis Transuersalibus.

Musculi transuersi
- Nomen, oritur
  - A transitu seu positione transuersali.
  - A specie seu motu fibrarum, ex quibus pars eius carnea conflatur. Per K. autem Tab. 2. exprimitur eius fibrarum transitus.
- Substantiæ caput, est neruosum, venter carnosus cauda tendinosa.
- Quantitas, satis ampla & spatiosa.
- Numerus, est binarius, dexter scilicet & sinister.
- Connexio,
  - In eius principio, processibus vertebrarum lumborum adhæret.
  - Inferius ossi sacro affigitur.
  - Superius, costis inferioribus annectitur.
  - Finaliter desinit in linea alba, & cum ea descendit ad pubis os, imo vero magis adhuc deorsum tendit, quoniam testiculo tunicam accommodare affirmatur.
  - Pro connexione & positione eius vide G. G. K. K. Tab. 2. sequentis.
- Vsus, est ad
  - Intestina facilioris excretionis gratia, comprimenda.
  - Peritonæum corroborandum.
  - Auxilium voci ferendum.
- Constellatio, est inp.

CAPVT

CAPVT VI.

De musculis Pyramidalibus, atque de illis qui crematéres dicuntur.

Musculus Pyramidalis
- *Nomen habere dicitur à similitudine, quoniam pyramidis effigiem præ se fert.*
- *Substantiam habet carneam, & in hoc à veri musculi proprietate & definitione (iuxta Columbi opinionem) discrepare videtur.*
- *Numeratur dexter & sinister.*
- *Positionem habet super os pubis, vbi eius basis carnosa initium sumit, at vero eius conus directe inter recti musculi concauitatem assurgit. Vt in Tab. 2. sequente per F. significatur.*
- *Connectitur eius basis ossi pubis in quod tanquam in proprium fundamentum suum staturninatur, at vero eius conus in musculi recti concauitatem tendens, ibi etiam carne magis tendinosa affigitur. Vt per F. Tab. 2. indicatur.*
- *Vtilis est (contra Columbi opinionem qui negat huiusmodi partem aut musculi definitionem, aut proprietatem habere) ad virgæ erectionem perficiendam, vti ex situ eius probabile videtur.*
- *Constellationem sixam habet, quæ est ♎ iuxta astrologorum sententiam.*

Quod autem ad illos musculos attinet, qui Crematéres & suspendentes dicuntur, (quippe in quibus testiculi tam viri quam mulieris suspenduntur) non proprie numerari solent inter illos abdominis, vtpote qui improprie ad istam regionem pertinent, tametsi Cabrollius huic opinioni adstipulari videatur.

CAPVT VII.

De Linea Alba.

Cuius
- *Nomen à similitudine ei attribuitur, quoniam lineæ albæ & quodammodo latæ effigiem præ se fert.*
- *Substantia est tendinosa seu membranosa.*
- *Compositio, fit ex concursu extremitatum tendinosarum octo musculorum prædictorum abdominis in vnitatem essentiæ.*
- *Quantitas, est inæqualis vtpote quæ est maior & amplior supra vmbilicum, at vero infra eum est multo angustior & strictior.*
- *Figura viæ lacteæ in cœlo respectu coloris refertur, at vero respectu transitus ipsius directi, optime in Microcosmo potest comparari circulo meridiano cæli Macrocosmici, nam venter cum sit rotundus cum hæmisphærio mundi conferri potest, cuius polum arcticum vmbilicum fingimus, per quem meridianus hic noster transire videtur, vt ille cœlestis per stellam mundi polarem.*
- *Positio, est in medio ventris quem in partes duas inæquales, vt meridianus artificialis mundi hæmisphærium. Hæc delineatur per ddd. Tab. 2.*
- *Actio ac vsus est, vt congregatione dictarum extremitatum in vnam lineam tam ipsum Peritonæum, quam vasa vmbilicalia ab ea corroborentur.*
- Constellatio
  - *Ex Planetis, ♄. & ♀. refertur.*
  - *Ex stellis fixis, illis huius regionis membra peculiaria respicientibus respectum habet.*

CONCLVSIO.

Morbi musculorum horum sunt vulnera, contusiones, Apostemata, inflammationes, Gangrenæ, tumores, & huiusmodi alia.

TABVLA SECVNDA DEMONSTRANS MVSCVlorum Abdominis, simul atque lineæ albæ effigiem.

LIB: I. TAB. VI.



In hac tabula musculi obliqui in sinistra regione, dextra vero pyramidalis; rectus & transuersalis indicantur.

A. Obliqui descendentis pars superior, quæ connectitur in b b. cum serrato c c. & iterum eius altera extremitas CC. adhæret lineæ albæ dd.
B. CC. est pars obliqui descendentis inferior.
D. Est obliquus ascendens musculus.
E E. Est musculus rectus dexter, in quo figuræ 1. 2. 3. sunt intersectiones tres cartilagineæ.
F. Est musculus pyramidalis dexter: cui similis in sinistro latere in fine musculi sinistri reperietur.
GG. Musculum transuersum dextri lateris denotat.
H H. Exprimunt fibras.
I I. Illas obliqui descendentis.
K K. Describunt fibras musculi transuersi.
d d d. Describunt lineam albam in medio.

LIBER TERTIVS.

De

PERITONÆO, ET PARTIBVS IMMEDIATE SVB EO CONTENTIS.

- Partes naturales sub Peritonæo comprehensæ duabus functionibus inseruiunt
  - Concoctioni, in qua tres obseruandæ sunt proprietates
    - Chilificatio, cui inseruiunt: Ventriculus. Inteſtina. Epiploon.
    - Sanguificatio, ad quã confert: Hepar. Venæ Meſſeraicæ. Vena cauæ.
    - Expurgatio excrementorum, quo ſpectant: Veſica fellis. Renes. Lien. Veſica.
  - Generationi, tam
    - Virorum: Genitalia. Vaſa ſpermatica. Pudenda.
    - Fœminarũ: Vaſa ſpermatica. Teſtes. Vterus.

Vel hoc modo methodice progrediemur.

- Peritonæum quod eſt infimũ ex membris continentibus comprehendit omnia huius regionis membra, ſiue
  - Immediate ſubiacentia, ſuntque: Vaſa vmbilicalia. Omentum. Inteſtina. Vena porta cum ſuis ramis. — De quibus pars prima portionis huius tertiæ.
  - In meditullio apparentia, vt eſt: Meſſenterium. Pancreas. Ventriculus. Iecur. Vena cauæ. Ciſta fellis. Lien. — De quib. pars ſecunda portionis huius tertiæ.
  - In huius regionis infima cauitate delituiſcentia, ſuntque vel membra
    - Separationis ſeu excretionis, nempe: Venæ emulgentes. Renes. Vreteres. Veſica. Virga virilis. — De quibus tertia pars portionis huius tertiæ.
    - Ad generationem conferẽtia, ſuntque vaſa: Præparantia. Elaborantia. Expurgantia. Deferentiã. Recipientia. Eiaculantia. — Atque de his tractabit quarta huius tertiæ portionis particula

CAPVT

CAPVT I.

De Peritonæo.

IN portione huius secunda seu præcedente partium istius regionis contentarum, togam inprimis duplicatam, videlicet cutem cum cuticula; deinde ipsarum diploidem, pinguedinem scilicet, ac tandem earum indusium multiplicatum ac ex musculis conflatum, methodice, atque successione iusta exuimus, Iam vero ad vltimum & magis internum eius indumentum, seu interulam tenuem, hoc est membranam illam peritoneum dictam peruenimus, quæ immediate sub se comprehendit, & in se inuoluit partes seu membra omnia in hac regione inclusa, De ipsa igitur hoc in loco verba faciemus, vt eius historia atque descriptione sic completa, ad partium sub ea contentarum reuelationem atque explicationem lente pergamus.

Vocatur
- *Græce, περιτονάιον, quoniam viscera vniuersa vndique circumambit, & quasi super & subter natare videtur.*
- *Arabice, Syphach.*
- *Latine, membrana viscera continens.*

Oritur, iuxta Galeni sententiam, à musculorum transuersorum extremitatibus, in eo ipso videlicet loco, vbi cum carnosa Diaphragmatis portione, hoc est circa eiusdem circumferentiam concurrunt, videlicet circa A A. & K K. in Tab. 3.

Substantiam habet spermaticam, quæ in sua natura est simplex & subtilis, sed tamen & admodum firma & neruosa, quo melius calorem naturalem in centro retineat.

Componi videtur ex duabus tunicis, (tametsi vnica solummodo à Galeno ei tribuatur,) Porro etiam ad compositionem eius concurrunt nerui, membranæ fibrosæ simul atque venulæ cum arteriolis aliquot. Pro Arterijs & venis vide I I. & K K. Tab. 3.

Quantitate tam ampla & spatiosa fruitur, vt supra omnia nutritionis vasa se extendat: nam partes illas omnes amplectitur, quæ inter diaphragma & ipsa crura comprehenduntur, atque etiam intrinsecus prope lumbos seipsam inuoluit, in qua parte etiam obseruatur esse densissima: Eius extensio per literas Tab. 3. A A. B. C. D. demonstratur.

Figuram posidet fere oualem, si integre prout est extendatur, atque in effigie sua saccum illum imitatur, in quo amigdalarum aut oliuarum oleum exprimi assolet: Exterius vero aspera esse obseruatur, quo melius & firmius musculis adhærere queat, at vero interius admodum est plana, & asperitate immunis, ne intestinis ei subiectis aliquid sua inæqualitate incommodi afferret.

*Perforata multis in locis inuenitur, nec tamen vane ei insunt foramina, sed quodlibet eorum suo vsui & officio destinatur: Foramina eius signantur in Tab. 3. per * * signa.*

Membrana immediate viscera comprehendens

Positionem situs immediate sub musculis transuersis sibi vendicat: & linea alba per eius medium transit. Vt per EE. Tab. 3. Et super omentum: vide Tab. 4. a. A A. B B. & Tab. 5. B B. vbi diuiditur.

Connectitur musculis transuersalibus tendonibus; atque etiam omnibus partibus communibus, quatenus iis tunicam communem attribuere obseruatur, & superius cartilagini mucronatæ F. Tabul. 3. affigitur: & in Tabul. 4. a. 1. eius ad vesicæ fundum nexum indicatur.

Vsum habet multifarium, nam
- *Dat tunicam communem omnibus huius regionis membris contentis, tam scilicet ad nutritionem & generationem quam ad excretionem pertinentibus. Vt per A A. B. C. D. Tab. 3. ostenditur.*
- *Confert ad facultatem intestinorum excernentem. Quomodo promit intestina ex Tab. 3. videre licet per eius positionem.*
- *Confirmat intestina in sua naturali positione. Vt per eandem tabulam explicatur.*
- *Ventriculum præseruat, eique munimenti loco adest, ne à flatulentis vaporibus suffocetur.*
- *Calorem natiuum retinet in suo centro, nam ipsum ne egrediatur aut euolet defendit: & hoc præstare videtur propter firmam suam compactionem. Pro hoc vide Tab. 3.*

Morbis afficitur particularibus, cuiusmodi sunt

- Ruptura illa, quæ inde dicitur Ruptura Syphac. quæ fieri assolet circa ** signa Tab. 3.
- Relaxatio, quæ fit vt plurimum à nimia humiditate, à qua morbi huiusmodi oriuntur.
  - Enterocele cum intestina
  - Epiplocele cum omentum
  - Enteroepiplocele cum vtraque simul
  - Hydrocele cum aqua

  Ad inferiorem intestinorum basim deuoluitur, qui descensus fit per illum meatum, qui à Peritonæo ad testiculos pertingit, de quib. Gal. de Caus. Morb. c. 10. & de Diff. Morb. c. 10. Vide signa. **. Tab. 3.

Pro huiusmodi morborum specie cognoui artifices in chirurgia peritiores, sectione tam in iuniori Mirach seu Abdominis parte, quam versus eius superiorem, in locis magis securis, & à musculorum membranis remotis vsos, simul atque ipsos varietatem vinculorum, quandoque ex filo Canabeo, serico, & nonnunquam ex puro auro (quod supra omnia cætera extollebant) vsurpantes vidi, sed successu fateor vario.

Hydropisis, quæ circa istam tunicam congregari solet, atque hæc est ratio cur Paulus Ægineta non inepte docuerit insciſionem Hydropesis esse faciendam parumper supra vmbilicum, videlicet versus latus oppositum lateri in quo membrum principale afficitur, verbi gratia, si hydropis causa sit in praua hepatis dispositione, fiat sectio seu perforatio sinistrum versus, si ab illa Lienis, dextrum versus. Attamen nihilominus autores recentiores experientiâ quidem docti quotidiana, ipsum vmbilicum pro hoc malo perforare solebant, cuius etiam rei praxin multoties ipse intuebar. Hic vero obiter animaduertendum, me non de duabus Hydropesiæ speciebus, Anasarea scil. & Tympanide, sed de Ascite & eiusdem curatione hoc in loco intellexisse.

TABVLA

TABVLA TERTIA INDICANS PERITONEUM CUM SUIS PARTIBUS.

LIB. I. TAB. VIII.

FIG. I.

FIG. II.



A.A.B.C.D. Peritonæi ſuperior, inferior, & laterales partes.
E.E. Linea Candida.
F. Mucronatæ cartilagines.
** Foramina vaſa ſeminaria in viris conducentia.
I.I. Vena & Arteria ab Epigaſtrica ſub rectis muſculis ſurſum eleuata, & in infimam abdominis partem diſtributa.
K.K. Venam & arteriam à mammaria interna ſub oſſe pectoris prodeuntem denotant, quæ per rectum muſculum deorſum feruntur, & ſuperiorem abdominis ſedem implicant.
Pro reliquis literis inſpiciatis ipſum Bauhinum velim.

CAPVT

CAPVT II.

De Vmbilico, & vasis Vmbilicalibus.

- Membri in centro ventris collocati
  - Nomen, { Commune, est Vmbilicus. / Antiquum, & à veteribus vsurpatum, vetula, ob rugas suas, est enim vmbilicus instar vetulæ rugosus.
  - Figura, est intestini orificij more bursæ contracti similis.
  - Situs, est in ipsius ventris meditullio, & in sua positione se habet ad ventrem rotundum, vt stella polaris mundi ad suum hæmisphærium: atque etiam lineam eiusdem albam circulo mundi meridiano haud inepte antea comparauimus.
  - Delineatur autem per C. Tab. 4. quatenus scilicet à Peritonæo diuiditur:
  - Vasa, sunt varia, in quorum consideratione duo sunt obseruanda, videl. eorum
    - Numerus seu differentia, sunt enim 4. videl.
      - Venæ, vna vmbilicalis dicta, cuius
        - Origo, est à matrice.
        - Terminus, est in centro quasi ipsius lecoris, ingreditur q3 radicem fere ipsius venæ cauæ.
        - Vide B. Tab. 4. & D. B. & A. B. Fig. 2.
      - Arteriæ duæ etiam vmbilicalis vocatæ, quæ deorsum per Peritonei duplicationem petentes, prope vesicam feruntur, ibique desinunt, vbi magna arteria in ramos se diuidit.
      - Vas vnicum Ouracos nuncupatum, quod quidem à vesicæ fundo ortum suum ducens, dicitur vrinam à fœtu trahere, eamq3 per vmbilici meatum reddere.
      - Vide H. & b. in Tab. 4.
    - Vsus, qui est vel momenti
      - Alicuius, manente fœtu in vtero. nam mediantibus his per vmbilicum
        - Nutritur fœtus in vtero.
        - Excrementa vrinaria expelluntur.
      - Nullius, in lucem semel edito infante, excepto quod vna vmbilicalis tendit & trahit lecoris substantiam deorsum, idque fortiter, quod nisi præstitisset natura huiusmodi ligamento, præfocatio subito eueniura creditur.
  - Constellatio. { Explanetis. ♀. / Exsignis. ♎.

CAPVT III.

De Omento.

Nomen, apud
- Græcos, ἐπίπλοος, quasi super inteſtina natans.
- Arabes, Girbe aut Zirbus.
- Latinos, Omentum, & ab Ariſt. vocatur membrana ſeuoſa ſeu pinguedinoſa.
- Anglos, The caleor quayf.

Origo, partim à peritoneo, & partim à ſanguine vncluoſo.

Subſtantia, ſpermatica ſeu membranoſa pinguedine interſerta.

Compoſitio, ex duplici membrana adipe intertexta, quæ etiam ad ſuum complementum requirit venas, arterias, & neruos à ſexta coniugatione ſcaturientes. Pro hac vide Tab. a. 4. Q Q Q Q. & Tab. b. 4. ll. m m. & Tab. b. 4. fig. 2. C. vena inſignis oſtenditur. Et E. C. D. Et g. fig. 1.

Quantitas, amplior & profundior in fœminis, propter earum partus, quam in viris.

Figura, marſupij ſeu manticæ inſtar. Vide Tab. b. 4. a a a a. b b b b. Et I. I. vbi figura indicatur.

Situs, eſt ſupra inteſtina. Vide Tab b. 4. K K K K. Et Tab. b 4. HHH. Et CCC.

Temperamentum, reſpectu diſpoſitionis membranæ, terreum ſeu frigidum & ſiccum, at vero quatenus pinguedine permiſcetur, aereum, ſeu calidam & humidam ſibi vendicare videtur facultatem.

Connexio, cum inteſtino Colo, adeſt enim Omentum huic inteſtino loco Meſſenterij. De qua vide Tab. b. 4. G. G. etiam vaſis lienis adligatur vt Tab. b. 13. B B. C C.

Vſus, vt conferat
- Concoctioni ventriculi & inteſtinorum tenuium, quippe quod retinet intrinſecus, & ob illam etiam rationem præſeruat calorem naturalem, mediante quo concoctio perficitur. Vide Tab. b. 4. G G. vbi per ventriculi fundum tranſire oſtenditur.
- Ad ſuffulciendum venæ portæ ramum ex iecore prodeuntem, & ad lienem tendentem, vt g. Tab. b. 4.
- Ad defendenda inteſtina à frigore externo, nam eius pinguedo ſimul atque venæ & arteriæ calefaciunt ventrem atque etiam ventriculum. Vide Tab. a. 4. K K K K. tegit enim inteſtina.

Cuius ſunt:

Ruptura illa Epiplocele dicta, quæ eſt cum omentum ad inferiores teſticulorum tunicas deſcendit.

Præcipitatio, cum ſcilicet ſubſtantia omenti in ventris imum cadit. Huiusmodi morbo affectum noui ego quendam equitem auratum ætate 80. fere annorum, qui propter euidentem Omenti defectum, ſenſibili inteſtinorum frigore vrgetur, vnde fit etiam vt crebriori ventris lubricitate & catarrhi à capite deſcenſu laborare ſoleat, quibus malis vt occurrat pellibus cygnorum atque vulpium viſcera ſua contra frigoris externi inſultus munire noctes atque dies cogitur, vtcunque tamen materia quædam menſtruoſa quolibet menſe per regionem inguinis & oſſis pubis quodammodo exſudare & ſcaturire ſolebat; colore ad flauedinem tendente, quam ex pinguiori materiæ lapſæ ſubſtantia, quæ manibus extrinſecus palpari atque diſcerni poteſt, prouenisſe exiſtimabam.

Morbi familiares magis

Conſumptio, vidi enim ego puerum ex hoc malo laborantem, cui conſumto hoc membro Catarrhus rebellis cum tuſsi vehementi ſuperueniebat, ita vt macies haud mediocris vniuerſum eius corpus breui occuparet, Tabe & phtiſi ipſum affectum non quidem ſine aliorum conſenſu iudicaui, At vero patiente hoc noſtro mortuo, cadauereque à chirurgo perito interne curioſius perſcrutato, omentum inuenimus deperditum inteſtina quaſi frigore congelata, cerebrum humore pituitoſo & glaciali refertum, qui in pulmones aſsidue & copioſe inſtillare ſolebat, pulmones præter expectationem ſanos ſatis, præterquam quod conuexa eorum ſuperficies colorem induerat ob catarrhi copiam aliquantulum cæruleum: Venulæ in cordis ſuperficie comparentes turgidæ erant, ſanguisq; in iis contentus copioſo catarrho & defluxione in ramulos fixos cerulei coloris congelatus. Denique concludebam cauſam morbi fuiſſe Omenti defectionem, qua inteſtina, concoctioni inſeruientia, frigore debilitata officium ſuum ob caloris natiui defectum perficere non potuerunt. Hepar vero ob ſucci chiloſi defectum, quem venæ Meſſeraicæ aſsidue ei ſubminiſtrare debebant, iam ægrotantibus illis & ceſſantibus calore innaturali propter humoris ſoliti inopiam flagrare incipiebat, crudi chili ſpiritum in cerebri regionem rapaciter eleuabat, qui in illa regione in aquam ſeu rheuma congelatus, ſeſe aſsidue deorſum in pulmonum concauitatem præcipitabat, tuſsim vehementem excitabat, ac tandem aquoſæ materiæ copia præfocatis ſpiritibus vitam dantibus ſanguineque congelato, & ita motu naturali priuato, neceſſarium percepi vt ægrotus etiam integris manentibus pulmonibus vitam cum morte commutaret.

Conſtellatio, ex
- Planetis. ♀.
- Signis Zodiaci. ♍.

TABVLA

TABVLA QVARTA DELINEANS OMENtum cum vasis vmbilicalibus.



A.A.B.B.Peritonæum in partes quatuor dissectum.
B. Est venæ vmbilicalis in Hepate penetratio.
C. Est vmbilicus à Peritoneo diuisus.
D.B. Vena vmbilicalis.
E.E. Ventriculi pars eminentior inflata, quæ nec ab Hepate, nec ab Omento integitur.
F.F. Est sedis gibbæ hepatis portio.
H. Vesicæ vrinariæ fundus.
I. Peritonæi ad vesicæ fundum nexus.
K.K.K.K. Omentum intestina tegens.
M. N. Venæ arteriæ cum nervis per fundum ventriculi repentibus.
Q.Q.Q.Q. Venarum & arteriarum propagines, omento superiori distributæ, & adips circumdatæ.
b. Ligamentum vesicæ quod pro vracho ostenditur.
Porro B. in latere denotat truncum venæ vmbilicalis.
Pro cæteris figuris vide alibi.

ALIA TABVLA b. 4. b.

At si integrum omentum in sua natura à corpore extractum animaduertere cupis, duplicem hanc figuram te contemplari admoneo.



In quarum priori

a.a.a.a.a. Denotant faciem anteriorem omenti superioris.
b.b.b.b. Exprimunt Omenti circulum.
c.c.c. Indicant omenti superioris partem intestino colo elatiorem.
g. Exprimit vanæ portæ truncum ex hepate emanantem.
l.l.m.m. Sunt rami à vena K. assurgentes.
ααα. Assignat Pancream, cuius positio est sub vasis & duodeno.

Secunda autem figura indicat quomodo colon omenti, membranæ Inferiori, superiori remoto adligetur.

A.A. Ergo est omenti inferioris pars elatior, à dorso inclinata, quæ ventriculo posterius subiicitur, & duabus membranis colon secundum ventriculi longitudinem continet.
B. Vena à sinistro trunco Portæ.
C. Vena insignis, omento & colo se porrigens.
D. Vena omenti, latus sinistrum perrepens.
E. Est coli pars dextra, quæ heparis cauæ subiicitur.
G.G. Est eius portio per ventriculi fundum transiens.
H.H.H. Omenti inferioris pars humilior, à colo declinans.
I.I. Ostendit veram Omenti figuram, & quomodo peræ conferri possit.

CAPVT IV.

De Intestinis in Genere.

- Nomen est apud
  - Gr cos. ἔντερα.
  - Latinos, Intestina.
  - Anglos, The gutts, or bawels, or trips.
- Ortus
  - Tunicarum
    - Duarum interiorum, est à dura matre seu meninge.
    - Vnicæ exterioris, à peritonæo ducitur.
  - Venarum quæ sunt innumeræ à venæ Portæ trunco & ramo mesenterico deriuantur.
- Substantia, est spermatica & neruosa maioris dilatationis causa.
- Compositio, fit ex tribus tunicis, quarum sunt
  - Duæ internæ ipsis propriæ, quarum
    - Intima, est densa, carnosa, & pinguedinosa, ex fibris transuersis & orbicularibus contexta. Vide g. Tab. 6. fig. 4.
    - Externa, est tenuis & neruosa quæ ex fibris obliquis atque rectis compacta est. Vide Tab. 6. fig. 4. ff.
  - Externa vero ipsis communis, quippe à Peritoneo deriuata, quod cuilibet huius regionis particulæ contentæ tunicam dare solet, ordinaturq; hæc tunica à natura, vt si ab humore acri perforentur duæ tunicæ internæ, quod in Dysenteria sæpe accidit, tamen virtute huiusce tunicæ valde fortis & firmæ, excrementa retineantur & impediantur, ne in ventris concauitatem influant. Respice e e. Tab. 6. fig. 4.
  - Differt autem harum tunicarum interior ab illa ventriculi, quoniam illa est crassa & carnosa, hæc vero tenuis & neruosa.
  - Protunicarum demonstratione vide Tab. 6. fig. 4. videlicet ee. ff. g. hh.
- Genere, & sic integram intestinorum tubam consideramus, cuius
- Quantitas vel in
  - Longitudine iuxta
    - Andreæ Laurentij experientiam mensuram corporis septies æquare obseruatur si scilicet exsiccentur, & flatu (vt fieri solet) extendantur intestina.
    - At vero ego in mea praxi inueni corpus vlnæ 1. cum ½, cuius intestinorum longitudo vlnas 9. non excesserat, atque de hac dimensione colon sibi vlnam vendicabat.
  - Latitudine varia, secundum intestinorum particularium dispositionem, verbi gratia intestina crassa sunt tenuioribus ampliora.
- Figura, assimilatur cornu seu tubæ, cuius orificium, & collum, & tota pars anterior obseruatur esse tenuior & angustior, eius vero posterior largior atque latior, sic etiam eius portio gracilior est angusta crassior vero spatiosa. At figura quatenus in corpore iacet est anfractuosa, vti Tab. 5. vbi A. BB. CC. D. E. FF. G. designant membra vndiq; vicinia, H. I. K. N. O. R. S. T. intestinorum peculiarium sedes.
- Connexio generalis, fit mesenterio, quod etiam dorso firmiter adligatur.
- Positio, est sub vmbilico & hypogastrica regione, ab imo ventriculo ad anum vsque protensa, & in parte eius superiori ab Epiploo seu Omento tegitur. Propositione vide fig. 5. quæ sequitur.
- Sensibilitas, est apparens, quæ inde oritur, quoniam est pars hæc neruosa: at vero sensibilitas hæc non est valde exquisita, sed obtusa magis ob pinguedinis et adhærentis & humoris viscosi ei impliciti abundantiam.
- Vsus generalis, est partim ad concoquendum, & partim ad recipienda retinenda & suo tempore expellenda primæ concoctionis excrementa.
- Morbi generalis, sunt fluxatio, constipatio, flatulentia, Vermes, Diarrhæa, Lienteria, Dysenteria, punctio, sonitus, rugitus &c.

Intestina considerantur, vel in

- Specie, de qua cap. seq.

TABVLA QVINTA INTESTINA GENERALIA secundum naturalem suam positionem demonstrans.

LIB. I. TABXII



A. Cartilago ensiformis.
B.B. Peritonæum.
C.C. Hepatis pars Gibba.
D. Ligamentum Hepar septo alligans.
E. Venæ vmbilicalis portio.
F.F. Ventriculus.
G. Lienis portiuncula.
H. Intestinum cæcum.
I. Crassiorum intestinorum principium.
â I. ad K. est motus intestini Colon, à rene dextro ad hepar, & à K. transit Colon per fundum ventriculi, & ita per Lienem ad renem sinistrum, & exinde ad intestini recti initium: quod est. N.
N. Colon in rectum desinens.
O. Est recti intestini initium sub vesica.
R.S.T. Intestina tenuia maxima ex parte sub vmbilico, & sic in cæteris.

CAPVT

Caput V.

De Intestinis in specie.

- Superior, gracilis & tenuis dicitur, quæ in partes tres diuiditur, quarū quælibet nomē habet intestini particularis: considerandaque in omnibus sunt hæc, scilicet,
  - Nomen, nam
    - Primi,
      - Græcum, est
        - Dodecadactilos.
        - Pylorus.
        - Ecphysis.
      - Latinum, est
        - Duodenum, quia 12. digitos æquat in longitudinem.
        - Ianitor — Vtpote quod orificio inferiori ventriculi continuum est.
        - Portanarius
    - Secundi, est ieiunum quippe quod, inscisione facta, inuenitur semper vacuum, & chilo destitutum.
    - Tertij, Ileon vocatur, quoniam eius cauda terminatur circa os Ilei.
  - Quantitas, nam
    - Longitudo
      - Primi, ab orificio infimo ventriculi ad principium ieiuni se extendit, nam in eo se terminat loco vbi meatus cistæ fellis in intestina penetrat. Hoc videbis in Tab. 6. fig. 1. vbi H. est Pylorus, & H.K. duodenum mensurat, L. est meatus bilis.
      - Secundi, à termino duodeni vsq; ad principium intestini Ilei se porrigit.
      - Tertij, metitur à fine ieiuni ad cæcum intestinum vsque. In Tab. 6. N. est intestinorum tenuium finis.
    - Latitudo omnium, est angusta, & in ea non multum differre obseruantur ab inuicem.
  - Connexio, nam
    - Duodeni est cum ventriculo.
    - Ieiuni
    - Ilei
    - cum Messenterio. De qua vide Tab. 8. L.M.M.M.
  - Positio eorum naturalis ex Tab. 5. decerni potest vbi K.S.T. portionem eorum subumbilico denotant.
  - Vsus qui est, vt inseruiant ad absolutionem & completionem concoctionis in ventriculo nempe, in hepate, & in solidis ita etiam tres reperiuntur gradus in qualibet earum concoctionum, namque in
    - Prima, fit
      - Præparatio in ore.
      - Coctio in ventriculo.
      - Absolutio seu perfectio in tenuibus intestinis.
    - Secunda, fit
      - Præparatio in venis messeraicis.
      - Coctio in hepate.
      - Absolutio seu perfectio in venis maioribus.
    - Tertia, fit
      - Præparatio in capillaribus venis.
      - Coctio per appositionem & vnionem in habitu carnoso.
      - Absolutio per assimilationem & carnificationem.
  - Morbi, nā
    - Superioris, est bilis in ventriculum regurgitatio, Ecphysis, lubricitas &c.
    - Medij seu ieiuni, vel tarda vel rapida nimis materiæ chilosæ attractio seu deuoratio.
    - Vltimi seu Ilei, passio illa quæ à loco affecto iliaca dicitur.
  - Nota quod horum gracilium demonstratio particularis inuenitur Fig. 1. Tab. 6. immediate sequentis. Vbi H. &c.

- Diuiditur intestinũ generale seu continua eiusdem tuba in partes duas specie differentes, quarum
  - Inferior crassa quæ etiam in partes 3. distinguitur, ex quibus obseruanda veniunt
    - Nomen
      - Primi, quod est
        - Monoculus, ab vno eius foramine.
        - Saccus, à similitudine.
        - Cæcum intestinum, quia in eo non fit excrementorum directio sed regurgitatio.
      - Secundi, colon.
      - Tertij,
        - Intestinum rectum, à positione videlicet.
        - Longaon.
    - Substãtia est crassa, habetq; illa
      - Primi seu cæci, appendiculam instar lumbrici. Vide Tab. 6. fig. 1. & 2. P.
      - Secundi, semiglobulos ex eius quasi costis protuberantes, qui cellæ non inepte nuncupantur. Similiter valuulam intus habet quæ in ingressu in cæcum inuenitur. Vide Tab. 6. fig. 3. vbi pro valuula. sig. †. pro tuberculis. R. respicienda.
      - Tertij, in sua fabrica planitiem & æqualitatem, quod in fine est aliquantulum latior.
    - Quantitas
      - Cæci, est exigua, & videtur esse nihil aliud quam coli principium. Vide O. & P. Tab. 6. fig. 1. 2. & 3.
      - Coli, est omnium capacissima, & magis in sua latitudine spatiosa. Vide Tab. 6. fig. 2. O. Q. R. S. T. V.
      - Recti est breuior & magis curta, quam est colon, & in eius fine latior esse obseruatur.
      - Figura coli ostenditur Tab. 6. fig. 2. & 3. atque etiam cæci.
    - Positio
      - Cæci, est in dextro latere superos Ilei: & in Tab. 5. notatur per H. Et in Tab. 6. fig. 1. O. est initium crassorum & fig. 2. P. est cæcum intestinum: Et Tab. 8. per D. situs eius describitur.
      - Coli, est varia, nam mouetur à cæco ad renem dextrum, cui adligatur, deinde sub hepatis cauo ductum per ventriculi fundi longitudinem transit lienem versus, sub quo deorsum tendens, ad renem sinistrum inclinat, atque huic etiam ligamento affigitur, denique descendens, & ad posteriora reflectens duos facit gyros hoc modo, S. atque ita cum recti initio se iungit: I. ad K. in Tab. 5. denotat coli motum à rene dextro ad hepar: &c. vide ibi pro motu coli.
      - Recti, est talis, vt ab ossi sacro incipiens, ad extremum vsque coxendicem se extendat, & in ano terminetur; Hoc in fœminis vtero subiacet, & in vtroque sexu vesicæ contiguum est, Et ab huiusmodi consensu oritur, quod affecta vesica patiatur & Longaoñ; & vice versa. Pro recti intestini initio vide Tab. 5. lit. O.
      - In genere initium eorum indicatur per I. Tab. 5. præcedentis.
    - Obiter notandũ est, quod tres ani sint musculi, quorum
      - Vnus est orbicularis, sphincter dictus qui in extremo recti ponitur, atque hic magis latus est quam crassus, constatq; fibris transuersis, Huius vero vsus est fæces in intestinis continere, contrahendo se more bursæ.
      - Duo sunt lati sed subtiles, qui ab ossis sacri & Ilei ligamentis initium habentes, in partem sphincteris terminantur; Horum vsus est rectum sursum retinere, ne deorsum cadat.
    - Connexio, nam
      - Cæcum messenterio vt plurimum non adligatur.
      - Colon adligatur
        - Messenterio, generali nexu. Pro intestinorum nexu ad messenterium vide Tab. 8. fig. 1.
        - Omento seu Epiploo vide Tab. 4. b. fig. 2. E. G G. F.
        - Cum
          - Renibus vide Tab. 6. fig. 2. lit. O. — Et ab huiusmodi consensu oritur vomitus in calculo affectis, atque etiam in colicapassione.
          - Ventriculi fundo vt Tab. 5. lit. K. O.
      - Recti caput, ossi sacro fortiter adligatur, at vero in eius fine comprimitur à musculis in orbem circumfusis, sphyncteribus dictis, quibus etiam nexu quidem firmo affigitur. Vide Tab. 6. fig. 4. quæ ostendit messenterij portionem quæ comedit intestinum rectum cum esse sacro: Et ab R. ad S. Tab. 8. fig. 2. partem indicat quæ nectit hoc intestinum dorso.

Vſus qui eſt ad recipiendas atq; retinendas ſuo tempore primæ digeſtionis fæces, quo ſi quid adhuc boni atque vtilis ſucci ijs reſtet, id omne quantum fieri poteſt, ad hepar mediantibus meſſeraicis attrahatur atque eleuetur; atque tum poſtea ad illas, corporis vniuerſi leuandi cauſa, expellendas atque excernendas inſeruiunt.



Nota, quod vbicunque mentionem fecero de planetis cum ſtellis fixis vt, ♄. in ♎. &c. intelligendum id eſt de morbi principio, qui dominus exiſtens, ſextæ domus, extra domum ſextam in vno ex huiuſmodi ſignis reperitur, verbi gratia ♑. qui eſt domus. ♄. exiſtens in cuſpide domus ſextæ, quæ eſt morbi ſignificatrix, at in ♊. alibi repertus, denotat morbum in ventre eſſe procreatum, & ſic in cæteris.

Hic vero haud inutile exiſtimamus fore, duplicem quæſtionem ad has partes pertinentem cum ſuis ſolutionibus proponere, quarum prima eſt, An clyſteres per anum iniecti ad ventriculum aſcendere poſſint? Affirmamus, quod Raſis 9. continentis affirmat hoc, At Gal. 5. de meth. med. negat. Iterum ipſe 3. De ſympt. cauſ. idem fateri videtur. Dicimus ergo quod aliud ſit de ventriculo bene affecto loqui, & de ipſo male affecto diſſerere. Porro etiam mala valuularum & inteſtini cæci diſpoſitio (quarum eſt impedire, ne liquida per anum iniecta ſurſum in inteſtina gracilia tendant, & ab iis in ventriculũ, cui eſt orificium inferius Portonarius dictum ſeu Ianitor, debile, & imbecillis retentionis,) huiuſmodi accidentis præternaturalis eſt cauſa primaria. Secunda eſt, An per anum iniecti Clyſteres nutrire poſſint? Dicimus Clyſteris ſubſtantiam nutrire poſſe ratione ramulorum venæ portæ in inteſtinum rectum & Colon inſertorum mediante meſſenterio. At vero agnoſcimus huiuſmodi nutrimenti adminiſtrationem, non niſi parum corpori conferre, tum propter ramulorum exiguitatem, tum quia ſunt admodum pauci numero. *Obiectio.* *Solutio.*

TABVLA

TABVLA SEXTA INTESTINVM QVODLIBET particulare ab inuicem distinctum & diuisum indicans.

LIB I TAB. XV

FIG. I.

FIG. II.



FIG. III.

FIG. IV.

Prima figura denotat intestina tenuia.

g. 1. H. Indicat Pyloron, seu Portonarium, cum portione aliqua ventriculi.
à H. ad K. Duodenum intestinum mensurat.
L. Est meatus biliaris.
M. Est ieiuni intestini initium.
N. Est intestinorum tenuium finis.
O. Est intestinorum crassorum initium.
g. 2. P. Est cæcum intestinum & vermiforme, eiusdem appendix.
Q. R. S. T. V. Longitudo coli intestini; ab O. scilicet ad Q. à rene dextro, & à Q. ad R. secundum ventriculi fundum; & ab R. ad S. à lene ad os pubis, & ab S. ad T. Coli fit recursus ad vmbilicum, & à T. ad V. deorsum ducitur, ad rectum intestinum.
g. 3. * Aperitur Colon, & valuula eius ostenditur, quæ est in ingressu in cæcum intestinum.
g. 4. Intestinorum tunicas demonstrat.
e. e. Est prima seu exterior tunica.
f. f. Secundam seu mediam tunicam indicant.
g. Arguit & reuelat tunicam tertiam seu internam.
h. h. Ostendunt mesenterii portionem, quæ connectit intestinum rectum ossi sacro.

Caput VI.

De vena porta cum suis ramis.

AT iam priusquam vlterius ad alias partes cadaueri centraliter inclusas procedamus, in primis operæ pretium fore existimamus, ipsius venæ portæ descriptionem in lucem proferre, quippe quæ luculentius spectatoribus ante intestinorum seu viscerum abductionem, & à ventris concauitate extractionem demonstrari & oculis subiici solet, & præcipue hic illius ramus spleneticus qui succum quidem melancholicum ab hepate ad lienem conferre dicitur. Eius truncus indicatur per B. Tab. 7.

- *Nomen, est vena porta ab officio, quoniam succus ab intestinis à venis messeraicis ad iecur translatus, venæ huius ramulos tanquam per portam ingredi atque introduci obseruatur.*
- *Origo, est in hepate, in quo radices eius tenuiores sparsim disseminantur. Vide Tab. 4. fig. 1. g. Et Tab. 7. 1. 2. 3. 4.*
- *Huius:*
  - *Rami sunt octo, quorum*
    - *Primus, summitatem ventriculi scandit, vbi ventriculum circumambit more coronæ, vnde & vena coronalis dicitur. Vide P. Q. R. Tabulæ 7.*
    - *Secundus, per fundum seu imum ventriculi serpit in longitudinem. Atque vsus horum duorum ramorum est ventriculi substantiam nutrire, contra ipsorum opinionem qui illum chilo foueri putant. Vide N. & O O. & D. similiter T. Z. Tab. dictæ.*
    - *Tertius, ordinatur ad omenti nutritionem, per quod vndique dispergi obseruatur. Vide Tab. 7. H. L. S. V.*
    - *Quartus, ad lienem pergit, atque istius officium est sanguinem seu succum melancholicum ab hepate in lienem (vtpote locum ad hoc à natura destinatum) conferre, Ab huiusmodi ramo oritur vena illa inter ventriculi tunicas eiusdem orificio tenus sursum ascendens, quæ & vas breue nuncupari solet ab Artistis, cuius officium est, vt humorem acidum in liene procreatum sursum ad ventriculi orificium eleuet, atque huius propinquitatem quidem ad appetitum & famem excitandam esse ferunt. Vide T. Tab. 7.*
    - *Quintus, ad intestinum illud magnum, Colon dictum, se porrigit. Vide e e. Tab. 7. & a a a a.*
    - *Sextus, (atque hic est cæteris amplior) ad intestina gracilia emittit, cuius tamen ramuli in ieiuno sunt eminentiores & perspicuiores, sed & Ilion etiam horum copia exultare videtur. Vide Tab. 7. d d d d.*
    - *Septimus, ad intestinum rectum transit, Hi autem rami tres vltimi à magno trunco exilientes, immediate Messenterij substantiam inuadunt, vbi in venulas infinitas se distinguunt quæ hinc appellantur Messaraicæ. Atque horum trium vsus atque actio putatur esse, vt chilum ab intestinis ad hepar attraherent, quo in sanguinem Alchimia naturæ vera, hoc est, argentum quasi seu chilum album in aurum, hoc est, sanguinem rubicundum transmutaretur. Vide f f. Tab. 7.*
    - *Vltimus, (iuxta Columbi sententiam) est ille qui lieni dicatur, hunc parte læua per Messenterium descendentem, extremum recti intestini petere affirmat, ibique venas hæmorrhoidales procreare, atque ob hanc causam admonemur ab illo & aliis, vt sanguinem melancholicum per illas sanguisugis à Liene euacuemus. At pace illorum, in hoc parumper dubitare nobis liceat: nam si venæ seu rami originem consideremus quæ est messenterica per c. in demonstratione sequenti notata, cuius extremitas est g. g. venas hæmorrhoidales indicantes, inueniemus quidem illum ductum à Liene minime directe conducere, ita vt totus succus sanguineus à Portæ ramis messentericis potius elici queat quam vt fax lienalis per hunc meatū extrahatur: velim ergo vt Anatomistæ, me longe hac in re peritiores istam rem diligenter perquirant atq; animaduertant, nam mea quidem experientia, nimia ab hac parte sanguinis euacuatione ventriculum atq; intestina magis debilitari quam lienem de sua fæcali immunditia exonerari animaduerti. Velim ergo vt Lector diligenti intuitu obseruet Tabulam infra depictam. Vbi huius rei veritatem facillime percipiet: Pro hac vide g g. Tab. 7.*
- *Vsus*
  - *Primus, est ad præparandum, portandum, & transferendum chilum in ventriculo elaboratum, & intestinis gracilibus per descensum distillatum ad Hepar vt ibi in sanguinem mutetur.*
  - *Secundus, est ad hunc atque illuc distribuendum chilum in sanguinem iam redactum ad partes naturales (cuiusmodi sunt ventriculus, Omentum, Lien, intestina & messenterium) nutriendas atque conseruandas.*

TABVLA

TABVLA SEPTIMA VENAM PORTAM, atque ramos eiusdem indicans.

LIB. I. TAB. XIII

1.2.3.4.5. Sunt superiores rami venæ portæ per hepatis Caua disseminati.
A.A.A.A. Distributionem illorum secundum formam hepatis indicant.
B. Truncus Portæ, ex Cauo hepatis egrediens.
C.C. Ramuli gemelli ad vesiculam fellis descendentes.
D. Vena gyastrica dextra.
H. Gastro epiplois dextra.
I. Est ramus intestinalis. K. Gastrica minor. &c. iuxta Bauhini descriptionem.
T. Indicat rami splenici diuisionem.
a.a.a.a. Venæ Lienis substantiam perreptantes.
b.b. Mesenterica dextra duplex, at vero c.c. illa sinistra.
d.d.d.d. Venæ messeraicæ. e.e. Coli intestini vena.
f.f. Rectum intestinum implicantes venæ.
g.g. Venæ hæmorrhoides, anum amplectentes. L. Epiplois dextra.
M. Pancreæ. N. Gastrica maior.
O.O. Venæ duæ rami. N. Posteriora ventriculi implicantes.
P. Gastricæ maioris partitio. Q.R. Coronaria stomatica. S. Epiplois postica.
T. Ramus splenicus. V. Epiplois sinistra. X. Gastro Epiplois sinistra.
Y.Z. Venæ ventriculi latus sinistrum petentes.

LIBER QVARTVS

De

PARTIBVS IN CENTRO APPARENTIBVS.

Partes sub Peritonæo in infimæ regionis meditullio apparentes sunt
- Messenterium.
- Pancreas.
- Ventriculus.
- Iecur.
- Vena caua.
- Vesicula fellis.
- Lien.

CAPVT I.

De Messenterio.

Huius
- Nomen,
  - Græcum, est Messaraion.
  - Latinum, Messenterium.
- Origo, quod ad substantiam, est à ligamentis illis, quæ lumborum vertebras simul connectunt, & hinc magnus ille consensus inter lumbos & intestina proueniens.
- Substantia, est membranosa, & fere nihil aliud quam peritonæum reduplicatum.
- Compositio, est ex duabus tunicis, simul atque ex venis arteriisque innumeris, atque etiam adipe copiosa compacta, sed imprimis obseruandum censemus, quod in ea quamplurimæ inueniantur glandulæ, quæ ibi à natura procreari videntur, ne ab intestinis premerentur venulæ eius, quæ ratione sui subiecti messeraicæ nuncupantur. Pro hac vide Tab. 7. b b. & c. & d d d. vbi venæ exprimuntur. Et I I. & KK. glandulas notant.
- Positio, est in medio intestinorum. Pro qua vide Tab. 8. fig. 1. & eius centrum per H. exprimitur.
- Connexio, fit cum
  - Intestinis & partibus principalibus, per totam suam substantiam, de qua Tab. 8. CCCC. & D. & EEEE. & F.
  - Dorso & renibus, per ligamenta.
- Diuisio in portiones duas, videl.
  - Messareum, cui tenuia adhærent atque adligantur intestina. Vide L. MMM. Tab. 8. fig. 2.
  - Messacolon, ita nominatum, quia ei intestinum colon affigitur atque inseritur. Et de hoc fig. 2. Tab. 8. N. ad O. & O. ad P. & P. ad Q.
- Temperamentum,
  - Respectu pinguedinis suæ, calidum & humidum.
  - Respectu propriæ suæ membranosæ substantiæ, frigidum & siccum.
- Vsus, vel ad
  - Retinenda & colligenda intestina in positione sua connaturali. Quomodo id fit vide Tab. 8.
  - Attrahendum & conducendum chilum ad hepar per organa ea quæ venæ messeraicæ dicuntur.
  - Transferendum nutrimentum sanguineum ab hepate ad intestina ac si hepar pabulo huiusmodi quasi stipe honesta, intestinorum officia laboriosa compensare intenderet.
- Morbi, tumores, Apostemata, intemperies &c.
- Constellatio ex stellis
  - Practicis
    - Per se ♀.
    - In signis Zodiaci r. t. ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ In ♑ ♉ ♍ ♎ ♑ ♍ ♐
  - Fixis seu signis Zodiaci ♍.

TABVLA OCTAVA MESSENTERII POSITIONEM eiusque figuram, tam per se & ab intestinis diuisim, quam ipsis adnærentis indicans.

LIB. I. TAB. XVI.

FIG. I.



FIG. II.

Figura prima messenterij ad intestina nexum explicat, in qua

A.A.B.B. Sunt Peritonæi portiones.
C.C.C.C. Indicant intestina tenuia.
D. Ostendit sedem cæci intestini.
E.E.E.E. Denotat colon intestinum tenuia circum ambiens.
F. Est recti intestini initium.
G. Vesicam ostendit, cui est Peritonæum adnatum.
H. Est messenterii centrum, vbi peritoneum, arteriam magnam, & venam cauam vertebris adligat.
I.I. Notant corpus glanduloſum.
K.K. Demonstrant glandulas, distributionibus vasorum ad intestina delatorum interiectas.

Figura secunda indicat effigiem messenterij à corpore exempti, in qua

L.M.M.M. Messenterii pars, tenuia intestina dorso connectens.
N. ad O. Messenterii portio, coli dextram partem dorso affigens.
O. ad P. Inferioris Omenti membrana coli partem ventriculo attensam dorso alligans.
P. ad Q. Indicat messenterii partem, quæ coli intestini partem sinistram à Liene ad rectum intestinum protensam, nectit.
Q. ad R. Pars messenterii demonstratur, quæ rectum intestinum dorso nectit, S. Messenterii membranas geminas, vnguibus diuulsas explicat.

CAPVT

CAPVT II.

Pancreas & eius descriptio.

Cuius
- Nomen
  - Græcum, πανκρέας.
  - Latinum, affusio seu lactes.
  - Anglicum, The Sweet bread.
- Substantia, est admodum glandulosa & carniformis, habet enim vndique carnis effigiem atque similitudinem.
- Positio, est sub concauitate hepatis, & parte posteriore ventriculi, iacet enim directe sub duodeno, & vasis. Vide Tab. b. 4. fig. 1. ααα.
- Connexio, fit concauitati hepatis, idque ligatura forti.
- Vsus, est
  - Venæ portæ ramos illos sustentare, atque suffulcimento quasi statuminare, qui ad ventriculum & lienem porriguntur.
  - Ventriculi substantiam à spinarum duritie loco puluinaris defendere.
- Morbi, vt plurimum sunt apostemata.
- Constellatio, est
  - Ex planetis. ♀.
  - Ex signis Zodiaci, ♌ & ♍.

Hic obiter obseruandum, quod substantia glandulosa sit pars corporis simplex vel
- Mollis & spongiosa, vt Amigdalæ oris, Pancreas, Festiculi.
- Dura & densa, vt Parotides atque huiusmodi alia.

CAPVT III.

De ventriculi Oesophago.

- Gula eius, quæ
  - Vocatur
    - Græce, Οισόφαγος.
    - Latine
      - Stomachus.
      - Gula.
    - Arabice, Meri.
    - Anglice, The Gullet.
  - Substantiam habet membranosam seu neruosam, estque in sua natura penitus exanguis.
  - In eius vero summitate duæ tonsillæ appendent, vt Tab. 9. E. E.
  - Componitur ex
    - Duabus tunicis, quarum
      - Interior est densior, habetque fibras rectas ad suam constitutionem quæ texturæ species ad cibum in ore præparatum deorsum attrahendum à natura ordinatur.
      - Exterior vero transuersis gaudet fibris ad cibum in Oesophagum sic attractum deorsum comprimendum destinatis.
    - Tonsillis duabus supradictis.
    - Glandulosa substantia quintam thoracis vertebram insidente, cuius vsus videtur esse ad defendendam eius substantiam sensibilem & teneram à vertebris dorsi. Pro qua vide F. fig. 1. & 2. Tab. 9.
  - Positionem habet multifariam; nam eius
    - Initium, est pone laringem, seu in ima laringis cauitate, qua & in parte laringi annectitur. Hoc indicatum est per A. Tab. 9. fig. 1. & 2.
    - Finis, est continuus cum supremo ventriculi orificio, vt intestinum duodenum eius inferiori. Pro hoc vide G. in fig. 1. & 2. Tab. 9.
    - Via, in descensu ab initio finem versus est huiusmodi. Deorsum tendit inter asperam arteriam & vertebras dorsi, hocq; trāsitu satis directo, at vero cor appropinquando ad dextram inclinare videtur, ac si naturali instinctu cordi locum dare iuberetur, post hoc diaphragmati accedens ad sinistrum iterum reclinat, ne in suo transitu aliquid Hepati afferret damni, quod quidem vt facilius præstare queat, transitum suum in fine sub vena caua ascendente, & super aortam descendentem facit, quo tandem peracto, septum perforat transuersum, & statim in infimam microcosmi regionem penetrans in superius ventriculi orificium confirmatur. Atque hæc via ex figura eius supra explicata discerni potest. Pro hoc vide A. & B. & G. Tab. 9. in fig. 1. & 2. eius inclinatio per C. & D. indicatur.
  - Figuram obtinet in effigie infra depictam: Tab. 9. quæ etiam ex supradictis speculari potest.
  - Vsum habet vt cibos & potum in ventriculum conducat.
  - Morbis infestatur, vt sunt difficultas deglutiendi, vlcera meri, Apostemata, eruptio sanguinis.
  - Constellationem sibi vendicat
    - Ex planetis, ♄.
    - Ex stellis Zodiaci, ♋.

In ventriculi obseruatione (qui est primum concoctionis naturalis organon) duo considerantur, videlicet

- Ventriculus ipse, de quo infra.

CAPVT IV.

De Ventriculo.

Ventriculi

- Nomen
  - Græcum, est
    - γαστὴρ.
    - κοιλία.
  - Latinum,
    - Proprium, est ventriculus.
    - Vulgare, stomachus.
  - Anglicum, The stomak.
- Substantia, est magis spermatica, membranosa seu neruosa quam sanguinea aut carnea, & per consequens est exanguis.
- Compositio, est ex
  - Tunicis tribus, quarum
    - Duæ sunt propriæ quarum
      - Prima, seu Interior, est magis membranosa seu neruosa atq; subtilis valde, cuius
        - Ortus fit à membranis cerebri à dura matre scaturientibus; ac primum ad os descendit cum neruis à tertia & quarta coniugatione deriuatis, atque ibi os vniuersum inuestit, & vuulam variis suis implicationibus conflare dicitur, ac tum postea ad ipsum ventriculum descendit, cuius tunicam interiorem admirabili naturæ industria atque textura conflare obseruatur. Atque hæc est ratio quod tantus sit inter ventriculum, os & caput consensus, vt sauciato capite seu dura matre, vomitus sequatur, atque vt ea quæ ventriculo sunt odiosa, ab ore respuantur & exscreentur.
        - Fibræ ex quibus contexitur, sunt rectæ, virtute quarum ventriculus munere ab Oesophago in se attrahendi fungitur. Pro his Vide Fig. 3. Tab. 9. K. Et h. fig. 1.
      - Secunda, quæ est media, est magis carnosa & densa quã prima, Atque eius tela
        - Oritur à pericranio, quæ vt primum ad Oesophagum descendit fibras quidem carnosas sibi assumit.
        - Ex fibris obliquis retentionis causa constituitur, vnde fit vt concoctioni conferat. Vide fig. 3. Tab. 9. I.
    - Vna est communis, atque hæc
      - Oritur à Peritonæo, quod tunicam communem omnibus huius regionis partibus præbet, Hinc ergo communis dicitur.
      - Ex fibris transuersis fabricatur, quibus facultas expulsiua ei attribuitur. Pro his inspice hhh. fig. 3. Tab. 9.
  - Neruis à sexto pari qui duo sunt videlicet dexter & sinister, Oesophagum & ventriculi orificium supremum amplectentes. Pro quibus vide T.V. Tab. 9.
  - Venis à gastrica, splenetica & coronaria à 1. 2. & 4. ramo portæ. Pro quibus vide a. & b. & dd. & c.
- Quantitas, est secundum corporis proportionem, & gulositatem personæ, aut maior aut minor.
- Figura, est instar cucurbitulæ, retortæ chemicæ, seu cornu musæ. Vt fig. 1. & 2. Tab. 9.
- Temperamentum respectu positionis suæ quæ est inter Hepar & lienem est temperatum.
- Situs est inter lienem & concauitatem iecoris in admirabili cuius positione obseruanda est proportio huiusmodi in dispositione à natura, quippe quæ angustiorem eius portionem in ea corporis parte collocauit, vbi pars principalis contenta est magis ampla & vasta hepatis videlicet massa, At vero vbi pars angustior lien nempe situm suum habet, ibi vastior ventriculi regio sibi stationem suam vendicat, vt ita trutinis naturæ videatur ponderari ventriculus, ne lateri dextro onustior & magis molestus sentiatur quam sinistro. Positio eius natur. alis indicatur per Tab. 5. FF. vt scilicet inter cauum hepatis & intestina iacet.

Partes tres sunt similares.

- Prima, est eius orificium superius, quod dicitur Cardia, quo quidem affecto scpicule accidit passio illa, quæ inde Cardiaca dicitur. Hic locus est sedes famis & appetitus, quia est exquisite sensibilis, quia ad istam partem descendunt rami tam dexter quam sinister à recurrentibus seu sexta coniugatione, qui orificium hoc vndique circumagunt. Vide G. & I.K. Tab. 9. & m.
- Secunda, est eius orificium infimum, quod est tanquam ianua ad nutrimentum in ventriculo vsque ad concoctionis perfectionem retinendum apta, vnde & ianitor & Portanarius & ostiarius nuncupatur. Vid. H. Tab. 9. vbi litera P. docet, quomodo duodeno intestino adhæret: & meatus fellis per Q.R. etiam indicatur.
- Tertia, est eius fundum in quo concoctio & chilificatio perfici, & ad exitum produci solet.

Vsus, est ad cibum seu alimentum per Oesophagum in eum attractum in chilum seu pulpam reducendum

Morbi, prouenientes secundum ventriculi

- Totum sunt
  - Intemperies seu discrasia
    - Materialis.
    - Immaterialis.
  - Angustia seu paruitas.
  - Dolor.
  - Nimia sensibilitas.
  - Apostemata.
  - Vlcera.
  - Ruptura.
- Orificium superius
  - Rugitus.
  - Eructatio.
  - Durities.
  - Appetitus corruptus.
  - Vomitus.
  - Subuersio.
  - Nausea seu Abominatio.
  - Conturbatio.
  - Bolismos.
  - Appetitus caninus.
  - Fames syncopalis.
  - Sitis non naturalis.
  - Inflatio.
  - Singultus.
- Fundum vt
  - Corruptio digestionis.
  - Debilitas digestionis.
- Orificium inferius seu Piloro, vt
  - Tarditas descensus cibi.
  - Velocitas descensus cibi.

Constellatio, ex

- Planetis
  - Per se ☾.
  - Cum signis Zodiaci ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ In ♊ ♉ ♍ ♎ ♑ ♍ ♐
- Signis Zodiaci ♋. Cancer enim ventriculo imperat.

TABVLA NONA DE VENTRICVLO QVÆ QVATVOR FIGVras continet, quarum 1. anteriores ostendit ventriculi partes, 2. posteriorem eiusdem faciem cum venis indicat, 3. ventriculi tunicas; 4. ventriculum inuersum explicat.



A. Oesophagi orificium. A.B. Eius canalis. *Fig. 1. 2.*
C. Oesophagi super quintam thoracis vertebram, à B. ad C. inclinatio.
D. Eius ad sinistram inclinatio, à C. scilicet ad D.
E.E. Tonsillæ duæ in faucibus Oesophago appositæ.
F.F. Glandulosum corpus in medio ductu ad quintam vertebram.
G. Oesophagi ad ventriculum nexus.
H. Ventriculi orificium seu Pylorus.
I.K. Ventriculi pars superior.
L.L. Ventriculi pars anterior.
P. Duodenum intestinum.
1.2. Q.R. Meatus vesiculæ fellis in duodenum.
1.2. T.V. Neruus dexter & sinister sexti paris Oesophagum & sinistrum ventriculi orificium amplectens.
2. X. Y. Nernus sinister ventriculi superiora perreptans, & ad iecur vsque excurrens.
2.a. Vena gastrica dextra seu prima ventriculi vena, à trunco portæ,
2.b. Gastro epiplois dextra, vel secunda vena cum arteria & neruo ad ventriculi fundi dextram regionem.
d.d. Vena coronaria stomachica, vel quarta vena cum arteria orificium sinistrum cingens, vt C. est gastrica minor seu tertia ventriculi vena.
h.h.h. Est tunica prima & extima à Peritonæo. *Fig. 3.*
i. Est tunica secunda.
k. Est prima & intima.
l. Est sinistri orificii extuberantia circularis, vbi Oesophagus ventriculo iungitur. *Fig. 4.*
m. Est dextri orificii extuberantia orbicularis, seu pylori circulus.
n. Est ventriculi superficies interior.

CAPVT V.

De Iecore.

- Vocatur
  - Latine,
    - Hepar.
    - Iecur.
  - Anglice, The Liner.

Nobilissimum est membrum, nam iuxta Gal. lib. de format. fœtus. Hoc est primum ex membris quod in conformatione absoluitur, porro etiam est spiritus naturalis autor, & sanguinis fons sedesq; amoris iuxta illud Poetæ

Cor sapit, at pulmo loquitur, fel continet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Oritur à sanguine, & ab eodem nutritur.

Substantiam habet simplicem, quæ nihil aliud esse videtur, nisi sanguis quasi coagulatus, In duos autem vel tres partitur lobos contra Columbi sententiam. Diuiditur etiam in duas partes secundum eius superficiem nimirum in gibbam & cauam: Pro gibba vide Tab. 5. CC. & Tab. 10. AA. CC.

- Ad compositionem suam requirit
  - *Tunicam vnicam, ipsum extrinsecus circumducentem, quæ à Peritonæo deriuatur.*
  - *Caro propria paneuchima dicta.*
  - *Radices venæ Cauæ atque venæ Portæ, quarum anastomosis per PP. Tab. 10. notantur, & ggg. portæ radices, & cccc. cauæ radices, & dddd.*
  - *Arterias nonnullas exiguas ab arteria cœliaca venam vmbilicalem, pro qua vide B. Tab. 10.*
  - *Neruos, nempe ramulum à sexta coniugatione scaturientem, qui non nisi superficialiter & immediate sub eius tunicam inseritur, Hinc fit quod hepar in sola sua superficie sit sensibile. Quomodo hic neruus à sinistra ventriculi parte transit ad Hepar nobis indicat X. Y. Tab. 9.*

Quantitate sua maius esse obseruatur in hominibus quam in bestijs eiusdem dimensionis, At vero in timidis atque ignauis hominibus vastius reperitur & amplius quam in animosis.

Figura non est exacte sphærica, sed pedis Cabalini fissi instar, Pars autem eius exterior est gibba & lenis, interior vero cana & aspera; In posteriori duas habet eminentias protuberantes, quæ ideo à natura adaptantur, ne vena cana à vertebris comprimeretur. Pro hac vide. Tab. 9.

Temperamentum habet calidum & humidum.

Hoc membrū principale
- Connectitur
  - *Superius nempe septo transuerso per ligamentum membranosum supra, vide H. Tab. 10. Et D. Tab. 5.*
  - *Costis spuriis in sinistroque latere, ad proportionaliter tenendum illud in loco suo. Vide I. Tab. 10.*
  - *Intestinis, per venas, vide Tab. 7. vbi Porta indicatur.*
  - *Peritoneo, per tunicam, ei extrinsecus adnatam.*
  - *Vmbilico, per venam vmbilicalem, vt per B. Tab. 10. & B. Tab. 4.*

Vtile est, ad conuertendum chilum in sanguinem, non enim alibi fit huiusmodi transmutatio, Est enim naturæ laboratorium admirabile, & multis vasis distillatoriis dispositione variis ornatum, vti in eius Anatomia mystica latius docebitur, porro Iecur est sedes tam concupiscibilis quam naturalis facultatis.

- Morbos habet quam plurimos, quinsimodi sunt
  - *Intemperies, calida, humida, frigida, sicca.*
  - *Paruitas, de qua Rasis 17. cont. tr. 1. c. 1.*
  - *Oppilatio, nempe in venis eius.*
  - *Dolor, de quo Gal. 5. loc. aff. 7. Auicen. c. 7.*
  - *Debilitas in digestione, quam sequuntur*
    - *Cachexia seu discrasia.*
    - *Atrophia.*
  - *Inflammatio.*
  - *Ventositas.*
  - *Exitura.*
  - *Apostemata, vt sunt*
    - *Phlegmon.*
    - *Erysipelas.*
    - *Oedema.*
    - *Scirrhus.*
  - *Fluxus hepaticus.*
  - *Corruptio facultatis digestiuæ Hepatis, quam sequuntur*
    - *Hyposarcha.*
    - *Ascites.*
    - *Tympanites.*
    - *Leucophlegmatia.*
  - *Dolor hypochondriorum.*
  - *Ruptura hepatis.*
- Constellationi subiicitur ex
  - *Planetis per se, ♃.*
  - *Signis Zodiaci, ♌.*

TABVLA

TABVLA DECIMA HEPATIS FIGVRAS QVATVOR CONTINENS quarum prior hepatis anteriorem, 2. posteriorem cum cauæ & portæ trunco, 3. venæ cauæ portionem diuisam & 4. radices venæ cauæ & portæ per hepar sparsas, eorumque anastomoses indicant.



A.A. Denotat hepatis partem gibbam. Fig. 1.
B. Venam vmbilicalem ostendit.
C.C. Est hepatis posterior & gibba pars. Fig. 2.
2.3. D. Venæ cauæ sedes. E. Venæ phreneticæ.
F. G. Notatur sedes qua cauæ caudex posteriori hepatis sedi innascitur.
H. Ligamentum hepar septo transuerso connectens.
I. Ligamentum hepatis partem sinistram septo connectens. K. Venæ portæ portio
L. Sinus hepatis ad sinistrum ventriculi orificium.
M.N. Venarum propagines ex hepate prodeuntes. Fig. 3.
O.O. Ramuli tenuiores, ex hepate ad venam cauam protensi.
P.P. Venæ cauæ radices per hepar dispersæ.
A. Venæ cauæ truncus ab hepate sursum exurgens. Fig. 4.
B.B. Venæ cauæ truncus à conuexo hepatis emergens, deorsum contortus.
c.c.c.c. Venæ cauæ radices per hepatis substantiam.
d.d.d.d. Radicum cauæ extremitates, quæ inter medias radices venæ portæ penetrant.
e.e. Venæ portæ truncus præcipuus. f.f. Et quicunq; nigri sunt rami radices sunt venæ portæ.
g.g.g.g. Radicum venæ portæ sunt extremitates.

CAPVT

CAPVT VI.

De Vena Caua.



Venæ cauæ radices crassæ & magnæ in hepatis substantiam ab eiusdem summitate ad imum vsque se extendunt, Est autem vena hæc mater omnium venarum, quæ non aliter à parte hepatis gibbosa ortum suum habere obseruatur, quam porta ab eiusdem caua. Ab eius trūco generali infiniti rami, & abiis iterum ramuli pullulare obseruantur, vt rami cum suis diuisionibus ad truncum, & riuuli respectum habent ad flumen magnum vnde emanant.

TABVLA

TABVLA SECVNDA VENÆ CAVÆ, QVÆ EIVS TRVNCVM tam aſcendentem quàm deſcendentem ab hepate arguit in corpore humano, atque etiam trunci vnionem cum dextro cordis ſinu demonſtrat: quatenus in corpore & cum corpore conſpicitur.



A. Denotat diuiſionem venæ cauæ in ramos duos, quorum maior deſcendit, minor aſcendit.
B. Venam ſine pari indicat. Etiam ibi eſt locus notatus vbi vnitur truncus cauæ cordis ſinui dextro.
C. Ramus nutriens regionem pectoris.
D. Eſt ramus ad quatuor coſtas ſuperiores penetrans.
E. Oſtendit diuiſionem trunci tam ad dextram, quam ad ſiniſtram ſe porrigentem.
F. Indicat ramum triplicem, quorum ille ad vtrunque brachium deſcendens baſilica dicitur, cæteri duo rami aſcendunt ad caput, & iugulares dicuntur, quorum vna eſt interna, altera externa.
G. Eſt productio venæ humeralis, à iugulari exteriori prouenientis, hæc in exteriori brachii parte deſcendens venam parit cephalicam dictam, à qua alius egreditur ramus medianus dictus.
H. Eſt productio venæ axillaris.
I. Eſt ramus venæ humerariæ.
K. Ramus faciens venam medianam.
L. Venæ manus & digitorum à Baſilica ſcaturientes.
M. Eſt initium venæ emulgentis dextræ.
N. Explicat æqualem trunci deſcendentis diuiſionem, in ramos duos, hocque circa vertebram lumborum quintam, quorum vnus in dextram partem, alter in ſiniſtram deſcendit.

O. De-

O. Denotat plures ramulos, ad nutrimentum musculorum, intestini recti, & illorum colli vesicæ, atque natum.

P. Ostendit diuisionem seu ramum in loco vbi penis adest, atque hic ramus in crus penetrat aliquantulum profundius.

Q. Est productio alterius rami in medietate cruris ad musculorum nutritionem destinata.

R. Altera diuisio.

Quod ad paruulas literas attinet, eas ad ramorum magnæ arteriæ descriptionem referimus.

Nota quod figuræ arithmeticæ indicant loca corporis in quibus sanguis ex venis (necessitate cogente) est extrahendus.

TABVLA VNDECIMA b. VENÆ CAVÆ TRVNCVM tam ascendentem quam descendentem delineat, quatenus per se & corpore dempta speculatur.

LIB. III. TAB. VII.



In qua

A. Venæ cauæ truncum infra hepar denotat.

α α. β. Radices eius ex hepate prodeuntes truncumque eius constituentes.

B. Cauæ sedes inter hepar & septum transuersum.

C. Phreneticam arguit.

D. Orificium quo caua cordi adnascitur.

E. Coro-

E. Coronalis est cordis.
F F. Venæ Azygos truncus.
G G. Intercostales venæ à dicto truncō. } Sed hæ duæ species in tabula præcedente melius describuntur.
H. Trunci cauæ iuxta iugulum bipartitio.
I I. Vena subclauia ad brachium tendens.
K. Intercostalis superior.
L L. Mammaria descendens.
N N. Est ceruicalis.
P P. Thoratica superior.
Q. Scapularis gemina.
R R. Thoratica inferior.
S S. Iugulares internæ.
T T. Iugulares externæ.
X. Interior ramus sub auris radicē.
Y. Exterior.
Z. Faciei exporrectus ramus.
α. Frontis vena.
æ. Tempora perreptans ramus.
*. Occiput accedens propago.
a a. Vena Cæphalica vel externa brachii.
b b. Musculā superior.
d d. Humeri summum petens vena.
m m. Basilica vena.
θ. Emulgens vena.
λ λ. μ μ. Spermatica dextra & sinistra.
ξ. Lumbares venæ.
O. Venæ cauæ bifurcatio in ileos.
Γ. Epigastrica exterior.
Δ. Pudenda interior.
Z. Femuris vena.

CAPVT VII.

De vesicula fellis.

- Vocatur
  - Latine,
    - Vesicula fellis.
    - Bursa choleræ citrinæ.
    - Cista fellis.
  - Anglice, The gauld.
- Substantiam habet, cuius pars
  - Continens, est nervosa seu membranosa.
  - Contenta, est acrior sanguinis pars, seu eius excrementum biliosum.
- Componitur ex
  - Tunicis duab. quarū
    - Vna est sibi propria.
    - Altera est communis, atque hæc à Peritonæo derivatur.
  - Venis & arterijs, quæ per figur. 1. Tab. 12. indicantur.
  - Nervulo ei & Hepate communi: quam indicat O. Tab. 12. fig. 1.
- Figuram in fundo rotundam possidet, at in tota sua dimensione instar pyri oblongam. Vide A. fig. 1. Tabul. 12. & fig. 2. r.
- Temperie fruitur quoad suū
  - Continens, frigida & sicca, vtpote quod est membranosum.
  - Contentum videlicet humorem biliosum, calida & sicca.
- Vasculum sub Iecore appendens
  - Meatus habet duos, quorum
    - Vnus recipit materiam biliosam ab hepate, estque hic simplex, quem indicat DDD. Tab. 12. & E. & H.
    - Alter emittit bilem à vasculo fellis in intestina atque huius duo recensentur rami quorum
      - Vnus est omnibus communis, habetque exitum in fundū Duodeni, aut principium Ieiuni. Vide Q. R. Tab. 9. Et 11. Tab. 12. & aaaaa. fig. 2.
      - Alter in paucis admodum observatur, atque hic ad ventriculi fundum dicitur penetrare & de huiusmodi affecto mentionem facit Galen. quem continua mater a biliosæ enomitione vexatum narrat.
  - Situm tenet sub dextra hepatis cavitate, à qua tenues nonnullæ venæ portæ & cavæ radices descendunt, per quas biliosus succus in huiusmodi recipiens distillare observatur. Quod totum per fig. 2. Tab. 12. explicatur.
  - Connectitur
    - Hepati, vnione & ligatura naturali, vt in Tab. 12. fig. 2. explicatur.
    - Cum aliis partibus per venas, arterias & nervos.
  - Vtilitatem hanc habet, vt bilem seu sanguinis excrementum cholericum recipiat, illudque in intestina gradatim transfundat, quo illa lubriciora, meliorisque excretionis causa fiant, & eius acritate ad excrementa expellenda aptiora reddantur.
  - Morbis proprijs afficitur, cuiusmodi sunt meatuum obstructio (quam ictericia flava, bilis in massam sanguinem regurgitatio, & febres biliosæ sequuntur) atque calculus, Memini enim me cuiusdam Ocnopolæ cistam fellis aperuisse, & in ea vltra centum lapillos nigros instar granorum piperis inuenisse, quos ex bile crassa & in vasculo suo adusta procreatos fuisse percepi.
  - Constellationem habet
    - Ex planetis ♂.
    - Ex stellis Zodiaci ♌.

TABVLA

TABVLA XII. VESICVLÆ FELLIS, IN QVA DVÆ REPEriuntur figuræ, quarum 1. formam & vasa exhibet, 2. eandem hepati adhuc adnatam, cum meatu suo ad intestina tendente explicat.

LIB. I. TAB. XXXIX.

FIG. I



FIG. II



A. Cistæ fellis fundus.
B. Sinus ad ceruicis vesicæ exortum.
D.D.D. Meatus eius inter venæ portæ. F. & Cauæ. G. radices per hepatis substantiam distributi.
E. Meatuum vesiculæ concursus.
H. Porus biliarius, qui est meatus latior quam sit ceruix vesiculæ.
I.I. Meatus communis à felle ad duodeni extremitatem.
K. Ventriculi dextrum orificium intestino iunctum.
L.M. Duodenum intestinum apertum.
O. Neruulus hepati & felli communis.

Fig. 1.

q.q. Hepatis pars cauа.
r. Vesiculæ fundum dissectum.
a.a.a. Meatus ex vesiculæ fundo, tenuiorem bilem in vesiculam deferentes, &c.

Fig. 2.

CAPVT VIII.

De Liene.

Nomen
- Latinũ, est
  - Lien.
  - Splen.
- Anglicum, The spleen.

Substantia, est mollis, rara, tenuis & spongiosa, quo facilius melancholicas & terrestres massæ sanguineæ fæces imbibat, atque hauriat ab Hepate per venam portam, priusquam materia sanguificata venam cauam ingrediatur. Pro substantia eius dissecta. Vide I.K. Tab. 13.

Compositio habet:
- *Tenuem tunicam in Peritonæo derivatam.*
- *Carnem propriam ex sanguine fæculento ortam.*
- *Venas, à quarto venæ portæ ramo scaturientes, quæ eius cauæ cum arterijs inseruantur. Vide Tab. 13. N.H. pro ramo splenico vide Tab. 7. T. & aaaa.*
- *Arterias, à primo ramo aortæ seu magnæ arteriæ derivatas. Has & venas indicat. N. Tab. 13.*
- *Neruum, à sinistro latere egredientem.*

Figura, est linguæ bovinæ similima: gibbosa autem est versus diaphragma, & concaua in ea parte, vbi venæ, arteriæ, neruique ei inseruntur, Pro: eius sede superiori & inferiori vide Tab. 13. D.E. Pro latere dextro & sinistro. F.G. pro eius caua H. Et LL. pro parte eius gibba atque sulcis à costis impressis. Et MM. pro illa sine sulcis.

Color, est limosi sanguinis instar, at vero in aliquibus differre solet.

Quantitas, est satis insignis, & secundum corporis constitutionem alia alijs vastior & amplior, ego autem obseruaui in quodam presbytero lienem præter naturam esse augmentatum, in cuius superficie conuexa, plura cornua nouiter quasi exturgentia animaduerti, quorum substantia tanta duritie erat prædita, vt vix scalpello scabi aut leuiter abradi potuerint, Positio naturalis per G. Tab. 5. designatur in latere læuo.

Connexio fit per —
- *Venas, arterias, & neruos cum hepate, corde, & cerebro, & cæteris partibus.*
- *Partem eius gibbosam, cum diaphragmate.*
- *Tunicam, cum Peritonæo.*
- *Vas breue, cum Ventriculo.*
- *Epiploon, cum cæteris partibus corporis. Vide CC. & DE. Tab. 13.*

Huius membri —

Venalæ sunt multæ, inter quas vnica est, vas breue dictum, quæ ab eo exurgit, atque inter ventriculi tunicas ad eius orificium superius penetrat, dicunturque humorem acidum sursum à liene ferre, quo mediante, fames & appetitus excitantur, ventriculus corroboratur per astrictionem, concoctioque adiuuatur. Notandum vero est, quod vbi hoc vasculum est amplius, ibi difficulter vltra constitutum tempus differtur fames aut toleratur, vnde fit, vt nonnulli taliter affecti, passione, cardiaca dicta ob hanc causam sæpicule afficiantur. At vero vbi vas huiusmodi est angustius, ibi diu tolerari fames dicitur, atque appetitus debilior esse obseruatur.

- *Erasistratus frustra lienem esse conditum asseuerare haud dubitat.*
- *Aristoteles lib. 3. de part. lib. anim. eum non nisi ab euentu necessarium opinatus est.*
- *Alexander Aphrodisæus, Aretæus* — *Concludunt, lienem esse sanguificationis instrumentum.*
- *Randoletius, Lienem esse melancholici humoris receptaculum prorsus negat.*
- *Vlmus Pictauiensis medicus (lib. de Liene) pluribus contendit, lienem vitalem spiritum, vtpote tenuissimum sanguinem, tanquam spiritus vitalis materiam præparare: indeque per eius arterias eam, sanguinem scilicet sic præparatum, ad sinistrum cordis sinum transportari ait.*
- *Galenus (quem medici recentiores sequuntur)* lib. 1. de sanit. tuenda, & lib. de form. fœtus, & sexto de loco affect. & lib. de atra bile. *Lienem ad san-*

ad sanguinem fæculentum recipiendum esse à natura ordinatum affirmare videtur, idque varijs argumentis seu rationibus affirmare aggreditur.

Vsus videtur esse incertus, nam

Plinius libr. 11. Natur. histor. *peculiare cursus impedimentum in liene consistere ait: quamobrem iuuri dicit in quibusdam, atque etiam docet lienem per vulnus seu insciſionem exemptum esse animalibus nonnullis, quæ tamen viuere solita esse asserit. Ego vero lienem canis à perito chirurgo exemptum esse cognoui insciſione, viuente adhuc cane, Et Leonardus Phieraventus medicus Neapolitanus fœminam nobiliſſimam liene grauiter, imo vero lethaliter affectam, & ab omnibus medicis derelictam, seipsam in eius atque chirurgi experientiſſimi manus committentem ablato, virtute insciſionis, liene valetudinem priſtinam recuperasse asseueranter narrat.*

Andreas Laurentius lib. 6. Hist. Anatomicæ *perfecta quædam animalia, in quibus parum fæculenti sanguinis inest, liene destituta affirmat, aitque dissectum quendam iuuenem fuisse Lutetiæ cui Lien aberat.*

Quænam autem de lienis vtilitate & actione propria sit animi mei sententia, alibi extra hunc tractatum dicam, quoniam de rebus solummodo vulgariter actis atque cognitis hoc in loco disceptare mihi quidem proposui.

Morbi in eo & in de scaturientes sunt

- *Intemperies calida, frigida, humida, sicca.*
- *Apostemata: Vt Schirrhus, &c. tumor.*
- *Dolor.*
- *Ictericia nigra.*
- *Ventositas & inflatio.*
- *Fluxus spleneticus.*
- *Lien magnus & paruus.*

Constellatio est ex

- *Planetis.* ♄.
- *Stellis Zodiaci.* ♌.

TABVLA XIII. LIENIS CVM variis figuris.



A. Lienis ſiniſtrum latus.
B.B. Omenti inferior membrana, vaſa deducens.
C.C. Omenti ſuperior membrana, qua vaſa ad ventriculum perferuntur.
D.E. Lienis ſuperior & inferior ſedes. Vide Omentum.
F.G. Dextrum & ſiniſtrum lienis latus.
H. Linea in caua Lienis regione, cui vaſa inſeruntur.
I.K. Lienis ſubſtantia diſſecta oſtenditur.
L.L. Lienis gibbum cum ſulcis quos coſtæ impreſſerunt.
M.M. Lienis gibbum ſine ſulcis.
N. Venæ & arteriæ in Liene.

LIBER

LIBER QVINTVS.

De

PARTIBVS IN EIVS PROFVNDO IACENTIBVS.

Continet pars ista descriptionem
- *Emulgentium venarum.*
- *Vreterum.*
- *Vesicæ.*
- *Vasorum seminariorum, quæ numero sunt 13.*

CAPVT I.

De Venis Emulgentibus.

Hæ venulæ
- *Nomine vocantur Emulgentes, hocq; ab officio.*
- *Numero sunt duæ,* (*Dextra, Sinistra,*) *Quæ duarum alarum instar ex venæ cauæ corpore exurgunt. Vide a. b. Tab. 15. a.*
- *Positionem habent variam, nam vena*
  - *Sinistra à venæ cauæ trunco transit super vertebras & Aortam, atque ita ingreditur in medium cauitatis Renis sinistri, hæc etiam vt plurimum est altior in sua positione, quam dextra, quia lien minus spatium occupat quam Hepar: At vero hæc regula non semper obseruatur esse constans.*
  - *Dextra transit ab eadem vena directe supra vertebras, sed non super Aortam, & in sinosum renis dextri meditullium more sinistræ penetrat, & hæc plerunq; est in situ suo depressa magis ob Hepatis amplitudinem quam sinistra. Hæ autem ambo vt primum in renum substantiam ingrediuntur, in infinitos ramulos se diuidunt, qui ob hanc rationem venæ capillares nuncupantur. Pro harum positione vide Tab. 15. a. a. b. & Tab. 15. b. 1. h.*
- *Connectuntur*
  - *Primum trunco venæ cauæ cui sunt continuæ. Vt a. & b. Tab. 15. a.*
  - *Postea renibus, in quos vt primum sunt ingressæ, in multas venulas capillares (vti dictum est) se extendunt & dispergunt, quæ sparsim per renum substantiam disseminantur. Vt appareat oculis iuxta T. & V. Tab. 15. a. Et prosinibus per quos ingrediuntur vide e e. Tab. 15. b.*
- *In vsu habentur, vt tam sanguinis serum, quam ipsum sanguinem ad renes nutriendos deferant; Renes autem sanguinem diuidunt à serositate & illum pro nutrimento imbibunt, at vero inutilem serositatem per vreteres in vesicam emittunt.*

CAPVT II.

De Renibus.

- Nomen
  - Latinum, est renes.
  - Anglicum, The Riduys.
- Substantia, est carnea, rubra, densa, & solida, & non multum à cordis substantia dissimilis, præterquam quod fibris est destituta, est autem eius substantiæ propria illa carnis species quæ parenchyma dicitur. Pro integra sua substantia vide 15.a.T.V.
- Corpusculorum huiusmodi
  - Compositio, in se habet
    - Duas tunicas, videlicet
      - Vnam sibi propriam.
      - Alteram à peritonæo & ventriculo deriuatam, vnde oritur tantus consensus inter renes & ventriculum, vt calculo laborantibus vomitus cicatur.
    - Venulas à ramis emulgentium, quæ, ob ipsarum tenuitatem, capillares dicuntur, atque hæ per vniuersam fere renum substantiam dilatantur. Vide Tab. 15.a.iuxta A.V.
    - Arterias, renales dictas.
    - Sinum seu cauitatem satis amplam, quæ in origine vreterum situm suum habet, & assimilatur infundibulo, in quod serosa materia à sanguine colata, recipitur: Hæc tunica membranosa vestitur, quæ cum vreteribus obseruatur esse communis & continua.
    - Papulas seu exiguas carnis portiones, processus mammillares dictas, per quas humor serosus separatur & colatur à puro sanguine, & in sinum prædictum instillatur, vt inde tandem per vreteres in vesicam transfundatur. Hic tamen diligenter obseruandum est, quod huiusmodi separatio sanguinis à sero, incipiatur à venis capillaribus, quæ crassum à subtili, instar cribri Setacei, distinguere solent, & à processibus huiusmodi mammillaribus perficitur huiusmodi colatio. Pro his vide Fig. 2.fff.Tab.15 a.
    - Glandulosam quandam substantiam in sua summitate. Vt per B. Tab.14.fig. 1.apparet.
  - Connexio fit cum
    - Lumbis, per peritonæum.
    - Ventriculo, per tunicam quæ etiam à Peritonæo oritur vesica, per vreteres, vt ex Tab.15.a.liquet.
    - Intestino colo, per ligamenta propria: vide A.I.Tab.5. Hinc est quod colica passio sit calculi in renibus comes: nam flatus per humorum attenuationem excitantur in color propter renum inflammationem seu calorem non naturalem à calculo excitatum.
    - Toto corpore, per vasa.
- Quantitas, est maior vel minor secundum seri à sanguine expurgandi necessitatem.
- Figura, est instar semilunij cum cornibus obtusis, eius vero cornua ad venæ cauæ corpulentiam seu truncum spectant, cum concauitate sua, eius vero pars gibba seu conuexa Ilia respicit: Ego vero renes cuiusdam vidi planas ad modum corporis pisciculi lati, formaque similunari omnimodo carebant. Pro hac vide Tab.14.A.fig.1.
- Situs, est supra lumborum vertebras, & paulo infra iecur & lienem, porro incumbunt musculis lumborum, qui ordinati sunt ad flectendum crus, vnde calculosi crus è directo stupore nonnunquam torpescit. Pro renum ordine vide Tab.15.a.a.
- Numerus, est binarius vt plurimum, tametsi quorundam obseruationibus quandoq; nonnisi vnus, quandoq; plures in corporibus nonnullis esse animadvertuntur: Nam apud Andr. Laurentium lib.6.c.23. de Hist. Anatomica inuenimus, quod ipse in corporibus, quandoq; vnicum, quandoq; tres, aliquando quatuor renes obseruauerit.
- Morbi, sunt eorum
  - Debilitas.
  - Ventositas.
  - Dolor, seu Nephritis
  - Oppilatio.
  - Lapis seu Lithiasis.
  - Apostemata.
  - Vlcera & scabies.
- Constellatio, ex
  - Planetis. ☿.
  - Stellis fixis Zodiaci ♎.

TABVLA XIV. QVÆ EST RENVM, CVM FIGVRIS DVABVS, quarum vna denotat renem integrum, altera eum apertum.

FIG. I.



FIG. II.



A.I. Ren integer. *Fig. 1.*
B. Glandula reni impoſita.
C. Vena & arteria emulgens.
D. Vreter.
e.e.e. Vreter apertus, & per renem extenſus, fiſtularum ſeu ductuum forma. *Fig. 2.*
f.f.f. Caruncvlæ papillares, anguſtiſſime perforatæ, quæ proceſſus mammillares dicuntur.

CAPVT III.

De Vreteribus.

Nominantur, { *Græce, Vreteres.* / *Latine,* { *Vasa vrinaria.* / *Venæ albæ à Celso.*

Oriuntur, à concauitate seu ima parte renum. Vt Tab.14.fig.1.C.D. & Tab.15.a. iuxta T. & V. Et m. n. Tab.15.b. indicatur.

Substantiam habent, membranosam & neruosam.

Quantitatis primæ fronte videntur angustæ esse, at vero si flatu extendantur, valde ampla & capacia esse deprehendentur, & præcipue summitates versus. Pro hac videre licet Tab.18. lib.1. pag.158. Gasp. Bauhini.

Hæc vasicula oblonga

Numero feruntur esse duo, vt apparet per T.V. Tab.15.a.

Ponuntur per longitudinem musculorum longorum, vt patet per Tab.15.a. Mouentur à Renibus ad vesicam. Vide Tab.15.a.c c. & d d.

Figuram habent oblongam & concauam more venarum, vt Tab.15.b. à renibus ad vesicam videre licet.

Insertionem habent in substantiam vesicæ, eiusdem videlicet in lateribus, in quibus locis penetrantia, inter ambas vesicæ tunicas migrant, & versus collum fere vesicæ tendunt, atque inde reflectuntur in intimam vesicæ cauitatem, quo quidem sinuoso reflexu inferior vesicæ tunicæ loco valuulæ inseruire videtur, ne vrina refluat & regurgitet extra vesicam. Pro hac vide Tab.15.b.ψ.

Vsum habent, vt inseruiant loco canalium seu tubarum, vt per eas vrina seu materia serosa, virtute renum à sanguine separata, in vesicam deferatur.

Morbis afficiuntur, cuiusmodi sunt obturatio & corrosio, imo vero & quendam nobilem noui, cui vnum ex his calculo male figurato erat perforatum.

CAPVT

CAPVT IV.

De Vesica.

Nomen
- *Latinum, quod est*
  - *Vesica.*
  - *Humidi excrementi receptaculum,* Arist. lib. 1. de hist. Ani.
- *Anglicum, The bladder.*

Substantia, est eadem cum illa vreterum, neruosa scilicet & membranosa, quo facilius se dilatet atque extendat, vbi necessitas id requirit.

Compositio, ad quam duo concurrunt videlicet eius
- *Corpus, ex duab. tunicis cõflatum quarum*
  - *Vna ei est propria, atque hæc est spissa & crassa admodum est q3 ex tribus fibrarum generibus contexta, nempe ex*
    - *Rectis, ad vrinam in vesicam attrahendam destinatis, & hæ in interiori vesicæ parte disponuntur.*
    - *Obliquis, quæ facultatis retẽtiuæ sunt instrumenta, quibus vrina suo tempore retinetur in suo receptaculo, ne homo assiduo cogeretur vrinam emittere, atque huiusmodi in tunicæ medio situm suum habent.*
    - *Transuersis, atq3 hæ ad materiam scrosam in vesica contentam expellendam ordinantur, suntq3 in eius parte exteriori collocatæ.*
  - *Altera est communis, ab ipso peritonæo deriuata, in qua dissemi-nantur venæ, nerui & arteriæ, Et notandum est, quod nerui duo insunt vesicæ, alter à sexta coniugatione, alter à spinali medulla ortum trahens.*
- *Ceruix, seu eius collum, quod musculo cingitur, quem sphincterem vocant, cuius proprietas est tam astrictiua quam dilatatoria. Hæc per θ. Tab. 15. b. fig. 2. exprimuntur.*

Figura, non est exacte sphærica, sed potius oualis seu fere pyramidalis.
Quantitas seu magnitudo, est satis insignis secundum corporis proportionem.

Notanda sunt in hac eius
- *Positio, nam in*
  - *Viris, intestino recto incumbit.*
  - *Fœminis supra matricem sita est.*
  - *Vtrisque sub osse pubis collocatur, & supra os sacrum.*

} *Vide Tab. 15. a. p. & e 1. Tab. 15. b.*

Temperamentum, est frigidum & siccum.

Connexiones, sunt
- *Peritonæo, vt Tab. 8. G.*
- *Vmbilico, per vasa vmbilicalia. Vide b. Tab. 4. a.*
- *Ossi pubis & sacro, propriis ligamentis.*
- *Renibus, mediantibus vreteribus, vt Tab. 15. a. & 15. b.*
- *Partibus nobilioribus, per venas, arterias & neruos.*
- *Virgæ virili, per collum, vt Tab. 15. b.*
- *Intestino recto, per tunicam communem, atque hinc oritur consensus ille inter intestinum rectum & vesicam, vt in calculosis, & vesicæ vlceribus sat liquido apparet.*

Vsus, est vrinam per fibras rectas ad se trahere, eamque per obliquas suo tempore retinere, quousque oneretur receptaculum ac tandem materiam superfluam vas hoc recipiens implentem euacuare.



CAPVT V.

De tredecim generationis organis, quæ & vasa seminaria seu spermatica dicuntur.

DE seminis & spermatis discrepantia, de mystico ipsorum ortu, reciproco nexu, atque tandem actione vnius in aliud ad fœtus procreationem, hoc in loco nihil dicam, quoniam de eorum descriptione in Anatomia nostra mystica verba, & quidem vberrima, proferre mihi proposui.

CAPVT

CAPVT VI.

De vasis præparantibus.

- *Vasa seminaria sunt 13. quorum alia sunt*
  - *Præparatia, quorum*
    - *Numerus, est 4. nempe*
      - *Duæ venæ à trunco cauæ.*
      - *Duæ arteriæ à trunco Aortæ.*
      - *Scaturientes. Pro truncis autē vtriusque à quibus hæ egrediuntur, vide Tab. 15. b f f. & gg. & Tab. 15. a. Q. & R.*
    - *Origo, nempe*
      - *Venarum, à cauæ descendentium*
        - *Sinistræ, est à sinistra emulgente, vide g. Tab. 15. b.*
        - *Dextræ, à trunco venæ cauæ sub rene dex. Vide O. Tab. 15. b.*
      - *Arteriarum, ab arteria magna prope renes exeuntium, quæ demonstrantur per Tab. 15. b. r.*
    - *Substantia seu compositio, est venis seu arteriis communibus similis; præterquam quod natura hisce aliam tunicam à peritonæo deriuatam accommodat.*
    - *Motus ad testes indicatur per e. f. Tab. 15. a.*
    - *Quantitas, est longior in viris quam in mulieribus, quippe in quibus testiculi extrà ventrem propendent. Pro quantitate. Vide Tab. 15. b. o. & r.*
    - *Plexus seu vnio admirabilis, retiformis, à Græcis Anastomosis dicta, in qua vena arteriam & reciproce arteria venam, instar ramorum hederæ sui sum per murum antiquum serpentis amplectuntur, atq; huiusmodi amplexus seu implicatio fit in media via descensionis horum vasorum testiculos versus, atq; adinuicem hærent, donec ad ipsos pertingant. Hi plexus durant ab y. ad x. Tab. 15. b.*
    - *Vsus, est ad dissecandam & præparandam materiam seminis ad spermatis generationem: atq; etiam (idq; præcipue) ad permiscendum more specifico semen inuisibile cum sperm. visibili, quemadmodum inferius suo loco declarabimus.*
  - *Elaborantia, & excoquentia, Epidydumides dicta, & hæ sunt numero 2.*
  - *Expurgantia ab humiditate serosa superflua, vimq; prolificam semini concedentia, cuiusmodi sunt Testiculi duo.*
  - *Deferentia totidem nempe duo, quorum est sperma, ita à suis superfluitatibus expurgatum, in vasa sua prostates nuncupata transferre.*
  - *Recipientia duo, prostates appellata.*
  - *Eiaculans vnum, quod instar Syringæ sperma in matricis concauitatem eiaculare solet, atque hoc penis seu virgæ virilis appellatur.*

CAPVT VII.

De vasis elaborantibus.

- *Vasa elaborantia*
  - *Dicuntur*
    - *Parastates.*
    - *Epidydumides.*
    - *Variformes.*
  - *Numero sunt duo. Vide Tab. 15. b. n.*
  - *Substantiam habent vasis præparantibus molliorem & carnosiorem.*
  - *Figuram habent fere pyramidalem. Pro varicoso autem vase pyramidali. Vide t. Tab. 15. b. vbi demonstratur.*
  - *Situm suum vendicant in parte superiori seu capite, & suminitate testiculorum, & in medio iacent inter vasorum præparantium finem & testiculos. Vide Tab. 15. b. n.*
  - *Connectuntur vasis præparantibus simul implicatis & testiculis adhæsione forti, imo vero ipsorum testiculorum tunicis propriis continua esse videntur. Vide Tab. 15. b. in t.*
  - *Vtilia sunt (vt nonnulli volunt) ad semen seu sperma præparatum excoquendum.*

CAPVT VIII.

De vasis Mundificantibus seu Expurgantibus.



Vas illud commune continens testiculos, Scrotum dicitur, quod ex cuticula, cute, membranaque carnea (quo aptius ad se dilatandum foret) conflatur, vsus huius est, testes continere, teneros, eosque contra frigoris externi iniurias defendere.

CAPVT IX.

De vasis Deferentibus.



CAPVT

Caput X.

De vasis Recipientibus.

Vasorum huiusmodi
- *Nomen, est* — *Glanduloſi præſides.* / *Proſtatæ glanduloſæ.*
- *Subſtantia, eſt glanduloſa, & inſtar ſpongiæ poroſa.*
- *Situs, eſt in vtroq; ceruicis ſeu colli veſicæ latere: pro qua vide Tab. 51. b*
- *Vſus eſt, vt contineat humorem ſemine tenuiorem, qui ſimul cum ſemine egrediens confert ad* — *Delectationem in coitu excitandam.* / *Meatum vrinarium tanquam oleo humectandum quo tenerrima huiusmodi meatus ſubſtantia aduerſus vrinæ acrimoniam defendatur, atque ne corrodatur, mumatur.*
- *Notandum eſt, quod ratione quantitatis ſeminis in his vaſis remanentis accidit, vt equi etiam exciſis teſticulis nonnunquam ſemel procreare animaduertantur.*

Caput XI.

De eiaculatorio vnico.

Vas hoc vltimum
- *Nominatur apud* — *Græcos, καυλὸς.* / *Latinos,* — *Mentula.* / *Virga virilis.* / *Membrum virile.* / *Penis.* / *Anglos, The Prik or poard.*
- *Subſtantia non fruitur oſſea, vt eſt illa canis, vulpis, aut lupi, quia tunc non indigeret erectione, nec eſt ea cartilaginea, nec neruoſa, nec muſculoſa, nec vena, nec arteria, nec membrana eſt, ſed tamen nonnulla ex his concurrunt ad eiusdem compoſitionem, At vero in ſua natura ſimplici obſeruatur eſſe ſpongioſa, rara, poroſa, & fere ſubſtantiæ lienis ſimillima. Eſt de illa carnis ſpecie Parenchyma dicta, vt & illa Iecoris, Lienis, Renum, & obſeruatur habere duo quaſi corpora quæ eam conſtituunt. Vide Tab. 15. b. η.*
- *Componitur ex partibus diſsimilaribus, nam* — *Ligamenta craſſa habet.* / *Principium eſt carnoſum, muſculus enim ſphyncter dictus ei annectitur, ortũ enim ſuum habet à collo veſicæ, cui proſtatæ glanduloſæ iunguntur, figura autem muſculi prædicti eſt annulo ſimillima veſicæ orificium circundanti, vſusq; eius eſt aperire & claudere eius orificium.* / *Finis ſeu terminus dicitur glans, & tunica illam operiens nuncupatur præputium: ablatio cuius dicitur circumciſio.* / *Arteriarum ramuli ei inſunt plurimi, & virtute ſpirituum vndiq; per hos ramulos arteriales diffuſorum huius inſtrumenti erectio dicitur incitari.*
- *Figuram habet ita efformatam vt pro diſpoſitione volentis tam contrahi quã dilatari atq; extẽdi queat, quæ quidem actio vt melius perficiatur, annulis nõnullis, illis aſperæ arteriæ quodammodo ſimiles, ſed ſpiraliter in eius ſubſtantia diſpoſitis, obſeruatur eſſe prædita. Deſcribitur autem Tab. 15. a. per x. & Tab. 15. b. per y.*
- *Vſum habet communem tam ad* — *Generationem, videlicet ad iniectionem ſpermatis in vterum muliebrem.* / *Excretionem & euacuationem ſeroſæ ſanguinis contenta, ſeu vrinam, poſtquam à veſica illa recipiatur.*



Nota quod mulierum partes generationi dicatæ, aliæ semen præparant, vt venæ & arteriæ spermaticæ, aliæ excoquunt, vt Epidydimis & testes, aliæ eiaculantur, vt vasa duo, aliæ recipiunt, continent, & fouent ad conceptum, vt vterus. Vnde differunt à virorum partibus non situ tantum vt quidam volunt, sed numero etiam, structura & figura.

TABVLA

TABVLA XV. a. DE VASIS VRINALIBVS, ATQVE spermaticis in prima forma.



A.A. Septum cum Peritonæo & costis reflexum.
B.B. Hepatis caua, vbi Hepar eleuatur, vt eius pars caua ostendatur.
C. Ligamentum Hepatis sinistrum.
D. Vena vmbilicalis.
E. Hepatis sinus ventriculo cedens.
F. Ventriculi orificium sinistrum.
G. Tubera & impressiones in hepatis cauo.
H. Vesica fellis.
I. Venæ portæ truncus detruncatus.
K. Heparis neruus à stomacho prodiens.
O.P. Lienis anterior & caua regio.
Q. Est venæ cauæ truncus.
R. Est arteriæ magnæ truncus, vt & S. arteria cæliaca dissecta.
T. V. Renes in integra sua substantia.
a. b. Venæ emulgentes.
c.c. & d.d. Vreteres, ab vtroque rene ad vesicam migrantes.
e.f. Spermaticæ venæ ad testes.
p. Vesica vrinaria.
q. Vasis semen à teste deferentis hic reflexi portio.
x. Penis excoriati pars propendens.

TABVLA XV. b. IN SECVNDA MEATVVM VRINALIVM & vaſorum ſpermaticorum ſerie, figuras duas continens.

LIB. I. TAB. XXIII.

FIG. II.

FIG. I.



Fig. 1. & 2 a.a. Renis dextri anterior ordo, vt & b.b. in 2. figura ſiniſtri.
e.e. Sinus duo quibus vaſa emulgentia inſeruntur.
f.f. Venæ cauæ truncus, vt & g.g. arteriæ magnæ truncus.
1.h. Vena & arteria emulgens, vt k.k. vena adipoſa dextra.
m.n. Vreteres. o. Vas ſpermaticum venale dextrum, vt & g. ſiniſtrum.
1.r. Arteriarum ſeminalium exortus.
ε. 1. Veſica v inaria.
1. 2. t. Varicoſum vas pyramidale.
1. 2. u. Paraſtatæ ſeu Epidydimes.
1. x. Teſtis ſua tunica adhuc inuolutus.
1. 2. y. Defetentis vaſis exortus.
2. θ. Sphyncter muſculus veſicæ.
1. 2. ϰ. Corpora duo penem conſtituentia.
1. 2. y. Meatus communis vrinæ.
2. ψ. Vreterum in veſicam implantatio.

REGIO

REGIO MEDIA.

THORACIS, SEV MEDIÆ MICROCOSMI REgionis descriptio, in libros quinque diuisa.

- In Thoracis
  - Toto respiciuntur eius
    - Nomen
      - Græcum, à θόρω deriuatum quod est salio, vtpote in cuius meditullio cor metrice moueri atque saltu symphoniaco vitæ mensuras ducere agnoscitur; hinc ergo Thorax dicta est hæc regio.
      - Latinum, pectus.
      - Anglicum, The brest.
    - Situs, qui est huiusmodi, vt pars eius
      - Anterior, sit inter clauiculas & mucronatam cartilaginem seu Diaphragma.
      - Posterior, à duodecim dorsi vertebris metiri videatur.
      - Lateralis, costis veris nothisq; & intercostalibus musculis circumdetur.
    - Figura, quæ est rotunda seu oblonga, nec quidem est ipsa exquisite gibbosa seu carinata vt illa brutorum, sed magis plana.
    - Vsus, quippe quæ loco propugnaculi seu munimenti inseruiat cordi, partibusq; vitæ atque eius organis adaptatis.
  - Partibus de quibus in cap. seq.


In Thoracis partibus considerandus vel eas quæ sunt
Continentes, atq; hæ sunt
Communes, cuiusmodi sunt
Cuticula.
Cutis.
Adeps.
Panniculus.
Tunica musculorum communis.
Propriæ, quæ sunt
Ossea sunt q; 4. generum
Clauiculæ 2. vide F. Tab. 1. huius regionis.
Costæ 24.
Veræ
Spuriæ
& X. Tab. 1.
Vertebræ duodecim.
Omoplatæ, seu scapulæ.
Membraneæ, vt
Pleura.
Mediastinum.
Diaphragma. Vide a. Tab. 1.
Carneæ, vt
Musculi respirationis. Vide YY. Tab. 1.
Mammillæ.
Contentæ, quales sunt
Pericardium.
Cor.
Vena cava ascendens.
Arteria magna.
Pulmones.
Nervi à sexta coniugatione, Recurrentes dicti.
Aspera arteria cum suis appendicibus.

TABVLA

TABVLA I. REGIONIS MEDIÆ INTEGRAM thoracis regionem deſcribens generaliter.



a. Diaphragma in ſua ſede.
e. Arteriæ magnæ diſſectæ foramen.
h.i. Diaphragmatis duo carnoſi exortus.
l. Foramen oeſophagi.
m. Diaphragmatis foramen pro aſcenſu venæ cauæ.
n. Vena phrenica.
o. Arteria phrenica.
p.p. Femoris muſculorum par ſextum.
q.q. Femoris muſculorum par ſeptimum.
r. Dorſi muſculus quintus.
s. Os ſacrum cum neruis.
t.u.x. Os pectoris, & u. eſt cartilago enſiformis.
A.B. Pectoralis muſculus ſeu brachii primus in ſua ſede A. idem vſque ad implantationem ſeparatur B.
C.C. Serratus maior, & thoracis muſculus ſecundus.
D. Serratus minor & thoracis muſculus ſecundus.
E. Brachii ſecundus muſculus.
F. Clauicula.
X. Coſtæ.
Y.Y. Intercoſtales muſculi.

Ad regionis huius descriptionem concurrunt libri 5. quorum
- Tres priores circa continentia propria versantur, nam
  - Primus, de contentis ossea substantiæ agit.
  - Secundus, illa musculosa natura tractat.
  - Tertius, ea membranosæ materiæ aperit.
- Duo posteriores circa contenta versantur, nam
  - Quartus, membra in thorace contenta tractat.
  - Quintus, partes à Thorace protuberantes describit.

REGIONIS MICRO-COSMICÆ

LIBER I.

De

PROPRIIS OSSEÆ SVBSTANTIÆ CONTINENTIBVS.

CAPVT I.

De Clauiculis.

Quorum
- Nomen, ab officio deriuatur, vtpote quæ istam regionem confirmant, & statuminant quasi clauibus.
- Substantia, est dura, solida, & minime concaua.
- Figura est curua, id est, instar literæ ∪. Vide Tab. 2.
- Numerus, est binarius, nam vtrique lateri correspondet vnica.
- Connexio firma cum cartilagine pectoris est facta.
- Positio, est in vtroque iuguli latere, nam membrum inter hæc duo ossa positum iugulum nuncupatur.
- Vsus, est ad huius regionis corroborationem.
- Morbi, sunt fractura, laxatio. Pro his clauiculis vide Tab. 2. ab A. ad T.

CAPVT II.

De osse pectoris sternon dicto.

Ossis huius
- Nomen est os sternon.
- Substantia, est incerta, nam aliquando est
  - Ossea quasi.
  - Spongiosa & porosa.
  - Cartilaginosa.

  } Vtcunque tamen est mollior quam illa clauicularum. Vide fig. IX. Tab. 2.
- Compositio, vel est
  - Ex 4. 5. 6. 7. vel pluribus ossibus.
  - Tota continue ossea & indiuisa, & in eius basi apparet os illud paruum quod à similitudine vocatur.
    - Os mucronata cartilaginis
    - Os ensiforme.
    - Malum granatum.

    } Vide figur. 9. Tab. 2. K. & 5. Tab. 4.
- Quantitas, seu magnitudo eius est latior & densior in summitate clauiculas versus, at vero in eius profundo seu imitate angustior longe esse obseruatur. Vt ex fig. IX. Tab. 2. h. e. i. k. patet.
- Positio, est in media anterioris Thoracis parte, & in longitudinem se extendit à clauiculis (quibus connexione firma adligatur) ad Diaphragma vsque seu ventriculi summitatem. Vide Fig. IX. h. e. i. k. & pro interiori sterni parte vide AAA. Tab. 4.

Connexio,

- *Connexio, est varia, nam*
  - *Intrinsecus, adhæret fortiter mediastino.*
  - *Suprà, clauiculis insertione stricta affigitur. Videlicet in g. fig. IX. Tab. 2.*
  - *Infra, Diaphragmati adhæret.*
  - *Latera eiusdem cartilagineo nexu costarum verarum extremitatibus vniuntur. Videlicet in c. fig. IX. Tab. 2. & vide A. Tab. 4.*
- *Vsus, est vt sit quasi scutum seu clypeus, quo cor membraque vitalia contra iniurias externas muniantur & defendantur.*
- *Morbi, sunt ruptura &c.*

CAPVT III.

De Costis.

- *Huiusmodi ossa lateralia*
  - *Nominantur costæ, vtpote quæ latera muniunt.*
  - *Substantiam habent partim osseam, partim vero cartilagineam.*
  - *Numero sunt 24. videl.*
    - *12. In latere dextro.*
    - *12. In latere sinistro.*
    - *Vide fig. 9. & 10. Tab. 2. 1. 2. 3. 4. ad 12. vsque.*
  - *Diuiduntur, in —*
    - *Veras, quæ sunt numero 7. in quolibet latere supremum locum obtinentes: Atque hæ veræ ideo nuncupantur, quoniam secum sterno coniungentes circuli periferiam absoluunt. Vide fig. 9. Tab. 2. ad 7. vsque.*
    - *Spurias, quæ numero sunt quinque in quolibet latere, atque hæ spuriæ ideo appellantur, quia cursum circularem non perficiunt, sed in via deficiunt quasi. Vide a. 7. fig. 9. ad 12.*
  - *Membrana duplici vestiuntur, quarum*
    - *Vna à periostio deriuatur, & hæc firmiter costis adhæret.*
    - *Altera à pleura oritur, atque hæc tunicam illam à periostio deriuatam tegit.*
  - *Vsum hunc præbent, vt spiritualia ab externis iniurijs seu violentijs lateraliter defendant.*
  - *Morbis obnoxia huiusmodi, videlicet fractura, dislocationi, relaxationi.*

TABVLA

TABVLA II. QVÆ EST DE OSSIBVS PECTORIS: IN QVA Octo sunt figuræ, quarum prior anteriorem, 2. posteriorem, & 3. infimam clauiculæ partem ostendit, 4. describit clauiculam mulieris, quæ in illis est magis recta quam in viris, 5. exprimit binas cartilagines clauiculę articulis interpositas, 9. sterni partem anteriorem, vt & 7. eiusdem posteriorem delineat, 8. arguit anteriorem mulieris sterni partem.



1.2.3. A. Clauiculæ caput sterno articulatum.
1. B. Angulus huius capituli primus.
1.2.3. C.D. Angulus secundus & tertius.
1.3. E. Clauiculæ anterior linea eminentior.
2.3. F.G. Linea inferior, quæ iuxta G. aspera est.
1.2.3. H. Clauiculæ medium teres.
1.2. I. Exterior pars latior & curua.
1. K. Asperitas in hac sede.
3. L.M.N. Clauiculæ inferior sedes sinuata & aspera, & circa N. oritur ligamentum quod in scapulæ processum inferiorem infigitur.
2.3. O. Clauiculæ tuber sterno appositus.
3. P. Asperitas inferior interioris sedes.
1.2.3. Q. Capitulum planum quo scapulæ iungitur.
4. R. Clauicula mulieris.

5. S.T. Car-

5.S.T.Cartilago clauiculæ cum scapulæ articulum intercedens S.cartilago altera cum sterno T.
6.a.Sterni ossis primi extuberantia.
6.b.c.Impressio vtrinque ad extuberantiæ latera.
7.d.Sterni sedes posterior cauata.
6.e.f.Sinus clauiculas admittens.
6.7.g.Sinus cui costa prima articulatur.
6.7.h.Ossis primi cum secundo articulatio.
6.7.i.Sinus cui costa 2.adiungitur.
6.7.k.l.m.n.o.Sinus alii quibus costæ sequentes quinque articulantur.
6.p.q.r.Linea,quæ post ossium coalitum remansere.
6.7.s.t.Sterni os tertium s.cum cartilagine t.
8.u.Foramen ad cordis figuram efformatum.

Fig. IX. Thoracis ossium partem anteriorem X. posteriorem XI. costam veram confractam XII. costæ duodecimæ confractæ partem posteriorem exhibet.

à char.1.ad char.12.in 9.& 10.figura costas 12.ostendit,septem superiores veras,5.inferiores nothas
9.A.B.Costarum cum suis cartilaginibus coalitus.
9.C.D.Costarum cartilaginum cum sterno articulatio.
9.E.Cartilaginis capitulum obtusum.
9.F.F.Costarum spuriarum cartilagines acutæ.
9.g.h.i.Sternum in medio costarum g.furcula superior.
9.G.H.Costæ vndecimæ interuallum,quo nonnunquam cartilago à vicinis dehiscit: 12.vero semper.
9.I.I.Cartilaginum inæqualis extuberantia.
9.K.Cartilago ensiformis.
11.K.Sinus in costæ inferiori parte in longum deductus.
11.L.M.Capitulum quo costa vertebræ articulatur L.capitulum,quo transuerso processui iungitur M.
12.N.Capitulum obtusum costæ vndecimæ & duodecimæ.
11.12.O.Tuberculum cui musculus dorsi 11.inseritur.
11.P.Asperitas inter duo capitula ligamentum producens.
11.Q.Asperitas cum leui extuberantia,cui musculus Thoracis sacrolumbus dictus implantatur.
11.R.Costæ fractæ fungosa substantia.

LIBER II.

De

PROPRIIS MVSCVLOSÆ SVBSTANTIÆ CONTINENTIBVS.

CAPVT I.

De musculis intercostalibus.

- Horum musculorum
  - Nomen, est Musculi intercostales à loco seu positione.
  - Substantia, est partim neruosa, partim carnea, partim cartilaginea, vt in musculi natura supra relatum est.
  - Numerus, est 22. Vessalius vult quorum interiores inseruiunt inspirationi, exteriores vero expirationi, nam 2. priorum costarum superiorem thoracis partem dilatant, quemadmodum illi duo infimarum contrahunt inferiorem illius partem, & sic in cæteris: At ex his omnibus Diaphragma (licet horum musculorum vltimus) non minimum in respiratione locum obtinet. Sed de ipso suo loco. Vide Tab. 1. AB. & CC. & D. sed præcipue Vide YY. pro musculis intercost.
  - Vsus præcipue in respirationis actione versatur.
  - Morbi, sunt tumores, vlcera, apostemata, imo vero memini me carbunculo fere lethali in pueritia mea, versus læuam thoracis partem fuisse affectum, Cuius tamen periculum (Deo sint gratiæ) periti & docti cuiusdam chirurgi industria tandem sanus euasi.
  - Constellatio, est
    - Ex planetis. ♄
    - Ex stellis fixis. ♋

CAPVT II.

De Mammillis.

- Quæ
  - Nuncupantur,
    - Mammæ.
    - Mammillæ.
    - Vbera.
  - Compositionem habent variam: Nam mammæ
    - Marium conflantur ex cute, adipe & papillis: glandulis vero carent, vtpote quibus non est lactis generandi necessitas.
    - Fœminarum vero præter cutem, adipem & papillas plurima glandulosa habent corpora, conflantur ergo ex cute, adipe, panniculo carnoso, glandibus, neruis, venis & arteriis, Pro venæ mammariæ motu vide Tab. 4. B. C. Pro arteriis mammarijs D E. & L L. Tab. 6. b.
  - Quantitate variâ gaudent, pro dispositione corporis personæ.
  - Figuram habent rotundam, est q; mamma instar hæmisphærij cuius polus est papilla.
  - Temperamentum habent, frigidum & humidum.
  - Vsum præbent,
    - Ad corporis humani ornamentum.
    - Ad lactis (infantis nutritioni destinati) generationem.
  - Morbis premuntur variis, nempe vel ob indispositionem
    - Lactis, vt einsdem
      - Exuberantia seu diminutio.
      - Caseatio & grumositas.
      - Putrefactio & congelatio.
      - Spissitudo nimia.
      - Tenuitas nimia.
    - Substantiæ, vt sunt:
      - Apostema.
      - Magnitudo seu exturgentia.
      - Corrosio.
      - Vlcus.
      - Cancer.
      - Inflammatio.
      - Durities.
  - Constellationem habent
    - Ex planetis. ♄
    - Ex signis Zodiaci. ♋

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De Diaphragmate.

Huius musculi membranosi

- **Nomen, est**
  - *Diaphragma.*
  - *Phrenas, non quod de prudentia participet, sed quia hoc, cum inflammatur, phrenitidem inducit continuam. Differt tamen haec phrenitidis species ab illa Ideopathetica dicta, quae ex meningum cerebri inflammatione accidit, quia in hac vox est rauca & respiratio longa, sed in illa vox acuta & respiratio frequens & difficilis.*
- **Substantia**
  - *Media, est membranosa, & nervosa, & in hoc à communi musculi proprietate differt, & proinde singularis est.*
  - *Extrema, est carnosa & aliquantulum tendinosa. Pro eius descriptione completa vide Tab. 3. a. b. c. d. e.*
- **Compositio fit ex parte**
  - *Membranosa duabus tunicis conflata quarum*
    - *Inferior à peritonæo oritur.*
    - *Superior à tunica subcostali derivatur.*
    - *De hac tractat: Tab. 3. b. c. d. e.*
  - *Etiam nervos habet ei proprios, pro quibus vide II. fig. 1. Tab. 5.*
  - *Carnosa est que ex carne simplici. Hanc autem denotat f. g. Tab. 3.*
  - *Concurrunt etiam ad eius compositionem venæ & arteriæ. Vt Tab. 1. n. & o.*
- **Quantitas in**
  - *Latitudine tam ampla est, vt totum Thoracis inferiorem ambitum impleat, vt per m. a. o. l. Tab. 1. patet.*
  - *Longitudine ab ensiformi cartilagine ad secundam lumborum vertebram se extendit: Prædicta etiam Tab. hoc notat.*
  - *Altitudine inferior & depressa magis est eius pars carnosa, quæ versatur in eius circumferentia, quam nervosa quæ in centro apparet, Et hoc per a. Tab. 1. eleuatum declaratur.*
- *Positio, est inter partes vitales & naturales, quippe per quem distinguuntur ab inuicem, vide Tab. 1. lib. 2. a. Pro Diaphragmate in sua sede, & vide RR. Tab. 4. Pro septo à sterno & cartilagine ensiformi libero.*
- *Figura, est rotunda, sed tamen ad effigiem oblongam magis vergit; Et in hac sua effigie seu imagine ab omnibus alijs musculis discrepare videtur: At vero ita à natura figura eius ordinata est, vt infimeam thoracis regionem aptissime terminarent. Pro hac vide Tab. 3. Habet autem exortus duos carnosos: qui Tab. 1. & Tab. 3. per h. i. significantur.*
- **Foramina sunt tria quorum**
  - *Duo sinistra atq; horum*
    - *Vnum destinatum est Oesophago aliud trunco Aortæ.*
  - *Vnum dextrum est atque hoc trunco venæ cauæ proprium. Pro his vide Tab. 1. e & m. Et Tab. 3. k. l. & m.*
- **Connexio, fit**
  - *A parte ante, cum sterno, vide Tab. 1. u.*
  - *Lateraliter, cum costarum inferiorum extremitatibus. Et indicatur per X. Tab. 1.*
  - *A parte post, cum duabus primis lumborum vertebris. Vt iuxta o o. Tab. 1. ostenditur.*
  - *Etiam à sua superficie cum corde vicinitatem habet. Vt F. G. fig. 2. Tab. 5.*
- **Vsus**
  - *Primus, est ad respirationis officia præstanda; quippe quod est præcipuum respirationis organon.*
  - *Secundus, est ad fæces ventris excernendas, nam hoc opus inprimis præstare animaduertitur.*
- *Morbi, sunt inflammatio, phrenitis, Distentio flatulenta, vt in hypochondriacis & Scorbuticis.*

TABVLA III. EST DIAPHRAGMATIS.

a.b.c.d.e. Septum est a. eius pars membranosa b. c. d. e.
f.g. Eius carnosa.
h.i. Sunt eius exortus duo carnosi.
k.l. Septi diuisio, arteriam magnam transmittens, k. eius foramen sinistrum Oesophago viam præbens.
m. Foramen dextrum ad venæ cauæ ascensum destinatum.

Pro meliori huius descriptione quatenus in corpore situm suum habet, Vide Tab. 1. huius, Post huius regionis caput primum expressam: in qua Diaphragmatis situs eiusque partes & foramina luculentius explicantur.

CAPVT

Caput II.

De Pleura.

Membranæ huius

- Nomen, est { Pleura. / Membrana succingens costas. / Subcostalis tunica.
- Origo, procedit de fibris pluribus paruulis à dura matre seu pericranio descendentibus per illa foramina per quæ nerui intercostales descendunt.
- Substantia, est membranosa & spermatica, & in sua compositione duplicatur quo venas vbique per hanc regionem dispersas firmius retineat & statuminet.
- Quantitas, tam ampla est, vt huius regionis contenta non aliter comprehendat, quam peritonæum illa regionis infimæ.
- Situs, est per totum ventrem medium. At hæc membrana largitur tunicam cuilibet parti in hac regione media inclusæ, quemadmodum & peritonæum hoc idem in regione infima præstare cernitur. Porro etiam vt costa immediate à periostio inuestitur, quod ei firme adhæret, ita etiam & Pleura huic periostio incumbit, & ob hanc causam membrana costas cingens nuncupatur.
- Connexio, cum omnibus vertebris, costis, atque etiam osse sterno non fit firma, ita vt ipsa ab illis sine rupturæ periculo vix separari queat.
- Vsus, in omni re est actioni Peritonæi similis, videlicet vt eodem modo partes in Thorace contentas tegat, quo peritonæum illas ventris inferioris succingit.
- Morbi, sunt pleuritis, peripneumonia, &c.

Caput III.

De Mediastino.

Cuius

- Nomen, est mediastinum, ratione officij, vtpote quod regionem Thoracis in partes duas æquales, secundum longitudinem partiri videtur. Vide Tab. 4.
- Ordo, est primum inter contenta, tametsi hoc inter continentia ideo nominamus, quoniam à pleuræ reduplicatione conflatur, quæ est pars continens.
- Ortus, est ab ipsa pleura, nam nihil aliud est hoc quam pleura reduplicata.
- Substantia, ergo est eadem cum illa pleuræ, & aliarum membranarum.
- Compositio, fit à duabus membranis quæ (vt dictum est) à pleura oriuntur, & videtur esse nihil aliud nisi pleura reduplicata.
- Quantitas, se extendit à clauiculis, ad mucronatam Cartilaginem vsque, hoc est per totam regionis huius longitudinem transit, vt per F G. & H H. Tab. 4. apparet.
- Figura, est tenuis & subtilis, telæ araneæ simillima.
- Numerus, est vnus sine coniuge aut pari.
- Temperies, est frigida & sicca, vt reliquæ membranæ.
- Connexio, facta est ad inferiorem sterni partem, & ab illo perpendiculariter descendit ad vertebras ipsas dorsi, quibus etiam affigitur & nexu quidem firmo. Vide Tab. 4. L G. & H H.
- Situs, est in media thoracis regione, nam partes vitales secundum longitudinem in partes duas æquales partitur, non aliter quam linea alba ventrem inferiorem bipartiri videtur. At vero in sinistro latere locum reliquit ad pericardium continendum apte dispositum. Pro naturali eius situ dextro & sinistro. Vide GG. HH. Et I K. Et LL. Tab. 4.
- Vsus, est partem sinistram à dextra distinguere, quod quidem opus natura ob eum finem ordinauit, vt si vnica vitalium pars sit læsa, altera tamen integra remaneret & incolumis.
- Morbi, sunt Apostemata, vlcera. Memini autem me in quodam nobili defuncto apostema graue in infima huiusce membranæ portione inuenisse, cui & totum pericardium erat consumptum, & cordis substantia putrida.

TABVLA IV. MEDIASTINVM A STERNO ET costis liberatum indicans.

A.A.A.Sternum vbi A.eſt mèdium,& cartilaginum coſtarum connexarum ſedes interna.
B.C.Venæ mammariæ deſcendentes ſub ſterno ad rectos muſculos.
D.E.Arteriæ mammariæ deſcendentes.
G.G.H.H.Mediaſtini dextra & ſiniſtra poſitio.quæ ante diuiſionem adnata erat ſterno.
I.K.Dextra & ſiniſtra ſuperficies pulmonem ſpectans.
L.L.Interuallum inter vtranque mediaſtini membranam.
M.M.Eſt regio protuberans partis cordis ſiniſtræ ſitum oſtendens.
N.O.Videlicet pulmonis dexter lobus elatior.N.depreſſior.O.
P.Q.Vbi P.eſt pulmonis ſiniſtri lobus ſuperior,eius vero inferior eſt Q.
R.R.Indicat ſeptum à ſterno & cartilagine enſiformi liberum.
S.Eſt cartilago enſiformis.
T.V.Eſt cutis ab anteriori Thoracis parte deorſum tracta.

LIBER IV.

De

PARTICVLIS IN EA CONTENTIS.

CAPVT I.

De Pericardio.

- Nomen
  - Græcum, est περικάρδιον.
  - Latinum, cordis
    - Inuolucrum.
    - Casa.
    - Capsula.
    - Arcula.
    - Vagina secundum Hippocratem.
- Origo, petitur à cordis basi, & non à vertebrarum ligamentis, vt nonnulli inconsulte satis volunt.
- Substantia, est dura, densa, & bene compacta, at fibris omnimodo destituta.
- Compositio, constat ex duplici tunica nempe
  - Propria, quæ à neruis sexti coniugationis, arterijs & venulis (quæ etiam septo transuerso inseruntur) constari videtur. Vide Tab. 5. c.
  - Communi, atque hæc à pleura derivatur.
- Quantitas, corde longe est amplior atque capacior, vt pote in quo cor liberius in motu & mensura Diastole & Systole mouetur.
- Huius inuolucri
  - Figura, repræsentat effigiem cordis, cuius est receptaculum, non aliter quam vagina, ensis imagini adaptari cernitur. Vide fig. 2. Tab. 5. BB fig. 1.
  - Situs, est vndiq; circa cordis substantiam. In Tab. 5. B. indicat Pericardij initium. D.E.F. eius faciem. fig. 2. BB. illud in latera reflexum & A. ium vasis cordis.
  - Temperies, est frigida & sicca, respectu substantiæ suæ membranosæ.
- Connexio, fit per
  - Membranas, cum cordis basi. Vide B. fig. 1. Tab. 5.
  - Sua vasa, cum origine pulmonum, cum hepate, cum corde, atque etiam gratia neruorum suorum respectum habet ad caput. Vide fig. 1. & 2. Tab. 5. vbi quomodo ad pulmones per se & Hepati per venam cauam A. connectatur declaratur.
- Vsus, est
  - Cor ab externis flatibus atque iniurijs aliis defendere atque munire.
  - Humiditatem aqueam in se continere, quæ (vt nonnulli volunt) ad cordis refrigerium inseruit.
- Morbi, sunt Apostema, vlcera, consumptio &c. Cuiusdam militis nomine Iacobi Cromer cadauer inspexi, incisione apertum, cui apostemate consumptum erat totum pericardium, imo vero & ipsum cor profunde apostumatum inuenimus.

Caput II.

De vena caua ascendente.

OBiter hoc in loco lectorem obseruare velim, quod, tametsi in superioribus de integra venæ cauæ natura verba licet succincta fecimus, tamen in publica nostra Anatomiæ administratione, venam cauam ascendentem hoc in loco expressérimus, eiusque truncum ab Hepatis gibbo egressum, atque etiam eius in dextrum cordis ventriculum ingressum, cũ singulis ipsius ramis, tam directe tendentibus sursum, quam lateraliter se inclinantibus, luculenter demonstrauerimus, vtpote ad cuius genuinam atque ocularem descriptionem ante pericardii ablationem conuenienter peruenire non potuerimus.

Caput III.

De Corde.

- *Nuncupatur,*
  - *Græce, καρδία.*
  - *Latine, Cor.*
- *Dignitate nobilissimum est, vtpote primum in homine viuens & vltimum moriens.*
- *Ordinatur à natura (vt nonnulli volunt) tam tempore quam loco, ante cætera membra principalia. At Galenus* cerebrũ corde esse antiquius *asseuerare videtur, Alij experientia docti Cerebrum, cor, & Hepar simul in lucem proferri dicunt, affirmantes, quod in spatio septem dierum, post seminis in vuluam iniectionem ampullæ tres in eius massa sublimentur, quarum quælibet vnico ex his membris principalibus respondeat; Atque iterum eas in diebus 15. in istiusmodi membra reduci asserunt, ita vt vnum ab alio quodammodo distingui queat. De his latius in Anatomia nostra mystica permissione diuina disceptare nobis proposuimus.*
- *Substantia fruitur carnis densæ & solidæ ex 3. fibrarum generibus contextæ, quarum*
  - *Rectæ si contrahantur, tunc reliquis fibrarum speciebus laxatis cor dilatatur, quæ quidem actio dicitur Diastole, & in tempore istiusmodi motus, cor aerem ex pulmonibus per arteriam venosam in sinistrum ventriculum ad sui refrigerium, & spirituum vitalium nutritionem attrahere solet, Atq; etiã hac eadem actione cor sanguinem ex trunco cauæ vena ascendente, per ventriculi sui dextri valuulas extra apertas, intus vero clausas, & cuspidibus sagittarum similimas, hocque pulmonum substantiæ nutriendæ causa attrahit.*
  - *Transuersæ si contrahantur, rectæ iterum relaxantur, & cor quidem contrahitur & reprimitur, atq; hæc actio vocatur Systole, in tempore cuius motus, fuliginosa aeris excrementa à sinistro cordis ventriculo partim per arteriam venosam expelluntur, & partim per magnam arteriam in partes alias, vti quidam volunt, sed cum iis sententia mea minime concurrit: nam quod purum est, & ab aeris superfluitate separatum, id quidem in aortam intrusum, & in ea reconditum puto, quod autem superfluum & inutile est, illud per asperam arteriam expiratione emissum credo. In huius etiam motus spatio, sanguis ille à vena caua extractus motu præcedente, & in dextro cordis ventriculo præparatus atque elaboratus per venam arteriosam, apertis valuulis semilunaribus, ad pulmones nutriendos introducitur; Nam leue nutrimentum ad pulmonum substantiam requiritur, quare necesse erat vt impurioris naturæ vasculo, sanguis iterum rectificaretur, quo leuior & subtilior ad functionem hanc suam perficiendam redderetur.*
  - *Obliquæ illam producunt quietem quæ inter Diastolen & Systolen intercedit.*
- *Componitur ex partibus*
  - *Similaribus, cuiusmodi sunt*
    - *Caro propria, de qua antea.*
    - *Venæ coronariæ duæ, quæ ad cordis nutritionem conducunt. Pro quibus vide L. fig 2. Tab. 5. & LL.*
    - *Arteriæ coronariæ duæ, eius substantiam spiritibus vitalibus reficientes. Et pro his vide L. fig. 2. Tab. 5. & LL.*
    - *Nerus à sexta coniugatione scaturiens, Pinguedo, quæ ad ipsius humectationem confert.*
  - *Organicis, de quibus infra sign. A*
- *Figuram habet, instar nucis pineæ.*

Membrum

- Membrū hoc insigne
  - Ponitur, respectu
    - Basis, in medio seu centro Thoracis. Pro hac vide C.D. Tab. 5.
    - Apicis seu coni, ad partem lauam vergens, atque etiam ad interiorem magis inclinans. Pro eius mucrone vide E. fig. 2. Tab. 5.
  - Quantitate seu magnitudine variatur, nam in
    - Cordatis & animosis viris angustius & pressius esse obseruatur.
    - Timidis & pusilla nimis magus tumidum & largum esse solet.
  - Connexionem habet, cum
    - Cerebro, per neruum sextæ coniugationis.
    - Hepate, per venam cauam. Vide A. fig. 1. Tab. 5.
    - Pulmonibus, per
      - Venam arteriosam. Vide F.G. fig. 2. Tab. 5.
      - Arteriam venosam. Vide H. fig 2. Tab. 5.
      - Quomodo adhæret cordi vide de L.M.N.O. Tab. 5. fig. 1.
    - Pericardio, per eius basin. Vt in B. fig. 1. Tab. 5. Septo transuerso. Vide Tab. 5. fig. 1. F.G. & H.I.
  - Omnimodo ad hominis existentiam vtile est, nam iuxta sententiam
    - Medicorum fere omnium, creditur esse facultatis vitalis domicilium, vitæ origo, caloris innati fons, & arteriarum scaturigo.
    - Zenonis, dicitur esse ignis naturalis receptaculum.
    - Promethei, ignis cælestis vas nuncupatur, quem quidem ignem è cælo ipse ideo furatus esse dicitur, vt illo vita ditaret hominem, est enim vitæ, vegetationis & generationis pabulum, sine quo animal ne momentum quidem temporis perdurare potest.
  - Ægrotare solet, nam morbis multis afficitur, cuiusmodi sunt
    - Tremor cordis, palpitatio, cardiaca passio, Syncopis, casus virtutis.
    - Apostema: Quo morbo equitem auratum cui nomen erat Iacobus Cromer, grauiter & lethaliter (vti dictum est) affectum vidi, quo post mortem aperto, pericardium obseruani penitus consumptum, ita vt ne signum quidem eiusdem restaret, corq; vndiq; erat apostumatum, & ita squalidum vt à chirurgo vix agnosceretur, quo & digitis putridam illam substantiam tractante, illos tam leuiter in eam penetrasse intuebar, ac si ex luto tenerrimo seu butyro esset conflata, & protinus materiam putridam & virulentam egredi animaduerti, sed quod quidem (vt mihi videbatur) erat magis admirabile, ipsum ægrotantem, quatriduo vel circiter ante suam mortem chartis cum aliis nobilibus ad mensam ludere vidi. Attamen per 6. septimanas ante suum obitum, cordis palpitatione & pulsu quandoq; intermittente, quandoq; deficiente & vibrante ipsum animaduerti affectum. Interea temporis tota Thoracis cauitas, aqua spissa & fœtida, vrinæ seu lixiuij grossi instar fuit completa, ita vt in eius morbi medietate multorum medicorum doctorum erat conuocatio & consultatio, qui omnes (aliter ac ego sentiebam, qui dixi Apostemate in thoracis cauitate cum aquæ quantitate eum laborasse) vnanimiter sentiebant, morbum eius ex materia flatulenta in arteriam venosam seu venam arteriosam inclusam esse conflatum, At rei effectus consensum illorum falsum fuisse docuit.
  - Constellationem habet, ex
    - Planetis
      - Solis ☉.
      - Cum signis Zodiaci, ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ In ♉ ♍ ♌ ♐ ♏ ♎ ♑
    - Signis Zodiaci ♌.

- Partes cordis organicæ speculantur in sinu cordis vel
  - Dextro, qui sanguineus ideo nuncupatur, quoniam ad sanguinis purificationem & attenuationem confert, & in hoc 4. obseruamus, videlicet
    - Vnam auriculam, quæ ad sanguinem retinendum atque impediendum ne ex vena caua in nimis magna quantitate in sinum hunc dextrum influeret, confert. Vide I. fig. 1 Tab. 5.
    - Venam cauam, quæ transfert sanguinem ab hepate in dextrum cordis sinum, vt ibi coctione tertia melius præparetur & depuretur, secundum dispositionem nutriti, quod est pulmo, cuius substantia est leuior, & magis aerea quam cæteræ corporis partes; nam si eodem sanguine nutriretur quo partes cæteræ, minus esset ad officium suum debitum præstandum apta. quod in continuo motu consistit. Vnde leuis substantia leue requirit nutrimentum, quoniam simile à simili suo aptius nutriri docemur, & natura natura sua similis lætatur. Vide A. fig. 1. Tab. 5.
    - Venam arteriosam, quæ transfundit per infinitos ramos & ramulos sanguinem in corde depuratum & attenuatum ad pulmones, vt ab eodem nutriantur. Pro vena hac vide F. G. fig. 2. Tab. 5. Et fig. 1. Tab. 7. c. 1.
    - Sex valuulas seu membranulas, nempe
      - Tres in orificio venæ cauæ, extra apertas intus vero clausas. Hæ autem sagittales à quibusdam nuncupantur, quippe quæ cuspidibus sagittarum sunt similes, vsusque harum est, vt impediant, ne sanguis à vena cauain dextrum cordis ventriculum intromissus ab illa vena iterum regurgitetur. Pro his vide Bauhini Tab. 10. lib. 2.
      - Tres in orificio venæ arteriosæ, intus apertas foris clausas, ne sanguis in cor regrederetur. Atque hæ dicuntur semilunares à similitudine, Et per has ingreditur nutrimentum in corde elaboratum pulmones. Pro his vide Bauh. loco prædicto.
  - Sinistro, qui spirituosus & spiritualis dicitur, vtpote in quo spiritus generantur vitales, hicq; obseruamus
    - Vnam auriculam, quæ facit tam ad aeris in læuum cordis thalamum attractionem, & eiusdem superfluitatis expulsionẽ, quam ad vitæ quintam essentiam, ab aeris superfluitate separatam atque collectam, in vas arteriale magnum, Aorta dictum, tanquam locum ad spiritus vitales recipiendos adaptatum atque destinatum, conducendam. Vide K. fig. 2. Tab. 5. pro huius sede.
    - Septem magis interiora, videl.
      - Vasa duo, nempe
        - Arteriam magnam, per quam spiritus vitales à corde tanquam fonte ad omnes corporis partes deferuntur. Vide a. fig. 1. Tab. 5.
        - Arteriam venalem seu venosam, per quam aer ad sinistrum cordis ventriculum tam ad vitæ sustentationem, quam cordis sanguinisque arterialis refrigerationem, inspiratione introducitur, eiusq; pars superflua per expirationem rursus expellitur. Pro hac vide fig. 2. Tab. 5. H. Et fig. 1. Tab. 7. D.
      - Valuulas quinque dictis vasculis insertas, quarum
        - Tres, in arteriæ magnæ orificio cordis thalamum respiciente disponuntur, suntq; intus apertæ, extra vero clausæ, & ratione suæ similitudinis semilunares dicuntur, non enim ab illarum trium in venæ arteriosæ orificio repertarum effigie & figura dissentiunt. Atq; hæ à natura ideo ordinantur, vt spiritus vitales in sinistro cordis laboratorio conflati, & in arteriam magnam (ad illos recipiendos destinatam) impositi, in laboratorium iterum non remearent. Pro his vide Bauhinum loco antea citato.
        - Duæ, arteriæ venalis orificio inseruntur, foris apertæ, intus clausæ, quæ ideo Mitrales nuncupantur, vtpote quæ mitris Episcoporum sunt simillimæ. Harum quidem officium est, tam aerem inspiratione intromissum recipere quam eius partem inutilem emittere.

TABV-

TABVLA V. EST PERICARDII ET CORDIS VT IN PERICARdio includitur, vna cum pulmone & septi portione. Duas autem figuras continet, quarum in

LIB. II. FIG. I. TABV



FIG. II.



Prima. A. Est venæ cauæ ascendentis portio.
a. Arteriæ magnæ est portio.
B. Pericardii initium indicat, quod venæ cauæ & arterioſæ, & arteriæ magnæ pertinacissime adhæret.
C. Sunt pericardii venulæ.
D.E.F. Pericardii anterior facies, & simul basis cordis figuram indicant, videlicet D. E. at vero F. cordis mucronem denotat.
Ab F. ad G. Cordis demonstratur connexus, cum septo transuerso.
H I.I. Videlicet septi transuersi pars H. cuius nerui I.I.
L.M.N.O. Quatuor pulmonis Lobi.
Secunda. A. Sedes est qua pericardium vasis cordis continuatur.
B.B. Pericardium in latera reflexum.
C.D.E. Cordis anterior pars, vbi basis eiusdem est C.D. mucro vero E.
F.G. Videlicet F. vena caua, G vena arterioſa.
H. Arteria magna, & arteria venoſa, non nisi in dextrum corde reflexo conspici potest.
I.K. Auricula cordis dextra est I. sinistra vero K.
L. Vena & arteria coronaria cordis.
L.L. Rami ab illis vasis.
M.N.O.P. Pulmonis lobi quatuor.
Q. Septi transuersi pars.
Pro descriptione venæ arterioſæ, & arteriæ venoſæ vide pulmones.

CAPVT

CAPVT IV.

De arteria magna.

- In qua quinque sunt obseruanda, videlicet eius
  - Differentia, nempe inter eam & venam, nam
    - Vena habet non nisi vnicam tunicam, eamque raram atque tenuem, quæ ex fibris rectis, & quibusdam mediocriter obliquis conflatur.
    - Arteria, duplici tunica est prædita, quarum
      - Exterior, est illi venæ simillima, eiusdem scilicet substantiæ, & ex ijsdem vel similibus fibris compacta.
      - Interior, est quintupla, proportione interiore densior seu crassior, & ex fibris transuersis contexta: quo melius contineret subtiles vitæ spiritus.
  - Nomen, est que
    - Aortes Græce, & communiter aorta dicitur.
    - Arteria magna latine.
  - Ortus, qui est à sinistro cordis ventriculo. Pro quo vide a. Tab. 6. a. & A. Tab. 6. b. Et A. fig. 2. Ta. 8. denotat orificium eius à corde abscisum.
  - Propagines, quæ obseruantur vel in
    - Sinculis cuiusmodi sunt Arteriæ
      - Coronariæ ab aorta procedentes, priusquam eius truncus à læuo cordis sinu egrediatur. Atque huiusmodi arteriolarum congeries circularis, ad cordis præseruationem destinatur, quemadmodum venæ coronales ad ipsius nutritionem. Pro his vide B. B. Tab. 6. b. Et aa. fig. 2. Tab. 8.
      - Intercostales ab Azigo productæ, quorum est officium vim vitalem musculis illius loci attribuere. Pro his vide I. Ta. 6. b. & H.
      - Phrenticæ, per vniuersum Diaphragma dispersæ, de quibus K. Tab. 6. b.
      - Mammaria de qua LL. Tab. 6. b.
      - Epigastrica cui iunguntur mammariæ. Vide ee. & vv. Tab. 6. b.
      - Cæliaca, quæ est cæteris ramis amplior, Hæc ad ventriculum prorepit, atque etiam Hepati, Lieni, & Epiploo spiritus impluit liberaliter vitales. Pro hac vide P. Tab. 6. b.
      - Mesaraica seu mesenterica, est ramus ille qui mesaraon, seu illam mesenterij partem, quæ ad intestina gracilia attinet, sanguine vitali irrigat. Et de hac X. Y. Tab. 6. b.
      - Renales, ad renes permeantes Emulgentes dictæ. Vide f. Tab. 6. a. Et v. f. Tab. 6. b.
      - Spermaticæ, cuiusmodi sunt vasa illa duo arterialia generationi dicata. Pro quibus vide t t. & u u. Tab. 6. b.
      - Lumbales, quæ ad lumbos descendunt. Pro his vide y y y y. Tab. 6. b
    - Ramis, hique sunt vel
      - Ascendentes, vt ——
        - Carotides.
          - Dextra.
          - Sinistra.

          De quib. X. Y. Tabul. 6. b.
        - Ceruicales, atque hæ notantur per M M. N N. Tab. 6. b.
        - Humerariæ, quas indicant T T. Tab. 6. b. & S S.
        - Thoraticæ, vide Q Q. Tab. b 6. & RR.
        - Axillares, de quibus PP. Tab. 6. b.
      - Descendentes, cuiusmodi sunt
        - Musculosa, quam denotant OO. & β. Tab. 6. b. & 9.
        - Sacra, vide ε. Tab. 6. b.
        - Epigastrica, de qua ee. & v v. Tab. b. 6. b.
        - Hypogastrica, vide λλ. Tab. 6. b. pudenda, quam indicant ξ ξ. Tab. 6. b.
        - Crurales, de quibus π π. Tab. 6. b.
  - Vtilitas & proprietas, quæ est spiritus vitales in sanguine arteriali tanquam vehicule sibi proprio expansos, per vniuersum corpus perpetuo effundere.

TABVLA

TABVLA SEXTA a. EST ARTERIÆ MAGNÆ, quæ etiam in venæ cauæ descriptione delineatur, vt in corpore reperitur.



In hac figura.

a. Est initium trunci arteriæ magnæ in sinistro cordis sinu.
b. Est diuisio illa magna, quæ fit in trunco ascendente.
c. Est altera dictæ arteriæ diuisio, in ramulos tres.
d. Est prima diuisio arteriæ magnæ descendentis.
e. Est altera diuisio dicti rami descendentis, quæ facta est immediate sub diaphragmate.
f. Arteria emulgens, quæ respondet venis emulgentibus.
g. Maxima trunci arterialis descendentis diuisio.
h. Altera adhuc eiusdem diuisio minor, vbi ramus minor retrorsum vehitur.

TABVLA SEXTA b. DENOTANS ARTERIÆ magnæ truncum cum ſuis ramis : habetque figuras tres, quarum

Prima & 2. proponit poſteriorem eius portionem. 3. vero eius à cordis ſinu læuo egrediendi formula. In quibus

A. Eſt arteriæ magnæ orificium.
B.B. Illæ coronales.
H. Coſtarum octo interualla petens.
I. Intercoſtalis ſuperior.
K. Phræneticæ vtrinque.
*. Eſt truncus Diaphragma penetrans.
L.L. Mammaria arteria.
M.M.N N. Ceruicales.
O.O. Muſcula.
P.P. Axillares dextra & ſiniſtra.
Q.Q. Thoracica ſuperior.
R R. Inferior.
S.S. Scapularis.
T.T. Humeraria.
X.Y. Carotidis dextra & ſiniſtra.
p. Cæliaca.
q. Meſſenterica ſuperior.
v.ſ. Emulgentes.
t.t.u.u. Spermaticæ.
x.x. Meſſenterica inferior.
yy yy. Lumbares.
v.v. Epigaſtrica cui coniunguntur mammariæ e é.
e e. Coniunctio mammariarum cum Epigaſtricis.
ξ ξ. Pudenda.
π π. Cruralis.
α. Vmbilicalis arteria.
β. Muſcula ſuperior.
θ. Muſcula inferior.
λλ. Hypogaſtrica.
ι. Sacra.

CAPVT

CAPVT V.

De Pulmonibus.

Priusquam ad pulmonum descriptionem perveniamus, sciendum est quod tria sint organorum respirationis genera, nam alia sunt
- *Mouentia vt 65. musculi Thoracis.*
- *Deferentia aerem ad pulmones, ad læuum cordis sinum, vt aspera arteria & Larinx.*
- *Recipientia, atque huiusmodi sunt pulmones de quibus hic agemus.*

Pulmonis

- *Nomen,*
  - *Latinum,*
    - *A philosophis, est flabellum cordis.*
    - *Ab Auicenna, cordis culcitra.*
    - *A medicis in genere, pulmo.*
  - *Anglicum, est The Lungs.*
- *Substantia, est mollis, rara, & spongiosa.*
- *Compositio, fit ex*
  - *Propria carne quæ dicitur Parenchyma.*
  - *Neruis descendentibus à sexta coniugatione.*
  - *Venæ arterialis de qua fig. 2. Tabul. 7.*
  - *Arteriæ venosæ, de qua figur. 4. Tab. 7.* — *Ramulis. De his C. & D. fig. 1. Tab. 7. & figuris 3. & 4. abunde.*
  - *Tunica vna, quam à Pleura habet.*
  - *Trachea Arteria, cuius truncus bifurcatus in pulmonum substantiam se immergit, vt Tab. 9.*
- *Quantitas, implet concauitatem Thoracis.*
- *Figura, pedi bouino assimilatur. Vt in figura 2. Tab. 7 apparet.*
- *Temperies, est magis calida quam frigida ratione carnis suæ aereæ & leuis, quam ideo efformauit natura leuem & spongiosam, vt sursum facilius eleuentur, & officium suum naturale minori labore præstent, Atque ob hanc causam natura pro ijs præparauit alimentum magis purum & tenue in dextro cordis sinu ex grosso sanguine elaboratum vti supra declaratum est.*
- *Numerus, æstimatur esse binarius, vnde pulmones dicuntur, quoniam tota massa illa in partem dextram & sinistram à mediastino diuiditur, vt fig. 2. Tab. 7. Harum autem quælibet obseruatur habere suos lobos, At reuera continua est ipsorum substantia quare tam pulmo quam pulmones dici solent. Pro lobo superiori & inferiori vide P. Q. Tab. 4. & N. O. & in Tab. 5. L. M. N. O. sunt 4. eius lobi qui luculentius per E. F. G. H. fig. 1. & 2. Tab. 7. indicantur.*
- *Positio, est in thoracis medietate, vbi & pericardium circumeunt. Horum facies anterior denotatur per Tab. 7. fig. 1. posterior per fig. 2.*
- *Connexiones factæ sunt cum*
  - *Corde, per venam arterialem & arteriam venalem: quæ per A. B. figurarum 3. & 4. Tab. 7. indicatur.*
  - *Cerebro, per neruum à sexta coniugatione. Vide q q. Tab. 8.*
  - *Vertebris & costis, per membranas à Pleura.*
  - *Aspera seu Trachea arteria, vnione forti. Vt per B. Tab. 7. fig. 1. indicatur.*
- *Vsus est, vt sit organon ad*
  - *Respirationem & vocem, atque etiam ad cordis refrigerium fabricatum.*
  - *Non absolute ad vitam necessarium, vtpote sine quo animalia nonnulla vt pisces & reptibilia viuere possunt & solent.*
- *Morbi sunt*
  - *Dispnæa seu difficultas respirandi.*
  - *Asthma.*
  - *Tussis.*
  - *Vox læsa seu raucedo.*
  - *Pleuritis.*
  - *Empiema, sputum sanguinis cum tusse.*
  - *Phtisis.*
  - *Peripneumonia.*
- *Constellatio, ex*
  - *Planetis,*
    - *Solis, ☌*
    - *Cū signis* ☿ ☌ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ *In* ♈ ♉ ♋ ♍ ♌ ♍ ♎
  - *Sign. cœlestibus. ♋*

TABVLA VII. EST PVLMONVM, CVM VASIS EIVSDEM, quatuor figuris distincta.



Figura 1. ostendit anteriorem pulmonum faciem cum suis vasis, nam

A.A. Tam in 1. quam 2. figura indicant Oesophagum sub aspera arteria.
B. In vtrisque & C. in 1. notant asperam arteriam, & C. in 2. venam arteriosam.
D. Arteria est venosa.
1.2.E.F.G.H. Sunt quatuor pulmonis lobi.
K. Sunt Diaphragma.
l. Canalis pulmonum.

Figura ergo secunda demonstrat posteriorem pulmonum faciem.

Vena arteriosa. *In figura tertia quæ venam arteriosam describit, & eius partes.*

A. Explicat venæ arteriosæ orificium.
a.b.c. Valvulæ sunt eius tres.
B. Tunica eius interior: vt & C. exterior.
D. Diuisio venæ arteriosæ in truncos duos, qui per E.F. designantur.
G.G.G.G. Eiusdem distributio per pulmonis substantiam.

Arteria venosa. *Figura 4. Arteriam venosam denudatam indicat, cuius*

A.B.B.C.C. Orificium arteriæ venosæ, quo cordi A. adnascitur, eiusque in truncos quatuor diuisio obser-
natur.
E.E.E.E. Arteriæ venosæ distributio per pulmonem.
F. Tunica simplex huius arteriæ.

CAPVT

CAPVT VI.

De Neruis recurrentibus.

- *Nomen suum acceperunt, à motu suo flexibili.*
- *Oriuntur, à sexta neruorum coniugatione. Vt apparet per ee. fig. 1. Tab. 8.*
- *Motum habẽt,*
  - *Deorsum, vna cum arterijs carotidibus (quibus stabilitæ atque statuminatæ sunt) per collum in cauitatem Thoracis. Pro quo vide OO. fig. 2. Tab. 8. & HH. carotides indicant: atq; GG.*
  - *Sursum, dum cuiuslibet eorum propago à thoracis profundo iterum eadem via redit, qua prius descendebat, & in recursu seu retrogressu suo, eorum quilibet asperæ arteriæ in via adhærens, sex illos musculos petit, à quibus larinx aperiri & claudi solet. Atq; nerui hi musculis istis vocis efficiendæ gratia adnectuntur. Pro hoc obserua OO. HH. & GG. adhærentiam ad 1. Asperam arteriam. fig. 2. Tab. 8. Pro loco reuolutionis dextri rami vide P. fig. 2. Tab. 8. vt & R. pro illo sinistri; at dexter ascendens est Q Q. fig. 2. sinister ascendens SS.*
- *Positionem seu situm post eorum descensum obtinent varium, nam*
  - *Dexter, sub clauiculo, circa ramum arteriæ magnæ, qui ad dextram axillam fertur; veluti circa rotulam quandam obuolutus reflectitur, sursumq; recurrit, donec in tres laringis partes dextræ musculos dispergatur. Pro hoc vide P. fig. 2. Tab. 8. pro loco reflexiones & S. N. & M. pro loco laringis.*
  - *Sinister, longissime & profunde magis submersus, circa maximam arteriam prope cor obuoluitur, ea potissimum parte, qua plurimum à parte emergens, sese ad spinam reflectit, ac tum postea ad laringem recurrit, & in reliquas tres partis sinistræ laringis linguæ & hyoidis musculos disseminatur, vt per π. fig. 1. Tab. 8. & vide R. fig. 2. Tab. 8. Pro loco reflexionis & N. S. Pro loco insertionis laringis musculos, & vide n. fig. 1. & l. m. & o. & p.*
- *Numero, sunt bini. Vide OO. Q Q. Pro dextro & HH. SS. pro sinistro.*
- *Ramos à suis torcularibus.*
- *Vtiles sunt, ad vocem efficiendam, vnde quando hi nerui læduntur, aut vitiatur, aut penitus aboletur vox.*
- *Hi Nerui* (Tab. 8.)
  - *Musculos intercostales, vide iii. fig. 1.*
  - *Capita musculorum pectoris & ad os pectoris, vide K. fig. 1.*
  - *Pulmonis tunicas & pro hoc ramulo, vide qq. fig. 1.*
  - *Pericardium: Et hos neruulos indicat r. fig. 1.*
  - *Hepatis cauum, & de hoc neruo à ramo u. procedente agit x. fig. 1. atque etiam β.*
  - *Partem omẽti*
    - *Dextram de quo ramulo y. fig. 1.*
    - *Sinistram & de hoc n. fig. 1.*
  - *Ramos habent ab ipsius torcularib. magis deorsum inclinantes qui vel tendunt ad*
    - *Colon intestinum, & de hoc z. & θ. 1. fig. 1.*
    - *Intestinum duodenum, & initium ieiuni. Vide α. fig. 1.*
    - *Iecur & cistam fellis vide β. fig. 1.*
    - *Renem*
      - *Dextrum. Pro quo vide δ. fig. 1.*
      - *Sinistrum. Vide V. fig. 1.*
    - *Messenterij & intestinorum partem*
      - *Dextram. Vide ε. fig. 1.*
      - *Sinistram. Vide μ. fig. 1.*
    - *Partem vesicæ:*
      - *Dextram, vt ζ. fig. 1.*
      - *Sinistram, vt ξ. fig. 1.*
    - *Lienem. Vide μ fig. 1.*
    - *Ventriculi*
      - *Orificium supremum de quibus vide S. fig. .*
      - *Fundum*
        - *Dextrum, de quo ramulo Υ. fig. 1.*
        - *Sinistrum & de hoc λλ. fig. 1.*
- *Vtiles sunt valde, nam eorum rami*
  - *Qui reflectuntur ad vocem efficiendam conferunt, vnde fit quod quando hi nerui lædantur, aut vitiatur aut penitus aboletur vox.*
  - *Qui deorsum magis se extendunt ad partibus seu membris superius allegatis motum & sensum attribuendum destinantur.*
- *Constellationem ♄. & ☿.*

TABVLA VIII. EST NERVORVM RECVRRENtium, & aſperæ arteriæ, quæ & eorum cohærentiam denotat.

LIB. II. TAB. IX.

FIG. I.



Fig. 1. agit de neruorum recurrentium ſitu & origine in qua

A. Cerebrum. B. Cerebellum. C. Proceſſus cerebri, ſed non mammillares.
D. D. Dorſalis medulla in cranio.
E. Proceſſus mammillaris, qui eſt olfactus inſtrumentum.
F. Neruus opticus, G. Oculi tunica, in quam neruus expanditur.
H. Par neruorum ſecundum, ſeu nerui mouentes oculum.
I. Tertia neruorum coniugatio, ſeu par tertium, quod eſt cæteris minus, ſed iis durius.
K. Quarta coniugatio ad dorſum vergens, eſtque tertia maior & craſſior.
L. Nerui propago frontem accedens.
M. Nerui propago maxillam ſuperiorem petens.
N. N. Narium tunicæ intextus neruus à ramo 1.
O. Temporalis muſculi neruus à ramo 1.
P. Neruus contortus à neruis K. & b.
Q. Neruus ad dentium ſuperiorum alueolos à ramo K.
R. Neruus maxillam inferiorem perreptans à neruo K.
S. Labro ſuperiori oblata ſoboles rami R.

T. T. Den-

T.T.Dentes inferiores accedentes furculi à ramo R.
V.V.In linguæ tunicam diffusus ramus nerui K.
X.X.Neruorum par quartum in palati tunicam tendens.
Y.Neruorum quintum par auditui inseruiens.
a.Auris membranula ad quam quintus neruus abit.
b.c.Ramuli duo quinti paris, cum neruo P.coeuntes.
d.Octaua coniugatio seu quinti paris neruus faciem accedens.

At iam ad propositum hoc nostrum.

e.e.Sextum est neruorum par.
f.Est ramus petens ceruicis musculos.
g.Sunt ramuli vadentes ad laringem.
h.Est biforcario nerui in duos ramos.
i i i.Interior ramus qui intercostalis dicitur, vtpote qui intercostales roborat, & verte bris est attensus.
k.Exterioris rami furculi in musculorum capita ad os pectoris & clauiculas deflectens pars.
l.m.Dextri nerui ramuli.l.recurrentem neruum dextrum.m.constituentes.
n.Recurrentium insertio ad laringis musculos.
o.Nerui sinistri ramuli, & p.recurrentem sinistrum constituentes.
q.q.Pulmonis tunicæ ramuli à 6.pari.
r.Pericardii & cordis neruuli, qui & ad pulmonis tunicam attinent.
s.Stomacho commissi nerui vtriusque lateris.
t.u.u.Videlicet t.stomaticus dexter in sinistrum ventriculi orificium, & u.u.stomaticus sinister in dextrum ventriculi orificium.
x.Hepatis cauum subiens neruus à ramo u.
y.z.Videlicet y.omenti dextri, & z.coli intestini ramuli.
α.Neruus petens intestinum duodenum, & ieiuni initium.
β.Ventriculi fundi dextri neruus.
γ Hepatis & vesicæ fellis neruus.
δ.Renem dextrum accedens neruus.
ε.Mesenterium & intestina petens ramus.
ζ.Vesicæ dextram partem implicans ramus.
η.Omenti sinistram partem peruadens ramus.
θ.ι.Colo & omento deriuata soboles.
κ.Lieni inserti ramuli.
λ.λ.Ventriculi fundi sinister neruus.
μ.Mesenterii sinistri & intestinorum ramus.
ν.Renem sinistrum accedens propago.
ξ.Ramuli vesicæ sinistrum latus perreptantes.
ο.Septimum neruorum par.
π.Propago 7.paris tendens ad musculos linguæ, hyoidis & laringis.
ϱ.Sexti & septimi paris in vnum coitus.

Fig.2.Explicans arteriæ magnæ dispositionem, in qua

A.Arteriæ magnæ orificium à corde abscctum.
a a.Coronales arterias ostendit.
B.C.Arteriæ magnæ diuisionem in duos truncos, videlicet C.descendentem & D. ascendentem indicat.
E.Axillaris sinistræ, vt & F.dextræ sedem declarat.
G.Carotis dextra, vt & H.sinistra declaratur.
I.Asperæ arteriæ caudex indicatur.
K.L.Eiusdem diuisio denotatur.
M.Asperæ arteriæ caput seu laringem indicat, de qua antea.
N.N.Glandula ad eius radicem est.
O.O.Denotant neruum recurrentem dextrum & sinistrum.
P.Reuolutio ramulorum nerui dextri ad axillarem dextram arteriam.
Q.Q.Recurrens neruus dexter.
R.Reuolutio ramulorum nerui sinistri ad arteriæ magnæ truncum descendentem.
S.S.Recurrens neruus sinister.

LIBER QVINTVS.

De

ASPERA ARTERIA ET PARTIBVS EXTRA THORACEM EI ADNEXIS.

CAPVT I.

De Aſpera Arteria.

Cuius
- Nomen, eſt: Trachea / Aſpera } Arteria.
- Subſtantia, eſt cartilaginoſa, quo magis ad vocem edendam ſit commoda, nam huiusmodi compoſitione eſt ipſa inter durum & molle mediocriter diſpoſita.
- Compoſitio, eſt firma, ad quam venæ ex iugularibus externis prouenientes arteriæ carotides, nerui recurrentes à ſexta coniugatione, & duplex membrana concurrunt.
- Quantitas, eſt ſpatioſa & ampla ſatis ad reſpirationis menſuram ſeu proportionem corpori neceſſariam.
- Figura, eſt rotunda & annulata cum iunCturis & circulis imperfectis, præſertim in poſteriori quæ Oeſophagum premit, quod quidem à natura ita ordinatum eſt, ne alimenti tranſitum ad ventriculum impediret. Pro huius anteriori vide Tab. 9. fig. 1. Pro poſteriori fig. 2.
- Situs, incipit immediate infra laringem, & ad pulmones vſq; ſe extendit, & in extenſione ſua ſupra gulam trāſit. Poſtquam vero ipſa ad pulmones peruenerit in ramos duos videlicet dextrum & ſiniſtrum ſe diuidit, & eorum quilibet in plures alios ſubdiuiditur. Pro diuiſione vide fig. 2. pro annulis ſeu cartilaginibus ſemicircularibus vide dd. fig. 2. Tab. 8. C. D. & bb. fig. 1. Tab. 9. Pro eius ſubdiuiſione in ramos. CCC. fig. 1. Tab. 9. Pro fiſtula aa. fig. 1. Tab. 9. Porro pro laringis cartilaginibus vide m m. & n n. fig. 2. Tab. 9.
- Temperies, eſt frigida & ſicca, vtpote quæ eſt pars ſpermatica.
- Connexio, eſt cum prædictis partibus extremis videlicet Laringe & pulmonibus, cum Laringe ſcilicet in k k. fig. 1. & m m. n n. fig. 2. Tab. 9.
- Vſus, eſt duplex videl.: Ad Aerem in pulmones, & ſiniſtrum cordis thalamum conducendum, atque etiam ad excrementa eiusdem fuliginoſa excernenda. / Vt ſit proprium & præcipuum vocis organon.
- Morbi, ſunt: Strangulatio ex cibo. / Retentio ſeu hæſitatio ſpinæ, vel alicuius rei huiusmodi. / Sanguiſugæ per os ingreſſio. / Angina ſeu Cynanche.
- Cōſtellatio, ex Planetis — Solis eſt ☌. / Cum ſignis ☿ ♃ ♂ ☉ ♀ ☽ In ♒ ♓ ♈ ♍ ♎ ♑ ♌. / Signis eſt ♉.

Sed

Sed & Arteriæ aſperæ facies tam anterior quam poſterior luculentius per tabulam ſequentem explicatur.

TABVLA IX.

LIB. II. TAB. XIV.



Cuius figura 1. indicat: Arteriæ aſperæ caput, fiſtulam & ramos per pulmones diſſeminatos, eiusque pars anterior hic demonſtratur.

a.a. Aſperæ arteriæ fiſtula, b.b. eius diuiſio eſt, c.c.c. eius ſubdiuiſio in ramos conducentes ad pulmones.
e.e. Ligamenta membranoſa, tam in fig. 1. quam 2.
g. Laringis pars anterior. h. eiuſdem poſterior tam in fig. 1. quam 2.
i.i. Glandulæ. k.k. Cartilago ſentalis.
l. Epiglottis tam in 1. quam 2. fig.

Figura ſecunda partem aſperæ poſteriorem proponit, vbi

d.d. Denotat Cartilagines ſemicirculares.
m.m Cartilago arythenoides.
n.n. Cartilago crycoides.

CAPVT

Caput II.

De Laringe.

Cuius
- Nomen, Larinx: Pro particulari cuius cum appendicibus descriptione, vide Tab.10. & Tab. alteram post 10. & Tab.3.post
- Substantia seu compositio, fit ex tribus magnis cartilaginibus, quarum
  - Anterior, quantitate est maxima, estque hæc extrinsecus convexa, intus vero excauata in figura scuti, vnde & θυρεοειδὴς dicitur. Pro qua vide F.fig.2.3. & aa.fig.1.Tab.10. & n.Tab.alteræ fig.3. & n.n.fig.4. & n.n.fig.5.
  - Secunda, est priori minor & tertia maior positionem suam habens in Oesophago dicitur & κρυκοειδὴς. Vide fig.2.Tab.9.n.n.
  - Tertia, est minima & in angustum valde desinens & hæc dicitur ἀρυτανοειδὴς, à figura vasis. Vide c.c.fig.1. Tab.10. & c.c.fig.5. Tab.alteræ.
- Musculi ei inseruientes, sunt 20. quorum
  - Duodecim sunt ei proprij. — Pro quorũ nonnullis vide fig. 1.e.e. & fig.2.f. & g. & l. & m. & e.f.g. fig.3.Tab.alteræ, & f.fig.5. & g. & l.fig.7.
  - Octo sunt ei communes.
- Situs, est in parte asperæ arteriæ summæ. Vt per fig.1.2.Tab. 9. Et k fig.4.Tab.alteræ: & fig.6. Et 2. Tab.3. post 10.
- Nerui, procedunt à sexta coniugatione & præcipue illi recurrentes dicti. Vide m.fig.3.Tab.alteri post 10.
- Vsus, & actio, est vocem efformare, nam ea dilatatur plurimum & comprimitur, aperitur & claudit ur.
- Morbi, sunt ei Arteriæ attributi, quoniam larinx est summitas asperæ arteriæ.
- Constellatio,
  - Ex planetis
    - Soli ☉
    - Cum planetis, illa in asperæ arteria recitata.
  - Ex signis. ♉

Caput III.

De Epiglottide.

Huius
- Nomen,
  - Græcum, Epiglotta.
  - Latinum, Lingua laringis.
- Substantia, est membranosa, & quasi cartilago tenuis & adiposa: pertinet autem ad Oesophagum, & adhæret radici linguæ & cartilagini laringis. Pro hac vide fig.2.Tab.10.
- Figura, est in forma seu effigie linguæ alicuius fistulæ, videlicet rotunda & in magnitudine paulo maior. Pro quæ vide b.fig.4.5. & 6.Tab.alteræ & tertiæ post 10. & fig.1.Tab.10. & κ.λ.fig.10.Tab.3.post 10. & ϑ.N. & ϑ.eius basim & apicem describunt.
- Situs, est cartilagini Arytænoidi oppositus, & ex radice linguæ proficiscitur, vt nos docet Gal. de vsu part. Vide b. fig.1.Tab.10. & O.fig.1. & 2.Tab.9. & b.Tab.alteræ fig.4. & fig.5.6. & 7.
- Temperies, manifesta est humida & viscosa.
- Connexio, fit radici linguæ, & continuata est cartilagini scutiformi. Vide Tab.3.post 10.fig.10. ϑ. N. & b.fig. 4. Tab.alteræ post 10. vbi * explicat eius principium.
- Vsus, est vt loco cooperculi seu obturamenti pro orificio laringis inseruiat, ne scili et quando aliquid nutrimenti per Oesophagum deglutitur, quicquam illius accidentaliter & repente in asperam arteriam incidat seu irrepat, Nam hoc organon respirationis spatio eleuatur, at vero in deglutione cadit & deorsum comprimitur cooperitque meatum ad pulmones, per trachean arteriam conducentem, hoc est per quem spiritum aereum introducimus.

TABVLA

TABVLA X. DESCRIBENS LARINGEM, SCVTIFORMI Cartilagine diuisam, cum glottide & Epiglottide.

FIG. I.





FIG. II.



Figura I. proponit laringem scutiformi cartilagine in duas partes diuisa.

a.a. Scutiformis dissecta. Θυρεοειδὴς græce.
b. Epiglottis.
c.c. Arytenoides.
d. Glottis seu rimula.
e.e. Musculus internus rimulam efformans.

Figura II. explicat laringem, glottida.

d. Est glottis.
f. Est Musculus aperiens.
g. Musculus transuersus Aritenoides.

TABVLA ALTERA LARINGIS MVSCVLOS EXPRIMENS.

LIB. III. TAB. XXXII.

FIG. III.



FIG. IV.



FIG. VII.



FIG. V.



FIG. VI.

Figura III. musculos aliquot cum nerui portione explicat, in qua

h. Musculus Ityothyroides, siue communium par, 2.
i.i. Denotat gulæ portionem; atque etiam in figuris 3. & 7.
k. Asperæ arteriæ pars anterior.
l. Musculi gulæ Oesophagæi, siue communium par tertium.
m. Nerui in musculo, siue communium par descendentis portio.
n. Scutiformis Cartilago.

Figura IV. vbi.

b. Epiglottis & * est eius principium.
d. Glottis seu rimula.
e. Musculus thyroides internus siue propriorum par 4.
f. Musculus crycoarythenoides posticus siue propriorum par 2.
g. Musculus Arytenoides siue propriorum par 5.
n.n. Scutiformis cartilago in 4. deducta, quo glottis & musculi conspiciantur.
s.s. Crycothyroidei antici seu propriorum par 1.

Figura V. in qua

b. Epiglottis.
† Radix & fundamentum eius.
c.c. Cartilago Arytenoides.
f. Musculus crycoarythenoides posticus seu propriorum par 2.
g. Musculus Artynoides seu propriorum par 5.
n.n. Scutiformis Cartilago vbi etiam & scutiformis earum exprimitur.
t. Cryoidis cartilaginis spina.

Figura VI. in qua

b. Epiglottis.
k. Asperæ arteriæ pars anterior.
n.n. Scutiformis cartilago seu thyroides.
s.s. Idem quod in figura IV.
u. Cauitas media in scutiformis epiglottidis gratia efformata.

Figura VII. vbi

b. Epiglottis.
i. Gula.
l. Musculi gulæ œsophagæi siue communium par 3.
x.x. Bronchii musculi seu communium par 1.
y.y. Nerui recurrentes.

TABV-

TABVLA TERTIA IN XI. FIGVRAS DIVISA IN QVA LARINX Cartilaginea integra cum oſſe Hyoide ſimulatque cartilagines particulares tres exprimuntur, quæ concurrunt ad laringis integræ compoſitionem; porro etiam & Epiglottis atque Bronchii cartilago in eiuſdem 11. & 12. fig. explicantur.

Fig. 1. A. Os Hyoides. B. B. eiuſdem proceſſus, de quo in cap. de Lingua egimus.
C. Cartilaginea tubercula, & ligamenta membranoſa alternatim poſita; quibus ſcutiformis proceſſibus iungitur.
D. Scutiformis Cartilago lateralis.
Fig. 1. 2. 3. 4. I. K. Scutiformis proceſſus ſuperiores oſſi.
I. Hyoidis articulati.
Fig. 1. 5. P. Cartilaginis Crycoidis pars poſterior.
Fig. 1. π. Membrana quæ poſteriori parte cartilagines Bronchii nectit.
Z. Aſpera arteria.
a. Cartilago arythenoides.
Fig. 2. 3. F. Scutiformis cartilaginis faciem vtramque indicat.
à G. ad H. Linea primæ Cartilaginis medio.
L. M. Scutiformis Cartilaginis proceſſus inferiores, qui in 1. figura à Crycoidi articulantur.
Fig. 4. & 5. R. Crycoidis inferior regio circularis.
4. 5. 6. S. Illius circuli poſterior ſedes.
Y. Z. Tabercula duo Crycoidis quæ arytenoidis ſinus ſubeunt.
Fig. 5. 6. T. Crycoidis circularis linea poſterior.

*Fig.*6.V.X Cartilaginis Crycoidis sinus vterque.
N.O.Sedes Crycoidis vbi processus hi coalescunt.
*Fig.*7.δ.& 9.β.γ.Arythenoidis partes duæ.
*Fig.*8.9.δ.δ.Arythenoidis Cartilaginis vacuum quod membranis clauditur.
ι.ι.Huius Cartilaginis latera,quibus Crycoidi articulatur.
ζ.ζ.Huius Cartilaginis processus lingulam linguæ efformans.
*Fig.*9.ε.Denotat sedem tertiæ Cartilaginis superiorem.
*Fig.*10.θ.N.Epiglottidis basis,laringem spectans scutiformi Cartilagini continuata.
η.Epiglottidis apex palatum spectans.
κ.λ.Epiglottidis basis & apex palatum respiciens.
*Fig.*11.Bronchii Cartilaginem demonstrat.

Caput IV.

De Tonsillis.

Hæ portiunculæ seu glandulæ
- Vocantur,
  - Græce,Paristmia.
  - Latine,
    - Tonsillæ.
    - Amgidalæ.
  - Anglice,The Almonds oh the throse.
- Substantiam habent glandulosam.
- Figura fruuntur,glandulis carnosis seu spongijs simili.Pro his vide Tab.9.Regionis infimæ,E.E.
- Situ naturali cuilibet laringis lateri apponuntur.
- Connexionem habent cum orificio supremo Oesophagi,vt E.E.loco antea citato.Et F.Tab.12.sequentis.
- Vtiles sunt,ad humiditates à cerebro descendentes recipiendas atque imbibendas, quibus linguam & omnia in oris circuitu membra humectent, quæ quidem actio in febribus ardentibus, quibus humor est exhaustus,est perquam necessaria.
- Morbis afficiuntur, videlicet
  - Apostemate.
  - Inflammatione.
  - Tumore.
  - Vulnere.
- Pro constellatione sua ex
  - Planetis solis, ☾
  - Signis solis.♉

} sibi vendicant.

Caput V.

De Vuula.

Nomen,
- Græcum,est Gargaræon.
- Latinum, est
  - Columna
  - Columella

  } cum in forma tali reperiatur,Et tunc ægrotare videtur.
  - Vuula,quando vuæ imaginem præ se fert,atque tunc etiam insana est, & præternaturaliter se habet.
  - Guigulio,communiter,(vt in rusæo reperitur) quatenus intra sanitatis limites reperitur:quamuis Gurgulio vt plurimum pro trachea Arteria sumatur.
- Anglicum,The pallet of sh themonthe.

Origo,est à dura matre, cuius est portio ,nam postquam illa caluariam superiorem egressa est, se dilatat & incrassat,ac pene carnea redditur,tum postea ad os descendit, cuius cœlum seu tectum vniuersum imo vero os integrum,hoc est partem tam inferiorem quam superiorem inuestit,& ad palati extremitatem duplex euadit,elongat aque ibi aliquantulum,suis implicationibus particulam procreat oblongam, varijs nominibus insignitam,videlicet hanc quam Gurgulionem vocamus. Deinde membrana hæc deorsum ventriculum tenus se immergens,internam eius tunicam ibidem contexere traditur.Atque hinc fit tantus inter ventriculum & os concentus,vt vnum idem illud respuere soleat,quod alteri non est gratum.

Cuius
- Substantia,est membranea & spermatica.P.
- Quantitas non est nisi parua at dimensio eius est longa.
- Situs demonstratur per E.Tab.12.
- Figura est instar glaciei ab edibus pendentis gutta,cuius pars superior est naturaliter longior, inferior magis angusta.

Vsus,

- *Vſus, eſt duplex, videlicet vt*
  - *Plectrum ſit quaſi vocis, virtute cuius cum magnitudine & elegantia exertâ editur vocis ſonus: nam aer expiratus prius incidi tur, atque huius reſiſtentia aereâ vis frangitur atque formaliter diſſipatur: Hinc ergo eſt quod à medicis præſtantioribus partem iſtam vtcunque laxam aut dilatatam, non temere eſſe abſcindendam, admoneamur.*
  - *Humiditatem à Cerebro præcipitantem retineat.*
- *Morbi, ſunt varij videlicet*
  - *Caſus ſeu præcipitatio.*
  - *Apoſtema.*
  - *Vulnus.*
  - *Tumor.*
  - *Inflammatio.*
  - *Vlcus.*

CAPVT VI.

De Lingua.

- *Vocatur,*
  - *Græce, glotta.*
  - *Latine, Lingua.*
  - *Anglice, The Atcunge.*
- *Subſtantiam habet, magnam & fortem in radice, cui os Hyoides infixum eſt, Eſt autem hæc in extremitate ſua tenuis, maioris celeritatis gratia.*
- *Componitur ex,*
  - *Tunica, ori communi. Pro qua vide fig. 1. A A A. Tab. 11. Et BB. & C.*
  - *Ligamentis duobus, partibus eius infimis annexis.*
  - *Oſſe ad raditem ipſius ſito, Voeides dicto, quod ⌣ aſſimilatur, Huius variæ ſunt vtilitates.*
  - *Muſculis pluribus, quorum alij ſuperiori eiuſdem parti inſeruntur, atque iſtorum actio eſt, vt linguã ad palatum eleuent: alij eius lateribus affixi ipſam lateraliter mouent, alij in infimam eiuſdem partem inſerti, illam deorſum vehunt atque inclinant. Pro eius muſculis vide D.E.F.G. fig. 1 Tab. 11.*
  - *Arteriis duabus in eam intextis.*
  - *Venis duabus in infima eius parte apparentibus, atq; has ſolemus in calidis linguæ atque faucium affectibus ſecare.*
  - *Duobus neruorum paribus in ipſam diſperſis, quorum alterum eſt molle, quod à tertia coniugatione in extremum ipſius truncum protenſum, ad ſapores diſcernendos deſtinatur: alterum vero eſt durum, & à tertia coniugatione deriuatum, atque per ipſius linguæ muſculos, quo motui eiuſdem voluntario inſeruiat diſſeminatur.*

Hoc membrum

- *Collocatur in ore tanquam ſpecu quodam ei proprio & à natura præparato, at vero ad baſin eius oſſi ⌣ affigitur. Pro lingua autem cum epiglottide. Vide Tab. 12. ſequentem.*
- *Vtile eſt, tam ad*
  - *Sapores diſcernendos.*
  - *Loquendi munus obeundum.*
- *Morbis varijs affligitur, cuiuſmodi ſunt*
  - *Diminutio, Ablatio & corruptio Guſtus.*
  - *Mollificatio & grauitas linguæ.*
  - *Spaſmus linguæ.*
  - *Magnitudo & breuitas linguæ.*
  - *Traulus, Balbus de quo mentionem facit.*
  - *Auicenn. 6. tertii, c. 16.*
  - *Ranula linguæ, de qua Ætius lib. 2. Serm. 4. c. 37. Auic. 6. tertii, cap. 17.*
  - *Apoſtemata linguæ.*
  - *Aduſtio linguæ.*
  - *Sciſſuræ linguæ, de quib. Raſis lib. diuiſ. c. 50. & Ætius cap. 20. lib. 2. ſerm. 4.*
  - *Bothor, de quo Raſis 7. contin. tr. 2. c. 2. 76.*
  - *Auicenn. c. 22. prædict.*
- *Conſtellationem habet, ex*
  - *Planetis ſolis. ♉*
  - *Signis ſolis. ♈*

TABVLA XI. LINGVAM ET EIVS Musculos describens.

FIG. I.

FIG. II.

FIG. III.

Figura 1. denotat latus dextrum linguæ.

A.A.A. Lingua cum tunica oris communi inuestita.
B.B. Tunicæ os succingentis portio ab ore secundum maxillæ inferioris latera dissecta.
C. Tunicæ eiusdem pars à palati intimo cum lingua præcisa.
D. Proximus linguæ musculus vel iuxta Falopium ossis hyoidis sextus.
E. Secundus eiusdem videlicet linguæ musculus.
F. Musculus tertius.
G. Musculus quartus.
Fig. 2. H. Caro ex glandulis.
I.I. Ligamentum Linguæ.
Fig. 3. K.K.L.L. Linguæ substantia musculosa ipsiusque fibræ.

CAPVT

Caput VII.

De Dentibus.

- Horum
  - Nomen
    - Græcum, est ὀδόντες.
    - Latinum, Dentes.
  - Substantia, est ossea.
  - Numerus, est 22. sunt enim
    - Anteriores octo nempe parte
      - Superiori, quatuor
      - Inferiori, quatuor
    - Canini, videl.
      - Superiores, duo.
      - Inferiores, totidem.
    - Maxillares, 10. quorum quinque sunt
      - Superiores.
      - Inferiores.
  - Nerui à tertia coniugatione procedunt, atque hi radicibus eorum inseruntur, hinc ergo tam prompta & facilis illorum sentiendi facultas.
  - Vtilitas præcipua est, nutrimentum in ventriculum immittendum prius quo facilius digeretur, præparare.
  - Morbi: sunt haud pauci, cum afficiuntur
    - Difficultate ortus eorum.
    - Dolore.
    - Corruptione & perforatione.
    - Vermibus.
    - Commotione.
    - Congelatione.
    - Alteratione coloris.
    - Stridore nocturno.

Caput VIII.

De Labiis.

- Hæc membra
  - Vocantur,
    - Græce, χειλε.
    - Latine, labia.
  - Substantiam habent musculosam, nam ex musculis quatuor constant, vt statim declarabimus.
  - Mouentur, motu voluntario.
  - Musculos habent varios, in quibus obseruanda sunt eorum
    - Numerus, qui est 4. nam
      - Duo ab vltima genæ inferioris ora procedunt.
      - Duo parum sub genis exurgunt.
    - Motus, qui est octifarius, videl.
      - Obliqui, qui sunt quatuor, vtrique namque labio duo adsunt, vnus ad dextram tendens, alter ad læuam.
      - Recti totidem, quorum quidem duo sunt omnino recti, & reliquorum duorum vnus labium supremum deorsum trahit, & alter illud infimum sursum vehit.
    - Compositio, quæ amplectitur præter musculos, venas, arterias & neruos.
  - Vtilia sunt, tam ad
    - Cibum quousque bene à dentibus præparetur retinendum.
    - Vultus seu faciei ornamentum atque decorationem.
  - Morbis variis affliguntur, cuiusmodi sunt
    - Fissura.
    - Tumores & apostemata.
    - Vlcera.
    - Tremor.

De quibus omnibus agit Auic. 8. Tert. cap. 11. 12. 13. 14. 15.

CAPVT IX.

De Ore.

In oris compositione duo præcipue obseruauimus, videl. eius

- Membranam communem, qua vndique vestitur tam subtus quam supra, de quâ in cap. de Vuula mentionem pleniorem fecimus, videlicet de eiusdem ortu, quem diximus fuisse à dura matre, atque etiam de eius progressu.
- Tria musculorum genera, quorum
  - Duo claudunt, vtpote qui pendentem genam inferiorem attollunt, vnde requisitum est, vt ad illud opus obeundum sint magni & admodum validi. Hi autem musculi temporales dicuntur, qui si lædantur, aut vulnerentur, sequetur idq; sapicule conuulsio, imo vero nonnunquam superuenient febris, Caros, seu deliria, quæ vt plurimum sunt signa lethalia.
  - Duo alij sunt prædictis duobus oppositi, & hi os ipsum aperiunt, suntq; prædictis longe minores.
  - Duo alij qui respectu reliquorum sunt intermedij, tam longitudine quam positione, à naturâ ordinantur, vt os varie circumagant.

Pro oris descriptione vide Tabulam sequentem.

TABVLA XII. PARTES GENERALITER in ore latitantes demonstrans.

A. Temporalis musculi portio.
B. Maxillæ inferioris processus acutus, cui temporalis musculus inseritur.
* Palatum.
C. Maxillæ inferioris pars sinistra.
D. Musculus quartus dictæ maxillæ in ore latitans.
E. Gargareon siue Vuula.
F. Glandulæ ad Gargareonem elatiores.
G. Glangulæ ad Laringem humiliores.
I. Lingua cum Epiglotride.
K. Arteria aspera à musculis detecta.
L. Vasorum ad Bronchia seu asperæ arteriæ cartilagines congeries.
N. Maxillæ inferioris quintus musculus digastricus ab ore pendens.
X. Scapulæ musculus quartus à ceruice prodiens.

REGIO TERTIA.

CAPITIS SEV SVMMÆ MICROCOSMI REGIONIS descriptio, In libros quatuor distributa.



SVMMARIVM.

Ad regionis microcosmicæ summæ descriptionem 4. concurrunt libri, quorum
- Prior, de partibus propriis continentibus agit.
- Secundus, Cerebrum & eius organa describit.
- Tertius cerebellum & 7. neruorum paria demonstrat.
- Vltimus oculi tam externum quam internum explicat.

REGIONIS MICROCOSMI SVMMÆ LIBER PRIMVS.

De

PARTIBVS EIVSDEM PROPRIIS CONTINENTIBVS.

CAPVT I.

De Capillis.

Quorum
- Nomen, est: Crines. Capilli. Pili.
- Origo, ex fuligmoso & terrestri tertiæ digestionis excremento prouenit.
- Sedes, vt plurimum sunt loci corporis magis humidi & molles, & cutis cui adhærent, solet esse densa & satis dura, quemadmodum est illa cranij seu capitis.
- Vsus, est ad: Partes ornatus gratia cooperiendas. Crassa excrementa consumenda. Cutem & carnes defendendas & muniendas, aduersus frigus externum.
- Morbi, sunt: Rhopalosis seu pilorum concretio in diuisibilis. Dichophyia seu pilorum biforcatio. Quassatio, hoc est casus inæqualis pilorum. Atrophia seu nimia eorum gracilitas. Aridias. Canities seu in album commutatio. Fluxio seu casus eorum. Alopesia. Coloris prauitas. Nimia spissitudo &c.

CAPVT

Caput II.

De Pericranio.

- Hoc vel sumitur
  - Particulariter, estq; illa membrana quæ sub cute capitis cranium inuoluit, atque hæc
    - Vocatur, Pericranium. / Perioſtium.
    - Oritur ex fibris tenuibus, ex dura matre ortis, & à concauo calvariæ extrinſecus per ſuturas emergentibus, in qua quidem egreſſione in membranam perioſtium dictam formantur dictæ fibræ. Pro eius aſpectu vide Tab. 2. fig. 1. N. vt & M. eſt cranium.
    - Connectitur, cum dura matre mediantibus fibris ſub cranio. Vide GGG. Tab. 2. fig. 1. Et HH. II.
    - Vtilis eſt, ad cranium inueſtiendum & ad retinendum, ne ſpiritus animales atque etiam vapores in nimis magna quantitate egrediantur per ſuturarum fiſſuras.
  - Generaliter, atque ita omnis membrana ſeu tunica immediate oſſa vniuerſa inueſtiens perioſtium dicitur, Nam & illa etiam à dura matre ſeu craſſa meninge deriuatur.
  - Atque huius
    - Morbi ſunt fractio, inciſio, contuſio.
    - Conſtellatio eſt ♈. ex ſignis, ex planetis ♄.

Caput III.

De Cranio.

- Cuius
  - Nomen, vocatur
    - Græce, Cranion. κρανίον.
    - Latine, Calvaria. / Cranium.
  - Sunt quinque ſuturæ, quarum aliæ ſunt
    - Veræ, in quibus duo reſpicimus, videl. earum
      - Numerũ, ſunt tres, atque harum
        - Duæ ſunt trãſuerſæ, videl. Coronalis, à corona regum ſic dicta, vide A. B. Tab. 1 / Lamdoides, à ſimilitudine literæ græcæ λ. vide C. D. Tab. 1.
        - Vna eſt directa, ſagittalis ab effigie ſua dicta. Vide E. Tab. 1.
      - Officia varia, nam
        - Coronalis, officium eſt os puppis diſtinguere à cæteris.
        - Lamdoides, diuidit os pixis, laudæ, ſeu memoriæ à cæteris.
        - Sagittalis, ſeparat duo oſſa parietario ab inuicem.
    - Falſæ ſeu ſpuriæ duæ, quarum
      - Nomina, —
        - Squamoſæ, ſic dictæ à ſimilitudine.
        - Mendoſæ, à vulgo.
        - Temporales, à Galeno. Pro his vide F. G. H. Tab. 1.
      - Vſus, ſeu officium, vt diſtinguant oſſa petroſa, atque vt emittant vapores lateraliter à cerebro.
  - Oſſa peculiaria ſunt quatuor, videlicet,
    - Duo temporum, quæ ſutura ſagittalis diuidit, & appellantur parietaria. Vide N. Tab. 1. ſequentis, & pro verticis oſſa vide I. K. Tab. 1.
    - Vnum frontis, per ſuturam coronalem à cæteris diuiſum, & hoc os puppis, os coronale, & os ſenſus communis dicitur. Vide L. Tab. 1.
    - Vnum occipitis, eſtque à cæteris diuiſum per ſuturam Lamboidem, atque hoc dicitur os pixis, os memoriæ. Vide M Tab. 1.
  - Officium, ſeu vſus eſt vtramque cerebri matrem ſeu meningem duram videlicet atque piam, atque etiam ipſum cerebrum, aduerſus accidentia & iniurias externas munire, atque tanquam galea defendere.
  - Morbi, ſunt
    - Fractura.
    - Fiſſura.
    - Inciſio.
    - Caries.
  - Conſtellatio, communis eſt ♈.

TABVLA I. CALVARIAM CVM SVTVRIS TAM in dextro quam siniſtro eiuſdem latere demonſtrans.

LIB. III. FIG. VI. TAB. II.



VII.



A.B. Eſt ſutura Coronalis.
C.D. Lamdoidea ſutura.
E. Sutura ſagittalis.
F.G.H.Ω. Sutura circularis ſeu ſquammoſa.
I.K. Verticis oſſa.
L. Os frontis.
M. Os occipitis.
N. Temporum oſſa.

Pro cæterarum literarum ſignificatione; quoniam de omnibus capitis oſſibus pertractare longum nimis foret, vos ad Caſpari Bauhini opera videlicet ad *lib. III. Tab. II.* referendos relinquo.

Caput IV.

De Meningibus Cerebri.



TABVLA

TABVLA II. DVABVS FIGVRIS DIVISA IN QVARVM PRIMA meninx crassa, cerebrum integrum inuoluens depingitur. In secunda crassa meninx remouetur & tenuis illa reuelatur.

*Fig.*1. vbi A.A.B.B. Est crassa membrana.
C.C.C. Est huius membranæ sinus tertius.
D.D. Ductus venarum in membranam excurrentes seu vena cerebri secunda.
E.E. Cerebri vena quinta.
F.F.F. Venulæ Caluariam perforantes.
G.G.G. Fibræ crassæ membranæ coronalem suturam transeuntes.
H.H. Fibræ coronalem suturam perforantes.
I.I. Fibræ lamboidem suturam penetrantes.
K. Tuberculum Caluariæ finibus adnatum.
L. Cauitas in frontis osse.
M. Cranium. N. Pericranium.

*Fig.*2. vbi A.A.A. Est crassæ meningis pars cerebrum diuidens.
B.B. Sinus crassæ meningis tertius apertus.
C.C. Vasorum initia ex sinu tertio in tenuem membranam.
D.D.D. Vasorum horum propagario.
E.E.E. Tenuis meninx seu pia mater.
F.F.F. Vasa secundum cerebri anfractus excurrentia.
G.G.G. Propagines crassæ membranæ latera percurrentes.
H.H.H. Crassa membrana deorsum reflexa.

LIBER SECVNDVS.

De

CEREBRO ET EIVS ORGANIS.

CAPVT I.

De Cerebro in genere.

- Ortus, est à spermate, vnde & album est.
- Substantia, est mollis, liquida & medullæ similis, quo quidem impressiones & proprietates sensibiles melius, animæ operante suscipiat.
- Quantitas, est maior in hominibus quam in bestiis eiusdem molis seu dimensionis, quod quidem à natura ideo completum est, vt plura in eo officia, & per consequens, officinas comprehendat.
- Diuisio fit vel
  - In partem, videlicet
    - Anteriorem, cerebrum dictum, quæ mollior, albidior, & amplior est posteriori, vide C.N.B. Tab. 3. fig. 1.
    - Posteriorem, quæ cerebellum dicitur, hæcque minor & durior existit illa anteriori, vide A.H.D.E. Fig. 1. Tab. 3.
  - Secundum medium descendendo, quam quidem partitionem falx facit, atque hæc partitio non est ad profundum. Pro cuiusmodi diuisione vide A.A.B.B. fig. †. Tab. 3.
- Figura,
  - Externa seu Geometrica, est rotunda quo quantitate capacius foret, & in actione sua mobilius, vt per vtrasque figuras videre liceat Tab. 3.
  - Interna, & ei solùmodo propria: quæ
    - Extrinsecus intestinis assimilatur, nam varijs gyris & circumuolutionibus torquetur, quod quidem non fit ad intelligendum, iuxta Erasistrati opinionem, nam sic & asinus intelligeret, vtpote cuius cerebrum talibus implicationibus fabricatur, sed ideo imprimuntur huiusmodi gyri in cerebro, vt pia mater (quæ ex venis & arterijs contexitur) altius in eius substantiam tam nutritionis quam vinificationis causa penetret. Pro gyris seu anfractis cerebri vide CC. Tab. 3. fig. 1. & AAA.BB. fig. 2. Tab. 3. Et DDD. indicat diuisiones.
    - Intrinsecus caseum recentem repræsentat.
- Cuius
  - Temperies, est frigida & sicca, atque hinc vult Hippocrates, quod cerebrum sit sedes frigidi & glutinosi.
  - Motus, est voluntarius & non inuoluntarius aut coactus, gaudetq; Systole & Diastole non aliter quam ipsum cor, & in Diastole trahit à reti admirabili spiritus tam vitales quam naturales, & à naribus aerem, ac in Systole interiores sinus coarctat, & animales spiritus è superiori ventriculo in tertium & quartum, atque etiam in sensuum organa perfundit.
  - Color
    - Extra, est cineritius.
    - Intra vero, est albus, quo ipsa anima omnes colores melius mediante hoc colore percipiat, vtpote qui color est omnium reliquorum susceptibilis, & ipsius nullus.
  - Situs, est in loco eminentissimo quo tanquam in arce foret tutum, & hac de causa ossibus vndiq; firmissimis munitur & circundatur, cerebrum in sua positione indicat A A. vt & BB. cerebellum, fig. 1. & 2. Tab. 8.
  - Vsus,
    - Non est ille cuius meminit Aristot. videlicet ad cordis refrigerium, sed potius vt docet Galenus. 8. de vsu partium, ad spirituum animalium generationem, & ad functionum animalium executionem.
  - Morbi
    - Vniuersales, sunt Apoplexia &c.
    - Particulares, de quibus infra.
- Cõstellatio, ex
  - Planetis
    - Solis
      - ☉. Cui cerebrum, medulla & nerui, & oculus dexter dantur.
      - ☾. Cui cerebrum & oculus sinister attribuitur.
      - ☿. Cui memoria & cogitatio attinet.
    - Cum signis ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ In ♄ ♃ ♈ ♉ ♌ ♍ ♎ ♏
  - Signis ♈.

Caput II.

De Particulari cerebri Inquisitione.

In anatomia partium cerebri, & cerebelli inquisitione, hæc ordine spectanda veniunt:
- Falx.
- Cerebri sinus.
- Corpus callosum.
- Bini ventriculi priores.
- Plexus choroides.
- Processus mammillares.
- Fornix seu corpus cameratum.
- Septum lucidum.
- Ventriculus tertius.
- Ventriculus quartus.
- Rete admirabile.
- Cerebellum.
- Septem neruorum paria.
- Oculus cum cohærentijs.

Caput III.

De Cerebri sinibus.

Ortus, à quadruplici duræ meningis circa posteriorem capitis portionem implicatione prouenit, nam inter huiusmodi complicationes sinus seu cauitates cerebri sanguine refertæ fiunt, vtpote in quas venæ iugulares internæ penetrant.

Horum numerus est quaternarius, nam horum:
- Duo priores, ad cerebri basin iuxta occipitium, vbi scilicet venæ iugulares insurgunt, siti sunt. Hos sinus indicat. P P. Q Q. fig. 1. Tab. 5. Pro primo & secundo sinu vide SS. TT. fig. 1. Tab. 6.
- Tertius, à duorum priorum ascendentium nexu seu vnione fit: nam hi duo sursum ad suturam Lamboidem surgentes in vnicum transeunt seu concurrunt tertium, qui secundum capitis longitudinem directe sub sutura sagittali progreditur, atq; frontis basin petit, vbi tandem in osse Ethmoide desinere obseruatur. Deniq; huius via seu motus atq; positio à falcis progressu assignatur. Pro Tertio sinu vide BB. fig. 2. Tab. 2. Et CCC. fig. 1. vbi BB. & CC. fig. 1. denotat illum apertum, vt CCC. fig. 2. clausum: Et I EE. fig. 1. Tab. 3. Et HH. Et vide MM. similiter pro tertij principio vide S. fig. 1. Tab. 5.
- Quartus sinus, quem delineat duræ matris plicatura inter cerebrum & cerebellum inuenienduS est, in eo ipso loco quem torcular vocant. Pro ductu ab hoc sinu vide F. Fig. 1. Tab. 3. & GG. Et II. Et K similiter H. fig. 2. Tab. 4. Et I. K. L. sic & T. denotat quartum sinum apertum in Tab. 5. fig. 1.

Caput IV.

De Falce.

Cuius:
- Nomen, deriuatur à similitudine.
- Origo, est à dura matre. Vide DD. Tab. 3. fig. 1.
- Substantia, est eadem cum illa duræ matris, nihil enim aliud est hæc quam dura meninx reduplicata.
- Quantitas, est latior in parte capitis posteriori, in anteriori vero angustior, seu acutior, Pro hac vide N. fig. 1. Tab. 3.
- Situs, ad corpus vsque callosum penetrat.
- Figura, est instar falcis, quo gramina metunt.
- Connexio, cum cerebro fit per neruulos & venulas.
- Vsus, est cerebrum secundum longitudinem in partes duas æquales diuidere, dextram scilicet & sinistram, vt læsa vna earum, altera sana manere queat. Vide III. fig. 2. & AA. BB. fig. 1. pro diuisione.

CAPVT V.

De corpore Calloſo.

Huius
- *Nomen, à duritie ſeu ſimilitudine oritur.*
- *Subſtantia, eſt durior illa cerebri, venisq; omnimodo eſt orbata. Hoc corpus indicatur per LL. Tab. 3. fig. 1. Et III. fig. 2. & KK. fig. 2. Et RRR. pro eius inferiori ſuperficie.*
- *Color, eſt candidus.*
- *Connexio, fit cum cerebri ſubſtantia, nam vltra corpus hoc non penetrat falx.*
- *Vſus, & officium eſt*
  - *Vt diſtinguat cerebrum à cerebello.*
  - *Vt ſeptum lucidum ſuſtineat.*

TABVLA TERTIA IN QVA CEREBRVM MENINGIBVS exutum, & falx, & corpus calloſum deteguntur.

In fig. 1. A.A. Eſt cerebri pars dextera.
B.B. Eſt pars ſiniſtra.
C.C. Anfractus cerebri.
D.D. Proceſſus duræ membranæ qui eſt ipſa falx.
E.E.E. Vaſorum initia ex tertio ſinu in tenuem membranam hic abrupta.
F. Ductus à quarto ſinu, &c.
G.G. Illius ductus propagines in eandem membranam ſurſum excurrentes.

H.H.Sacculi ab humiliori ſede tertii ſinus in proceſſum diſſeminati.
I.I.Principia vaſorum,quæ à quarto ſinu in tenuem membranam feruntur.
K.Initium vaſi à quarto ſinu pronati,quod ſub fornice in tertium ventriculum ad plexus conſtitutionem excurrit.
L.L.Calloſum corpus cerebri.
M.M.Sinus vtriuſque ad corporis calloſi latera.
N.Proceſſus falcis portio,quæ ſepto olfactus organi connaſcitur.
O.O.Tenuis membrana.
P.P.Craſſæ membranæ portiones reflexæ.

In fig. 2.A.A.A.B.B.Cerebri medullæ pars dextra & ſiniſtra.
C.C.C.Cerebri portio ablata.
D.D.D.Diuiſiones ſeu lineæ à cerebri anfractibus.
E.E.E.E.Cortex cerebri eius medullam ambiens.
G.G.H.H.Cerebri medullæ.
I.I.I.Corpus calloſum.
K.K.Calloſi corporis portiõ.
L.L.M.M.Ventriculus cerebri dexter & ſiniſter.
N.N.Siniſtri ventriculi ſuperioris ſedis portio.
O.O.Plexus choroides.
P.P.Venæ graciles ventriculis connatæ,&c.

CAPVT VI.

De duobus primis Cerebri Ventriculis.

Nomen, iuxta { *Antiquos (qui non niſi tres agnouerunt cerebri ventriculos) vnus primus ſeu anterior ventriculus, dicebantur illa duo foramina oblonga anteriora.*
Recentes (qui quatuor poſuerunt eiuſdem ventriculos) bini anteriores ſeu ſuperiores dicti antur.

Quantitas, ab anteriori cerebri portione ad poſteriorem ſe extendit, ſunt etiam ampli & profundi, horumque cauitates tenui membrana inueſtiuntur, Denique hi cæteris duobus inferioribus maiores ſunt. Vide XX. fig. 1. Tab. 4. Et YY.

Figura, eſt oblonga, & inſtar aurium humanarum anfractuoſa, etiam duobus ſemilunijs, quorum cornua contrario more ſtatuuntur comparari poſſunt, quæ depinguntur tali modo.

☽ *Pro hac vide D.E. Tab. 4.*

Poſitio, eſt in medietate cerebri & à ſepto lucido ab inuicem diſtinguuntur. Pro hac quære LL. MM. fig. 2. Tab. 3. & NN.

Vſus { *Generalis, eſt* { *Primum vt ſit ſedes phantaſiæ, quæ in eorum angulo anteriori ſedem ſibi vendicat, vtpote in quo loco illa ſpecies à ſenſibilibus particularibus derivatas, retinet.*
Deinde vt eorum pars poſtrema locus ſit in quo imaginatio ſita, mediante qua ſpecies à phantaſia retentæ apprehenduntur, componuntur, diuiduntur, atque earum hæc ab illa diſcernitur.
Denique in eorum parte intermedia vt manſionem ſuam habeat ſenſus communis, cuius officium eſt ſpecies à ſenſibus particularibus delatas apprehendere.
Specialis, eſt ad { *Spirituum animalium præparationem, ſuntque organa hoc opus perficientia plexus choroides dicti, de quibus infra.*
Inſpirationem & expirationem, & ad odores recipiendos per proceſſus mammillares.

Qi orum

Morbi

- Morbi sunt
  - Alue, palpitatio, contorsio, de quibus Rasis 1. Cont. tr. 8. cap. 1. & Auicen. ibid. tract. 5. c. 4.
  - Corruptio imaginationis seu Delirium.
  - Subeth, Caros, sopor.
  - Superflua vigilia, Sabara.
  - Amentia, stoliditas.
  - Vertigo.
  - Scrotomia.
  - Incubus, vt dicit Paulus lib. 3. cap. 15. Auicen. tr. 5. cap. 5.
  - Epilepsia.
  - Coma, Cataphora, quæ à subeth quodammo differre faciunt.
- Constellatio ex
  - Planetis
    - Solis,
      - Sol.
      - Luna.
    - Cum signis, vt in Cerebro.
  - Signis. ♈

CAPVT VII.

De plexu Choroide.

- Hic autem
  - Vocatur,
    - Communiter, plexus choroides, choriformis, & reticularis.
    - Ab Andrea Laurentio rete admirabile.
  - Oritur, à rete admirabili, quod etiam suam originem deducit à Pia matre.
  - Componitur, ex venularum & arteriarum textura labirinthica, per tenuis membranæ portiunculam excurrente. Vide F. G. H. fig. 2. Tab. 4. Et O O. & P.
  - Figuram, habet extimo fœtus inuolucro Chorion dicto similem, vnde & choroides dictitatur. Pro hac vide M. N. fig. 2. Tab. 4.
  - Collocatur, in vtroque ventriculo anteriori in quibus super humorem limpidum natare cernitur. Indicatur eius situs per O O. fig. 2. Tab. 3.
  - Numero est duplex secundum ventriculorum cerebri anteriorum numerum. Vide O O. fig. 2. Tab. 4.
  - Vsum habet duplicem, quorum
    - Prior est ad expirationem, inspirationem, & efflationem in ventriculos cerebri anteriores: mouetur enim cerebrum per Systolen & Diastolen non aliter quam ipsum cor.
    - Posterior, vt spiritus animales adhuc grossos & instar fumorum contineat, vtpote qui hoc in loco coquuntur, præparantur & attenuantur, priusquam ad sensum naturalem perueniant, cuius sedes est ventriculus tertius, in quo dictorum spirituum præparatio absoluitur & perficitur, vt tandem ad vltimum ventriculum, quartum scilicet (qui in parte cerebelli posteriori situs est) traducantur.

CAPVT VIII.

De processibus mammillaribus.

- Hi
  - Nomen à similitudine sibi vendicant.
  - Numero sunt duo.
  - Figura apparent duo tubercula mammillarum papillis simillima. Vide CC. fig. 1. Tab. 8.
  - Positionem habent in prædictorum ventriculorum anteriorum parte profundiori, sunt que admodum ad narium os (quod est cribri instar & Ethmoides dictum) propinqui, in quod etiam feruntur: Pro his duplici modo acceptis vide CC. & FF. Tab. 8.
  - Vtiles sunt ad respirationem & ad odores recipiendos perquam necessarij.

CAPVT IX.

De Fornice.

- Cuius
  - Nomen
    - Latinum, est
      - Fornix.
      - Testudo.
      - Corpus cameratum.
      - Psalloides.
    - Anglicum The Vault.
  - Figura est pontis instar, & posteriori parte duobus cruribus, anteriori vnico tantum suffulcitur. Pro eius superficie triangulari vide S.T.V. fig. 1. Tab. 4. & AAA. fig. 2. Et B.C.
  - Positio est directe sub corpore calloso. Vide S.T.V. fig. 1. Tab. 4.
  - Vsus est, ne permitteret cerebri substantiam tertium eiusdem ventriculum sua mole subprimere: vnde fit, vt inter ponderosam cerebri substantiam & ventriculum illum arcus seu fulcimenti instar interponatur.

CAPVT X.

De septo Lucido.

- Quod
  - Vocatur ita à sepis effigie, non aliter quam Diaphragma septum transuersum à septi imagine: dicitur etiam speculum.
  - Oritur à pia matre, quæ in hoc loco duplicatur.
  - Substantiam habet subtilem, vtpote quæ nihil est aliud, quam tenuis cerebri membrana reduplicata.
  - Positionem suam habet inter corpus callosum & cameratum.
  - Vtile est ad dextrum anteriorum cerebri ventriculorum à sinistro separandum, quod quidem ideo ordinauit natura, vt si vnus accidente aliquo lædatur, alter incolumis euadat.

TABVLA

TABVLA QVARTA CVIVS FIGVRA PRIMA VENTRICVLOS binos anteriores, & corpus calloſum à cerebro ſeparatum, reflexum, & à ſepto diuulſum cum foramine exhibet, ſecunda fornicem ſurſum retractum vt vaſa ei ſubiecta conſpiciantur demonſtrat.

*Fig.*1. vbi R.R.R. Calloſi corporis reflexi ſuperficies inferior.
S.T.V. Fornicis ſuperficies triangularis.
X.X. Septi ventriculorum pars inferior.
Y.Y. Septi ſuperior pars calloſo corpori continua.

*Fig.*2. vbi A.A.A. Eſt fornicis figura inferior.
B.C. Anguli duo fornicis, quibus ventriculis continuatur.
D.E. Ventriculus dexter & ſiniſter.
F.G. Arteriæ à Carotidibus per inferiorem ventriculorum ſedem ad plexum choroidem efformandum conſcendentes.
H. Vas à quarto ſinu prodiens ſub fornice, & in tertium ingrediens ventriculum.
I.K.L. Illius vaſis diuiſio, cuius portio ventriculum dextrum K. alterum ſiniſtrum L. petit.
M.N. Plexus choroides ab arteria F.G. & vaſe H. conſtitutus.
O.O. Venulæ per cerebri ventriculos à vaſis K. & L. productæ.
P. Aliæ venulæ ab iis extra ventriculos ad tenuem membranam diſperſæ.
Q. Meatus à tertio ventriculo ad peluim.
R.S. Canalis ſeu ſinus ventriculorum ſubſtantiæ inſculpti pituitam ad meatus orificium deducentes.

Caput XI.

De Tertio Ventriculo.

Nomẽ datur vel
- A situ, & sic à Galeno Medius dicitur, vtpote in medio inter duos illos superiores & quartum: vel quatenus in medio quasi sphærici capitis collocatur.
- Ab ordine, & sic dicitur Ventriculus tertius.

Substantia est nihil præter duorum priorum ventriculorum concursus seu communis cauitas in quam superiorum ventriculorum partes procliuiores dehiscunt.

Quantitas est longiuscula rectaque, & ab inferiori ad posteriorem cerebri partem tendit eius dimensio in longum; quare facillimum est ab hoc ventriculo in quartum emittere spiritus animales iam absolutos, qui postea ad neruos & spinæ medullam deferuntur. Pro ventriculi tertij ad quartum vnione cum natibus. Vide I. K. fig. 2. Tab. 6.

Positio fit directe sub corpore calloso seu fornice, vt ab ijs à cerebri superpendentis mole & compressione defendatur. Vide H. fig. 1. Tab. 4. Et L. indicat partem eius anteriorem, in Tab. 5. fig. 2. Et I K. fig. 2. Tab. 6.

Cuius
- Meatus duo, quorum
  - Vnus est anterior, qui ad cerebri basin supra os sphenoides sellam descendit, & per hunc meatum purgantur pituitosa prædictorum ventriculorum superflua: est hic meatus tenui membrana inuestitus, qui est primo latior, deinde ad instar infundibuli paulatim in angustum procliuis, ac ob hanc causam tam infundibulum quam peluis ab Anatomistis nuncupatur. Vtpote per quod tanquam per manicam Hippocratica pituita cerebri in glandem pituitariam (quæ pelui subijcitur) defillat, quæ glans pituitam descendentem facillime ebibit, ac tandem per cuneiforamina in palatum instillat. Meatum ad Peluim describit Q. fig. 2. Tab. 4. Et vide K. S. Et vide I. fig. 1. Tab. 5. & vide I. fig. 2. Pro pelui & glandula vide E. F. fig. 3. Tab. 6. Porro in fig. 4. A. est glans B. Peluis C. D. E. F. ductus quatuor ad pituitæ egressum: Et foramina tria per quorum O. pituita descendit ad peluim indicantur per O. P. Q. fig. 1. Tab. 8.
  - Alter posterior & priori amplior, qui ad ventriculum quartum viã præbet. Et in hoc meatu hæ particulæ conspiciendæ se offerunt, videl. Vide K. fig. 1. Tab. 5.
    - Glandula nucis pineæ similis quæ Conarium & à similitudine penis dicitur. Hanc indicat L. Tab. 5. fig. 2. Et H. fig. 2. Tab. 6
    - Eminentiæ etiam duæ à tergo penis sitæ, quæ itidem a similitudine nates seu clunes dicuntur, inter nates vero foramen adest, quod ob hoc anus dicitur, per quod fit à tertio ventriculo ad quartum progressio. Has indicat M. N. fig. 1. Tab. 5. Et F. G. fig. 2. Tab. 6.
    - Exuberationes etiam duæ aliæ sub natibus apparentes, quæ tam propter situm quam ob earum effigiem testes seu testiculi nuncupantur. Vide N. O. P. Q. fig. 2. Tab. 5. Et D. E. fig. 2. Tab. 6.
    - Particula altera in anteriori testium sede conspicitur, in plaga ad tertium ventriculum tendente, quæ pubes muliebris dicitatur, vtpote quæ vulvæ speciem non inepte imo vero peroptime præ se ferre obseruatur.

Vsus, vt sit sedes virtutis
- Cogitatiuæ, cuius est diuidere, componere, & vnum ex alio inferre.
- Æstimatiuæ quæ insensata ex sensatis elicit.

Morbi sunt
- Mania & furor.
- Melancholia.
- Lycanthropia seu Insania Canina.
- Congelatio, Catoche, Catalepsis.
- Hereos.
- Alienatio rationis.

Constellatio ex
- ☿. Cogitatiuæ virtuti præest.
- Solis ☉ ☾ — Cerebrum regunt in genere.
- Planetis
  - Cum signis ♄ ♃ ♂ ☉ ♀ ☿ ☾ In ♑ ♒ ♓ ♈ ♉ ♊ ♋
  - Signis solis. ♈

TABVLA

TABVLA QVINTA DVABVS FIGVRIS INVESTITA, IN QVARUM priori cerebri portio, quæ ventriculos superiores efformat, & cerebello incumbit, ablata, & vas quarti sinus à plexu choroidum auulsum est, vt tertius ventriculus & crassus meningis sinus conspiciantur. In posteriori tertii ventriculi ductus cum testibus diuisis simulatque cerebellum crassa meninge denudatum demonstratur.

Fig. 1. vbi A.A.B.B. Sunt cerebri portiones adhuc in caluaria relictæ.
C.C.C. Lineæ cerebri anfractuum versus cerebri basin.
D.D. Cerebri cortex.
E.E.E. Cerebri medulla alba lineis circumscripta.
F.G. Arteriæ Carotidis portiones.
H. Ventriculi tertii humilior sedes distenta.
I. Meatus anterior ventriculi tertii ad peluim tendens.
K. Meatus ventriculi tertii posterior ad ventriculum quartum conducens.
L. Glandula pinealis seu cerebri penis, cui vas venosum V. incumbit.
M.N. Nates & testes cerebri.
O.O. Processus crassæ meningis inter cerebrum & cerebellum.
P.P.Q.Q. Sinus primus & secundus crassæ meningis.
R. Torcular seu quatuor sinuum congressus.

S. Tertii sinus principium.
T. Quartus sinus apertus.
V. Quarti sinus vas reflexum & abruptum quod in ventriculos porrigitur.
X. X. Cerebellum tenui meninge intectum.
Y. Ductus à quarto sinu in tenuem meningem, à qua cerebellum & testes teguntur.
Z. Z. Crassæ meningis sedes cum osse petroso auditus organa continente.

Fig. 2. A. A. B. B. Cerebri portio residua.
C. D. E. Lineæ, Cortex & medulla cerebri.
F. G. Arteriæ Carotidis portiones.
H. Ventriculi tertii pars anterior.
I. Meatus ad peluim.
K. Meatus alter à ductu L. ad primum meatum I. delatus.
L. Ventriculi tertii pars posterior ad quartum descendens.
M. Glandula pinealis in latus depressa.
N. O. P. Q. Testes & nates.
R R. Cerebellum tenui meninge inuestitum.
S. S. Vasa tenuem meningem implicantia, à quibus ramuli.
T. T. Ad arterias carotides.
V. V. Crassa meninx quæ cerebellum inuestiebat.
X. X. Vasa à crassa meninge in tenuem sparsa.
Z. Z. Crassæ meningis ad Caluariæ nexum denotant.

Caput XII.

De Ventriculo quarto.

Huius
- Nomen, vel à
  - Similitudine & figura est calamus scriptorius.
  - Situ & ordine est ventriculus quartus.
- Quantitas est ventriculis præcedentibus minor, est cauitas hæc in principio amplior, in fine vero versus spinalem medullam ad instar calami scriptorij coarctatur, estque hic meatus, per quem spiritus animales transeunt, ad spinalem medullam: Pro parte eius posteriori vide I. fig. 1. Tab. 6. Pro eius apice vide O. Quomodo inhæret medullæ, vide K. L. M. N. fig. 2. Tab. 6.
- Figura habet effigiem calami scriptorij, vtpote quæ tendit ad formam pyramidalem, estq; cauitas hæc tenui membrana obducta. Pro eius effigie & calami mucrone vide O. Et K. L. M. O. fig. 2. Tab. 6.
- Positio est inter tertij ventriculi caudam, & spinalis medullæ originem in eius vero initio adest foramen illud inter nates anus dictum, ad quartum ventriculum penetrans, per quod spiritus animales à tertio ventriculo ad quartum transeunt.
- Vsus est duplex, est enim
  - Sedes memoriæ, estq; quasi animæ thesaurarium, in quo singula vel coacernantur.
    - Imaginando.
    - Ratiocinando.
    - Intelligendo.
  - Principium & origo
    - Nucæ medullæ.
    - Motiuæ facultatis.
- Morbi sunt
  - Lethargia, quæ est apostema circa membranas, à causa frigida.
  - Læsio memoriæ.
- Constellatio est eadem quæ supra.

TABVLA

TABVLA VI. QVATVOR FIGVRIS INSIGNITA QVArum prior cerebellum ſupra cerebrum protractum demonſtrat, quo inferior eius ſuperficies, & ſpinæ medullæ cauitas conſpiciatur. Secunda ſpinalem medullam cum glandula, teſtibus, natibus, & quartum ventriculum detegit. Tertia Caluæ partem explicat per quam etiam nerui optici denotantur. Quarta peluis erectæ & ductus 4. pituitam à glande differentes diſpoſitionem indicat.



Fig.1.in qua A. A. Cerebri portio in Caluaria adhuc relicta.
B.C.D. Cerebelli partes tres reflexæ tenui meninge inuolutæ, ac dorſali medullæ connatæ.
E. Proceſſus vermiformis poſterior.
F.G.H. Spinalis medullæ initium è Caluaria ad H. procedens.
I. Ventriculi quarti pars poſterior ſpinali medullæ adiuncta.
K. Vaſa in cerebellum à vaſis quæ in primum & ſecundum ſinum exhauriuntur.
L. Vaſa alia à craſſa in tenuem meningem ſparſa.
M.N. Neruorum par quintum & ſextum.
O. Apex quarti ventriculi calami mucronis ſimilis.
P.Q.R. Caluariæ ſinus poſterior pro cerebelli ſede, craſſa meninge adhuc obductus.

S.S.T.T.

S.S.T.T.Sinus primus & ſecundus craſſæ meningis.

Fig.2.in qua A A.Spinalis medullæ partes à cerebro ſectæ.
B.C.Sedes quibus hæc medulla cerebro erat adnata.
D.E.Teſtes.F.G.Nates.H.Glans pinealis.
I.ad K.Ventriculi tertii pars ad quartum cum teſtibus.
K.L.M.N.Ventriculi quarti pars in medulla inciſi.
O.Ventriculi quarti mucro.
P.Sedes qua ſpinalis medulla caluariam egreditur.

Fig.3.vbi A.B.Neruorum ſunt opticorum portiones.
C.D.Arteriæ ſunt Carotides.
E.Peluis propendens.
F.Foramen craſſæ meningis,per quod peluis glandulam petit.
G.G.Neruorum paris ſecundi portiones.

Fig.4.in qua A.Eſt glans.B.Eſt peluis.
C.D.E.F.Meatus ſeu ductus quatuor ad pituitæ egreſſum.

Caput XIII.

De Rete admirabili.

Hoc
- *Nomen habet à textura ſua admirabili.*
- *Compoſitionem poſſidet ex arterijs tenuiſſimis (quæ ſunt ramuli ſeu ſurculi carotidarum aſcendentium) conflatam. Vide A.B.Tab.7. Quomodo autem propagines eius per ramos coniungantur indicat C.D.Tab.7.*
- *Collocatur ſupra medietatem oſſis baſilaris in directo colatorij, hocq; ſub ipſo cerebro, vnde niſi detrahatur cerebrum non apparet. Vide E.Tab.7.*
- *Vtile eſt vt ſpiritus vitales à corde ad cerebrum affluentes contineat.*

TABVLA VII. IN QVA RETE ADMIRABILE Galeni indicatur.

A.B.Sunt arteriæ Caluariam ſubeuntes, & rete mirabile conſtituentes.
C.D.Sunt rami per quos retis illius propagines coniunguntur.
E.Eſt glandula pituitaria.

DE CEREBELLO ET SEPTEM Neruorum paribus.

CAPVT I.

De Neruis in genere.

- *Substantia est mollis & porosa vt per eam spiritus animales facilius permeare & penetrare queant.*
- *Compositio tam tenui quam crassa membrana est prædita, quo eius substantia esset ab externis iniurijs tutior & securior.*
- *Origo est iuxta Anatomistarum recentiorum sententiam à Cerebri basi, hocq; prope ventriculum tertium, contra Galeni opinionem qui (vti dictum est) eorum originem cerebello assignat.*
- *Diuisio est in paria seu coniugationes quæ*
  - *Situ sunt*
    - *Dextrorsum.*
    - *Sinistrorsum.*
  - *Numero sunt septem.*
- *Vsus est vt sit organum, per quod spiritus tam sensibiles quam motiui ad quodlibet corporis membrum deferuntur: Vnde eleganter sequitur quod qui neruis caret, ille & sensu & motu destituatur.*
- *In Neruo generaliter sumto*
  - *Spasmus seu conuulsio*
    - *Ex*
      - *Inanitione.*
      - *Repletione.*
    - *Per colligantiam.*
  - *Morbi*
    - *Paralysis.*
    - *Tetanus.*
    - *Tortura oris, seu conuulsio canina.*
    - *Tremor.*
    - *Stupor.*
    - *Saltus.*
  - *Constellatio*
    - *Planetis ☾.*
    - *Signis ♈.*

Caput II.

De septem Neruorum paribus & primum De primo pari.

Primum par seu coniugatio oculis attribuitur, atque horum neruorum

Nomen est optici quasi visorii.

Origo fit ab anteriori cerebri basi. Pro his vide fig. 1. & 2. Tab. 8. & 9. fig. 7. Tab. 13.

Substantia est crassa & omnium mollissima, atque magis spongiosa hocq; absque manifesta porositate. Pro portionibus eiusdem vide A. B. fig. 3. Tab. 6.

Quantitas est omnium amplissima.

Vnio seu Intersertio fit super sphenoidis sellam, seu sub apophyse clenoides, & tum postea diuiditur iterum, atque disiungitur dicta vnio, atque quodlibet eiusdem diuisionis membrum ad vtrumque se porrigit oculum, ita vt illa vnio videatur esse quasi crucis centrum, atque figuratur neruus in crucem in hunc modum. Pro coitu intersectionis vide H. fig. 1. Tab. 8. Pro hoc etiam vide R. fig. 6. eiusdem.

Vestimentum est meninx tam tenuis de qua vide p. fig. 7. Tab. 13. quam crassa quam indicat q. Et vide QQ. fig. 6. Et p. q. fig. 1. & vide a. fig. 2. 4. & 8. Tab. 15. pro neruo & b. c. pro vestimentis.

Ratio autem, quod scilicet nerui hi tendunt in crucem, hoc est cur vnio fiat à dualitate, & tum demum dualitas ab vnione, est vt res vnica & eadem non appareat dua, hoc est vt duplex vnius obiecti imago ad vtriusque oculi centrum penetrans, & in vnione huiusmodi conueniens non dua res, sed tantum vnica qualis reuera est appareat.

Vsus est visionis causa cuius est neruus opticus principale instrumentum. Egressus à cerebro est per os sphenoide vt per p. fig. 6. Tab. 6. indicatur.

Caput III.

De secundo pari.

Secundum oculorū musculos respicit, atq; huius

Substantia est admodum dura.

Quantitas est minima.

Motus fit à cerebri basi, per propria sua foramina, & sic per rimam orbitæ ad quinque musculos (vt vult columbus) vel (iuxta alios) ad 6. musculos oculo famulantes. Pro portionibus nerui huius vide G G. fig. 3. Tab. 6. Et aperte indicatur per KK. fig. 1. & 2. Tab. 8.

Diuisio in 7. ramulos quorum

- *Quinque ad quinque musculos oculo administrantes destinantur.*
- *Duo ad musculos duos palpebram recludentes transeunt & ad narium tunicam vergit ramus. Vide O. fig. 1. Tab. 8.*
- *Atque etiam surculus ramulorum istorum ad musculum temporalem tendit, eique inseritur, vnde fit, quod laso temporali musculo & oculus vt plurimum offendi atque pati obseruetur. Pro hac vide N. fig. 2. Tab. 8. Et Q.*

Vsus tam ad musculorum oculi motum, quam ad sensum eiusdem inprimis conferre animaduertitur.

CAPVT IV.

De tertio neruorum pari.

Huius
- Origo sit magis retrorsum & lateraliter in cerebri profundo seu basi.
- Quantitas est valde exigua.
- Motus progressu deorsum penetrat, atque perforat caluariam per quoddam foramen huic cum quarto pari commuui. Pro hoc vide LL. fig. 1. & 2. Tab. 8.
- Diuisio seu distributio varia in surculos & ramos, quorum
  - Vnicus ad musculum vsque temporalem permeat.
  - Alter orbitam oculi perforans, & per supercilium transiens pergit ad
    - Frontem.
    - Musculum palpebram constringentem.
    - Musculum qui nasum dilatat.
    - Ipsum nasum.

    Et hic in quamplurimos ramulos se dispergit.
  - Tertius per oculi orbitam penetrans per tertium maxillæ superioris os transit, & tum in multos neruulos distribuitur qui disseminantur per
    - Labrum superius.
    - Musculum messeteram dictum.
    - Musculos buccæ.
    - Nasi cautatem.
  - Quartus ad dentium superiorum radicem se porrigit.
  - Quintus ad infimam descendit maxillam, cuius etiam portio ad dentium inferiorum sensum destinatur.
  - Quod reliquum est se extendit mentum versus, officiumque huius est, sensum labro inferiori conferre.
- Vsus ex prædictis explicatur, videlicet ad palpebras constringendas, & sensum ijs attribuendum, similiter ad nasi dilatationem, similiter ad oris, labiorum & dentium motum & sensum confert.

CAPVT V.

De quarta neruorum coniugatione seu pari.

Huius paris seu coniugationis
- Quantitas est tertio minor. Pro hoc vide ZZ. fig. 2. Tab. 8.
- Motus est idem fere cum tertio, vtpote qui descendit cum tertio versus os, nam per quinti ossis maxillæ superioris foramina ad dentes & gingiuas penetrant eius ramuli quatuor, & tunc per palati tunicam permeant anteriora versus: atque alij duo deorsum linguæ radicem versus tendunt. Pro huius situ vide M. fig. 1. & 2. Tab. 8. Et S. fig. 2. & T. & V. & XX.
- Diuisio fit
  - Primum in ramulos 4. qui deorsum feruntur, via supra in eius motu relata.
  - Deinde in ramulos duos alios, qui deorsum descendendo linguæ radicem petunt, (vti dictum est) per cuius tunicam superiorem disseminantur. Pro hac vide R. fig. 2. Tab. 8. Pro eius in linguæ tunicam absumptione vide YY. fig. 2. Tab. 8.
- Vsus præcipuus est, vt sensui gustus inseruiat, & sensum dentibus & gingiuis adferat, vt & par. 7.

CAPVT VI.

De quinto pari.

Hoc
- Oritur à cerebri basi, videlicet lateraliter & circa medietatem eiusdem. Indicatur per M. N. fig. 1. Tab. 6.
- Mouetur per foramen cæcum & in aurium officinam tendit, cumq; ad auris tympanum peruenerit in ramos duos se diuidit, quorum
  - Maior sensui auditus famularis videtur. Vide a. fig. 1. & 2. Tab. 8. & Φ.
  - Minor ad laringem protendit; atque hinc ratio in promptu est cur tacto tympano auris, instrumento ad tussiendum incitetur patiens. Vide a. b. c. d. Tab. 8.
- Vsum seu officium habet præcipuum sensui auditus destinatum.

Caput VII.

De sexto Neruorum pari.

- *Origo est à posteriori basis cerebri parte, & cernendum est hoc par, retro varijs surculis radicibusue: Hoc par indicatur per e. fig. 1. & 2. Tab. 8.*
- *Motus fit à suo fonte, per illud foramen, quod situm est inter occipitium, & os temporale, in eo scilicet loco vbi vena ingularis interna ad caluariam ascendit. Hoc par, per M. N. fig. 1. Tab. 6. indicatur.*
- *Cuius*
  - *Diuisio post descensum fit in ramum*
    - *Dextrum.*
      - *Et quilibet eorum in ramos tres subdiuiditur, quorum vnus est*
        - *Costalis.*
        - *Stomachalis.*
        - *Recurrens, de quo superius suo loco abunde egimus, & dicitur cerui calis. Vide f. fig. 1. & 2. Tab. 8. & g. indicat eius in laringem insertionem.*
    - *Sinistrum.*
- *Vsus est vt sensum & motum deferat ad omnia thoracis & abdominis viscera.*

Caput VIII.

De septimo neruorum pari seu coniugatione.

- *Septimum hoc par*
  - *Originem suam capit versus occiput, vbi varijs refertum est radicibus exiguis. Indicatur hoc per h. figur. 1. & 2. Tab. 8.*
  - *Mouetur à suo fonte ver proprium sibi foramen in occipite situm quod est obliquum, & postquam à caluaria per illud foramen egressum est, versus anteriora inprimis tendit, deinde in ramulos varios distinguitur, qui in linguæ, hyoidis & laringis musculos disseminantur. Horum autem maior sub maxilla inferiori migrat, atque etiam sub lingua, ab eiusdem scilicet radice ad extremitatem vsque percurrit, sensum & motum ei præbens; quemadmodum gustandi facultatem a quarto pari eum hausisse explicatum est. Vnitur autem cum sexto pari, vt per 1. fig. 1. & 2. Tab. 8. & vide l. & m. Ibidem.*
  - *Vtile est ad mouendi & sentiendi facultatem musculis linguæ attribuendam, atque etiam laringis musculis in suo motu & sensu quodammodo conferre videtur.*

Ordo & vsus 7. parium neruorum paucis sic describitur

Optica prima vider, mouet altera, Tertia gustat,
Quartaque quinta audit, sexta vaga, septima linguæ.

Caput IX.

De octauo & nono pari à Vesalio & Columbo inuentis.

COlumbus agnoscere videtur duo alia paria, vltra illa septem, quorum vnum, octauum nempe à Vesalio esse derectum fatetur, aliud videlicet nonum à se ipso prius reuelatum iactitare videtur. Quod autem ad octauum illud attinet, verisimile videtur iuxta Vesalii opinionem esse quinti paris radicem, vel saltem illius surculum: Nonum vero à Columbo inuentum, est (vt ipse testatur) neruorum exilium par, ortum ducens ab illis cerebri processibus qui nates appellantur: mouentur autem versus anteriora, vtpote qui ad faciem tendunt, & prope secundum ac tertium par transire obseruantur, ac tandem in tertium palpebræ musculum inseruntur; Porro etiam ramulus huius ad quintum musculum oculi defertur. Quod vero ad meam hac in re sententiam attinet, puto ego hæc inuenta paria potius esse radices seu surculos ex aliquibus ex 7. parium radicibus scaturientes, quam vt per se talia existerent, præterea istis paribus vtilitas seu officium nullum certum & distinctum assignari potest. Columbus.

TABVLA

TABVLA OCTAVA DVABVS FIGVRIS ORNATA, IN QVA-rum priori cerebri & cerebelli à membranis liberatorum basis demonstratur quo melius neruorum (qui cerebri dicuntur) origo appareat: secunda cerebri cerebelli & neruorum vnicum latus depingitur.

FIG. I. TAB. XIV.



FIG. II.



1.2. A.A. Cerebrum. B.B. Cerebellum.
1.2. C.C. Tubera Cerebri, quæ à quibusdam dicuntur mammillares processus.
1. D. Spinalis medullæ ex Cerebri basi principium.
1.2. E. Spinalis medullæ pars caluariam egressura.
1.2. F.F. Processus mammillares olfactui inseruientes.
1.2. G.G. Nerui visorii.
1. H. Visoriorum coitus.
1.2. I.I. Oculi tunica in quam visorius expanditur.
1.2. K.K. Neruorum secundum par pro motu oculorum.
1.2. L.L. Neruorum tertium par.
1.2. M. Neruorum quartum par.
2. N. Neruorum tertii paris propago ad cutim musculosam frontis.
2. O. Eiusdem propago in narium tunicam.
2. Q. Eiusdem propago in musculum temporalem.
2. R. Nerui quarti paris ramus capreoli instar inuolutus.
2. S. Eiusdem propago ad superiores dentes & gingiuas.
2. T. Eiusdem propago ad maxillam inferiorem.

2.V.Propaginis.T.Ramus ad inferius labrum.
2.X.X Surculi à propagine T in dentium inferiorum radices.
2.Y.Y. Nerui quarti paris in linguæ tunicam absumptio.
2.Z.Z.Neruorum quartum par.
1.2. a.Neruorum quintum par ad auditum conferens.
1.2. φ. Neruus auditorius in cauitatem ossis petrosi expansus.
* Nerui quinti paris pars durior.
1.2. b.Ramulus ex duriori parte quinti paris.
1.2. c.Ramulus ex duriori parte quinti paris inferior.
1.2. d.Neruus ille qui quinto pari à nonnullis ascribitur,sed reuera sunt distincta paria. Vnde & coniugatio octaua dicitur.
1.2. e.Est neruorum par sextum.
2.f. Est ramus sexti ad ceruicem tendens.
2.g.Est ramus eiusdem alter ad laringis musculos destinatos.
1.2. h.Est septimum neruorum par.
i.Est septimi paris cum sexto vnio.
2.l.Propago septimi ad musculos ab appendice styloide pronatos.
2.m A septimo pari ad linguæ hyoidis & laringis musculos.
1.o.p.q.Foramina tria per quorum o.pituita ex tertio ventriculo peluim accedit.p.q.transitus arteriarum carotidarum ad ventriculos.

Pro infimorum paris sexti ramorum diuisione quærere liceat Tabulam. Neruis recurrentibus inseruientem: atque etiam neruorum paria in ea describuntur.

Caput X.

De Cerebello.

Nomen talc habet,vtpote quod est aliud cerebrum,sed cerebro supremo minus.

Substantia est Cerebro durior,vt Galenus vult;at vero experientia nos docet, non magnam esse inter hoc & cerebrum quoad contactum discrepantiam vnitur spinæ medullæ vt in GG.Tab.9. indicatur & H. Pro cerebello tenui membrana inducio vide XX.fig.2.Tab.5.Et RR fig.2.

Quantitatis est duplo illa cerebri maius: quomodo autem appareat in homine recte stante indicat. B.fig.2.Tab.8. vt & fig.1.docet positionem suam vicissim.

Figuram possidet gyris anfractuosis, sed superficialibus repletam, non enim tam profundi sunt gyri huiusmodi, quam illi Cerebri,& hi gyri in duos deinceps processus,albis illis vermibus qui in nucibus auellanis aut ligno putrido procreari solent,similes. Atque hi processus torcularia à nonnullis vocantur à similitudine, quorum

Quod

vsus præcipuus est,vt posteriorem cerebri portionem velut columnis sustentet, ne ab eius mole quartus & vltimus eius ventriculus deprimeretur: Pro torcularari vbi 4.sinuum sunt progressus & pro cerebelli partibus vide B.C.D.Tab.6.fig.1.Processus eius indicant E.fig.1.Tab.6.Pro vasis eius K.L.

Situm habet in infima Caluariæ parte,quæ duobus occipitij fossis circumscribitur.Vide B. D.fig. 1.Tab.6. Pro eius situ.Vide P.Q.R.fig.1.Tab.6.Pro eius dextra & sinistra parte vide A.B.Tab.9.pro eius anteriori & posteriori vide C.D.pro vermiformibus processibus E.& I.K.

Vtile est,vtpote quod iuxta Galeni sententiam est neruorum initium, at vero recentiores negant neruorum exortum esse in Cerebello, sed illum cerebro attribuunt, hocque experientia docti defendere haud erubescunt, vnde quidem occultus videtur esse eius vsus, aut saltem non communiter notus, & non nisi ex mera suppositione coniecturatus, nisi quod sit quasi cerebri puluinar, & basis.

Constellatio est eadem cum Cerebro.

TABV-

TABVLA NONA CEREBELLVM CALVARIA exemptum & ſupinum cum proceſsibus vermiformibus diuiſis depingens.

Obiter lectori notare velim, quod Tabula ſexta deſcribit cerebellum in propria ſua poſitione, quare illa pro cerebelli deſcriptione inprimis eſt conſideranda, atque ſedulo inſpicienda.



In Tab. nona.

A.B. Eſt cerebelli dextra & ſiniſtra pars.
C.D. Medii cerebelli partis anterior & poſterior regio.
E. Proceſſus vermiformis anterior, vt & F. poſterior.
G.G. Locus in quo cerebellum ſpinali medullæ adnaſcitur.
H. Sinus Cerebelli, qui cum ſpinalis medullæ ſinu quartum ventriculum conſtituit.
I.K. Proceſſus vermiformis, anterior ſcilicet I. poſterior K.

Caput XI.

De Nuca dorsi seu spinali medulla.

Spinæ medullæ
- Oritur post caluariam, eiusq; principium est duplex. Videlicet vel
  - Maius quod à Cerebro emanat, & cum ab eo deriuatur est vnicum, & à Cerebri basi scaturire obseruatur, atque huiusmodi eius origo parum à neruorum opticorum origine distare videtur. Quomodo in cranio habet suum initium indicat A. fig. 2. Tab. 10. Et B. fig. 2.
  - Minus quod a Cerebello proficiscitur, estque bifidum, nam in dextrum & sinistrum distinguitur. Vide B.C.D. fig. 1. Tab. 6.
- Substantiam habet eandem cum illa Cerebri, nam spinalis medulla videtur esse nihil aliud, quam cerebri portio in longum per vertebras & os sacrum deducta. Hæc à cerebro diuisa indicatur per A A. fig. 2. Tab. 6. & pro sede vbi adnata est cerebro vide B.C. Ibidem. Inuestitur autem membrana quæ per N.O. indicatur.
- Differt tamen ab ipso cerebro in duobus, nam
  - Cerebrum per Systolen & Diastolen ad instar cordis mouere obseruatur, qui quidem motus spinæ medullæ non attribuitur.
  - Ossa cerebrum continentia sunt immobilia cum vice versa illa spinæ medullæ obseruentur esse mobilia. Diuiditur in portionem cernicalem: Thoraticam, Lumbalem: & ad os sacrum pertinentem.
- Inuolucro duplici fruitur, nam cum
  - Caluariam egreditur à matre tam pia quam dura circundatur. Pro hac sede. Vide P. fig. 2. Tab. 6. Et D.E. fig. 1. & 2. Tab. 8.
  - Per ossa vertebrarum vehitur, aliam membranam induit, ne à duritie ossis læderetur.
- Dimensionem sibi vendicat inæqualem, nam
  - Dum per occipitij foramen in vertebrarum cauitatem egreditur, aliquantulum crassior esse obseruatur quam alibi. Pro eius initio vide F.G.H. fig. 1. Tab. 6. vbi 5. sunt paria cerebro dedicata, de quibus 3.4.5.6.7. fig. 2. Tab. 10.
  - A summo thoracis ad os sacrum vsque est in sua dimensione æqualis.
  - In sacro tantummodo osse exilior existit, & in filamentis transit, quæ iterum in nodos concurrunt. Vide C. & MM. fig. 1. Tab. 10. Pro extremo spinalis medullæ vide H fig. 2. Tab. 10.
- Figuram habet
  - Geometricam triangulo oblongo similem: vide Tab. 10.
  - Essentialem duplicem, nam
    - Ab origine ad extremum vsque thoracem medullosa est.
    - In progressu deorsum a thoracis extremo neruosa magis euadit & funiculorum instar.
- Temperiem eandem possidet cum Cerebro, frigidam videlicet, quamuis in hoc Aristoteli cum cæteris Peripateticis contradicamus, qui inconsulto satis medullam istam calidam esse asseuerauerunt.
- Positionem seu sedem suam in vertebrarum dorsi cauitate post Caluariam incipiendo, & in osse sacro finiendo habere cernitur.
- Connectitur,
  - Cerebro per continuam vnitatem.
  - Ossibus & musculis per neruos.
  - Quarto cerebri ventriculo per quoddam quasi naturale gluten.
- Vtilis est ad neruorum procreationem, qui tum ad motum, tum ad sensum ad reliquas corporis partes deferendum destinantur, ad quas septem prædicta cerebri paria pertingere nequeunt. Atque de huiusmodi neruorum à nuca orientium partibus, capite sequenti mentionem faciemus.

TABVLA X. CVIVS FIGVRA I. VERAM SPINALIS MEDVLlæ effigiem cum suis membranis & neruis ab ea prodeuntibus delineat. Secunda spinæ medullam nudam exprimit.



In fig. 1. A. Est spinalis medullæ principium, immediate à cranio progredientis.
B. Eius in lumborum vertebris crassities.
C. Eius in filamenta diuisio.
D. Septem ceruicis nerui.
à D. ad E. vel à 7. ad 19. dorsi nerui. Ab E. ad F. lumborum nerui.
ab F. ad G. Ossis sacri nerui. H est medullæ finis in filamenta.
I.K.L. Ostenduntur quidam nerui, videlicet quomodo filamentis aliquot à medulla prodeant.
M.M. Nodi ostenduntur qui ex filamentorum coniunctione oriuntur.
N.O. Membranæ medullam inuestientes.
In fig. 2. A. Spinalis medullæ initium in cranio.
3.4.5.6.7. Characteres ostendunt quomodo hæc paria quæ cerebro dedicantur ab ipsa medulla in cranio adhuc existente originem ducant.
B. Ipsius è caluaria egressus. C. Funiculi in quos diuiditur.
D. 7. Ceruicis medullæ & neruorum paria 7.
E. 19. Thoracis medullæ neruorum paria duodecim.
F. 24. Lumborum medullæ, & neruorum paria quinque.
G. 30. Ossis sacri medulla & neruorum paria sex.
H. Spinalis medullæ extremum.

CAPVT

Caput XII.

De Neruorum paribus à ſpinæ medulla deriuatis in genere.

- *Origo eſt à ſpinæ medulla. Pro hac vide A.Tab. 10.fig.1. Immediate circa medullæ finem filamenta exurgunt, de quibus I.LL.fig.1.Tab.8. Deinde nodi oriuntur ex filamentorum concurſu vt M M.*
- *Subſtantia eſt eadem cum illis in cerebro procreatis.*
- *Neruorū dorſi parium*
  - *Diuiſio eſt in paria vertebris attributa, vel*
    - *Cervicis quæ numero ſunt quinque.*
    - *Thoracis quæ numero ſunt vndecim, vt Columbus vult.*
    - *Lumborum, ſuntque numero quinque.*
    - *Oſſis ſacri de quibus infra.*
  - *Vſus eſt, vt ijs muſculis motum & ſenſum aſſerat, qui de numero 7. cerebri neruorum parium participare nequeunt. De illis ergo particulariter ſic agemus.*

Caput XIII.

De particularibus Neruorum à cervicis ſeu colli vertebris ſcaturientium paribus.

- *Horū neruorū ſunt quinq; ſecundū Columbum: licet ab aliis 7. numerātur: vide Tab. 10. fig. 1. D. & D. fig. 2. ſed illorum quinque*
  - *Primi*
    - *Origo, eſt ſpinæ medullæ ſummitas.*
    - *Motus, ſit inter occipitium & primam cervicis vertebram, inter quæ mirum in modum emittitur, ne illud motu capitis læderetur.*
    - *Diuiſio poſt eius egreſſionem ſit in neruulos perexiguos, non eſt enim eius truncus niſi exiguus. Vide F.Tab.11.& G.& H.*
    - *Vſus eſt vt ramuli in illam muſculorum parvulorum ſeriem, capiti famulantium, diſſeminati, ipſorum ſenſui & motui inſeruiant.*
  - *Secundum binis inſignitur principijs, quorum*
    - *Maioris*
      - *Motus eſt per vertebrarum poſteriora, à quo per ſecundæ vertebræ latera hinc illinc tranſfertur.*
      - *Diuiſio poſt eius egreſſum ſit ſtatim in plures ſurculos qui ſurſum feruntur, ad cutem, aures & nonnullos muſculos. Vide I.K.Tab.11.*
      - *Vſus eſt, vt motum & ſenſum paribus, quibus feruntur eius ramuli, præbeat.*
    - *Minoris*
      - *Motus ſit per vertebrarum anteriora, videlicet inter primam & ſecundam vertebram.*
      - *Vſus eſt, vt ad quintum muſculum laringi & Oeſophago communem, diſtribuatur.*
  - *Tertij*
    - *Motus ſit per foramen, ſecundæ & tertiæ vertebræ commune; ab earum ſcilicet lateribus egrediens.*
    - *Diuiſio immediate poſt eius egreſſum ſit in ſurculos quatuor, quorum quilibet iterum in ramulos quamplures ſubdiuiditur qui in partes infra nominatas inſeruntur. Vide L.Tab.11.*
    - *Vſus eſt vt cum ſenſus tum motus gratia ferantur eius ramuli ad*
      - *Nonnullos capitis muſculos.*
      - *Illum oblongum muſculum quadrangularem, qui labrum obliquè deorſum trahit.*
      - *Illum muſculum qui ſcapulam ſurſum vehit.*
      - *Cutem colli.*
  - *Quartum*
    - *Mouetur à ſubſtantia nucæ inter quartam tertiamque vertebram per foramen quoddam vtrisque familiare.*
    - *Diuiditur in ſurculos multos quorum alij*
      - *Deſcendunt.*
      - *Aſcendunt.*
      - *Per poſteriora penetrant.*
    - *Vtilitatem habet variam pro varietate locorum quibus conducuntur eius ramuli, cū eorū*
      - *Alij ad muſculos collo famulantes ferantur, motum & ſenſum iis dantes.*
      - *Alij ad muſculum Cucularem dictum ſe porrigant. Et ex anterioribus nonnulli muſculos ſtomacho ſubſtratos penetrent.*

Quintum

- Quintum
  - Egressionem habet inter quartam & quintam vertebram.
  - Diuiditur multos in neruos quorum alij sunt
    - Anteriores qui sunt magis cõspicui, &
      - Motu suo descendunt ad latus Oesophagi per anteriora colli, descendunt que ad nerueam vsq; septi transuersi partem vbi terminantur.
      - Vsu præcipue dedicantur septo transuerso.
    - Posteriores quorum
      - Alius ramus descendit ad colli latera.
      - Alij tendunt ad humerum.
      - Alij ad quadratum musculum labra oblique deorsum trahentem: atque etiam ad 4. musculum hyoidis.
      - Alij ad scapulæ cauitatem feruntur.

CAPVT XIV.

De Neruorum vertebrarum paribus ad manum conductis.

- Neruorum manus parium
  - Origo est à spinali medulla.
  - Motus fit per communia foramina vertebrarum colli subsequentium & à prima thoracis.
  - Vnio, nam post eorum egressum, ita vniuntur vt ea vix distinguere queamus, sed anatomia exquisita facta in retis cuiusdam specie apparebunt.
  - Numerus est quinarius, sunt enim quinque manus paria.
  - Vsus est ad sensum completum: nam natura quinq; neruorum paria hac emittit: tria videlicet ad extremitatem digitorum, & duo ad extremam vsque manum, vtpote ad cuius membri officium acerrima & acutissima sensus tactus facultas requiritur.

CAPVT XV.

De Neruis à vertebris thoracis scaturientibus.

- Paria à vertebris Thoracis scaturientia
  - Oriuntur à spinali medulla.
  - Diuisionem habent post eorum egressum è vertebrarum foraminibus, nam eos neruos bipartitos cernes, sed non æquali diuisione, cum alter surculus altero maior, aut magis antrorsus vel retrorsus reflecti cernatur.
  - (Horum autem neruorum)
    - Anteriores sub costis progrediuntur, per partem inferiorem.
    - Posteriores ad inferiora tendunt.
  - Numero sunt vndecim. Vide fig. 1. Tab. 10. a. 7. ad 19. vel a. D. ad E. Et E. fig. 2. vbi numerat paria 12.
  - Vtilia sunt ad spiritus animales conducendos ad illos musculos, qui ei sunt adaptati, & quibus septem neruorum cerebri paria nihil beneficij attulerunt.

CAPVT XVI.

De Neruorum è vertebris lumborum scaturientium paribus.

- Huiusmodi neruorum paria
  - Oriuntur à spina medulla vt cætera.
  - Magnitudine maiora sunt illis thoracis. Pro hac vide B. fig. 1. Tab. 10.
  - Numero sunt quinq;. Vide Tab. 10. ab E. ad F. vel à 19. ad 24. Et F. fig. 2. Tab. 10.
  - Egrediuntur per quatuor tantummodo foramina, licet sint quinq; paria; nam inter extremas thoracis vertebras, & primam lumborum, incedit primum neruorum par; vnde & hoc par ad vertebras thoracis referri potest.
  - Diuiduntur in ramulos seu filamenta: Vide C. fig. 1. Tab. 10.
  - Connectuntur inuicem; nam adligatur par
    - Primum secundo.
    - Secundum tertio.
    - Tertium quarto.
    - Quartum quinto.

Mouentur diuersimode, nã
- Primum egreditur per foramen commune quod est inter vertebram 12. & lumborum primam, & tum transit sub Peritonæo, Et tum finditur in binos ramos, quorum vnus est maior, alter minor.
- Secundum exit inter primam & secundam lumborum vertebram & sub peritonæo progreditur.
- Tertium emergit inter secundam & tertiam vertebram & sub peritonæo fertur.
- Quartum inter tertiam & quartam vertebram lumborum exurgit. estque hic neruus omnium lumbalium maximus.
- Quintum inter quartam vertebram & quintam elicitur, migratq; sub peritonæo versus anteriora.

Primum in ramos binos post egressum finditur, quorum
- Maior est origo septi transuersi in quo ramulos primum producit, Transit etiam ad musculum lumbalem & ad illos abdominis.
- Minor ad musculos dorsi migrat, & sensum ac motum ijs dat.

Vtilia sunt ad sensum & motum partibus ijs destinatis afferendum, nam
- Secundum primis fœmoris musculis, & tibiæ sexto motum & sensum dat atque alius huius ramus hoc idem præstat sexto fœmoris musculo, alius eius ramulus vasa seminaria comitatur.
- Tertium dat vim sensitiuam & motiuam musculis dorsalibus.
- Quartum respicit quintum fœmoris musculum, & rami ab eo scaturientes tam peni quam scroto conferunt, sed superficiales & cutanei sunt hi, neque profunde penetrant, porro alij eius rami ad anteriores distribuuntur musculos, qui partim tibiæ & partim fœmori inseruiunt.
- Quintum porrigitur ad nonum & decimum musculum fœmoris, atque alij eius rami ad 7. & 8. musculum eiusdem: atque alii ad penem, alii ad vesicam extenduntur atque etiam ad vterum in mulieribus. Altera huius nerui pars reflectitur post musculos dorsales & ad cutem.

CAPVT XV.

De Neruis ab osse sacro scaturientibus, ex quorum vnione princeps pedis neruus oritur.

- Origo est medulla ossis sacri intima.
- Egressus fit inter vltimas lumborum vertebras, & ossis sacri summitatem, atque etiam à primo, secundo, & tertio ossis sacri foramine.
- Vnio ex quatuor fit, vt primum principia exierunt dictorum foraminum simul in vnicum neruum vniuntur, & constituunt maximum totius corporis neruum.
- Numerus antequam in vnum concurrant est quaternarius. Porro è posteriori ossis sacri parte nerui parui & breues oriuntur, qui ad musculos dorsales, ad nates & ad exteriorem cutem porriguntur. Sunt ergo in toto sex de quibus vide G. fig. 2. Tab. 10.
- Motus à dictis foraminibus post eorum vnionem fit, sub peritonæo ab interna abdominis parte, ad externum clunes versus, transitq; neruus hic, multorum concretione ortus, inter coxendicem & Coccygem supra 4. musculum illum à quo femur circumagitur ibiq; diuiditur, vt infra dicetur.

Horum neruorum

Diuisio post eius ad femur descensum in surculos varios
- Alios ad tres musculos à coxindice exortos, quorum officium est tibiam flectere.
- Alios ad octauum musculum Liuidum dictum.
- Denique directe pergit per posteriora femoris inter 4. & 5. tibiæ musculum, vbi duos insignes ramos inæquales emittit, quorum
  - Maior posteriorem tibiæ partem occupat, ramulosq; sub flexura genu mittit ad primos musculos extremi pedis. Sed prius in alios neruos subdiuiditur, quorũ ramus vnus tẽdit sub duob. primi pedis musculis, alter emittit surculos ad quartum musculum, qui inter posteriores tibiæ musculos maior existit.
  - Minor anteriorem possidet, à quo neruulus exoritur, qui musculo subpoplite latitante affigitur, atque etiam alium porrigit in tertium musculum ab exteriori femoris capite exortum.

- Vsus est dictis musculis quibus adaptantur motum & sensum afferre.

Neruorum

- *Neruorum tam à cerebro quam nuca morbi ſunt*
  - *Spaſmus ſeu conuulſio*
    - *Ex*
      - *Inanitione.*
      - *Repletione.*
    - *Per colligantiam.*
    - *Qui ſinguli ſunt*
      - *Epithoſtinus.*
      - *Prothoſtinus.*
      - *Orthoſtinus.*
  - *Paralyſis.*
  - *Tetanus. Tenſio.*
  - *Tortura oris.*
  - *Tremor.*
  - *Stupor.*
  - *Saltus. Iactitatio. Palpitatio.*

TABVLA XI. EXPLICANS SPINÆ VERTEBRAS ATQVE neruos inde ſecundum exteriorem eorum faciem prodeuntes: qua etiam quæ ſuperius ſunt dicta, luculentius explicantur.



A. Spinalis medulla vertebras ſubiens. B.C. Ceruicis vertebræ 7.
Inter C.& D. duodecim Thoracis vertebræ indicantur.
Inter D. & E. ſunt quinque lumborum vertebræ.
E. Eſt os ſacrum. F. Eſt primi paris neruorum poſterior propago.
G. Eſt illius paris in muſculos capitis diſtributio.
H. Eſt primi paris anterior propago.
I. Eſt ſecundi paris poſterioris propagimis ſurſum diſtributi ramus tenuior, K. eſt craſſior.
L. Eſt coitus tertii paris rami cum ſecundi paris ramo K.

Pro expoſitione reliquarum literarum vide Tabulæ XVI. lib. III. explicationem Caſparis Bauhini, quæ explicatur pag. 100. appendicis ſuæ, ſed & nos hæc omnia viuacius ſequenti neruorum explicatione explicabimus.

TABVLA XII.

Hic sequitur Catoptrum seu speculum vniuersale neruorum tam cerebri quam spinalis medullæ extra ossa ipsis propria egredientium demonstratio tam per numeros quam per literas, quibus quæ superius descripta sunt, lucidius explicantur.

1. *Filum primi rami tertiæ cerebri coniugationis ad frontem & palpebras tendens.*
2. *Filum rami secundi eiusdem paris ad nares & labia descendens.*
3. *Foramen per quod nerui sextæ coniugationis egrediuntur, & deorsum ad thoracem & viscera tendunt, ex quibus recurrentes fiunt.*
4. *Tertij rami tertiæ coniugationis portio, in mandibulam inferiorem inserta. Vnde egreditur per foramen descriptum in mandibula in manu detenta vt facilius tibi demonstraretur.*
5. *Surculi rami sextæ coniugationis ad latus dextrum vergentis, facto recurrente progressus.*
6. *Residuum nerui sextæ coniugationis, in loco secundæ lumborum vertebræ apparens, quousque redit ad mediastinum.*
7. *Recursus nerui sextæ coniugationis qui fit circa quartam costam veram.*
8. *Altera annotatio recursus dicti nerui versus latus sinistrum.*

A. Est prima neruorum coniunctio, à tertia, quarta, quinta colli vertebris prouenientium, atque etiam prima dorsi, quæ quidem coniunctio tum postea in duos magnos ramos diuiditur, quorum qui altior est comprehendit neruos tertiæ & quartæ vertebræ colli, qui vero iunior est, vnit & coniungit ramos à quinta & sexta colli vertebris atque etiam à prima dorsi scaturientes; Ex hac nihilominus demonstratione videre licet, quod hi duo rami in fine iterum vniantur.

B. Ramus qui Surculorum è colli vertebris & prima dorsi scaturientium confusionem facit, atque hic in longum per brachii dimensionem tendit, deinde se diuidit & separat diuersimode per musculorum substantiam.

C. Est alter ramus generatus ex dictorum ramulorum confusione, qui in partes duas inæquales se diuidit, quarum minor per substantiam musculorum posterioris brachii portionis disseminatur & finitur; maior transit ad brachii interiora, & cum dictæ partis musculis disseminatur; & descendit vsque ad pugnum, & tum postea ad duos digitos quibus ramulos mittit, videlicet pollici, indici, & medio.

D. Est tertius ramus qui prædictum ramum associare videtur in suo motu, & vergit magis ad partem brachii inferiorem, & cum musculis interioribus se miscet, quousque ad pugnum proueniat, vbi se diuidit in duas portiones, quarum minor transit ad extremitates digitorum, videlicet medii, indicis & minimi, sub signo K. ac tum ramuli nonnulli eius ad manus portionem exteriorem migrant, cui sensum dant.

E. Est quartus ramus dictæ Ceruicis coniugationis, qui transit per brachii internum secundum motum venæ internæ, quam Basilicam vocant; Hic lateraliter in motu suo proiicit ramos ad musculos interpos; ac tandem ad pugnum prouenit, vbi cum prædictis occurrit sub illo ligamento, quod in extremitate pugni, & circa locum pulsus se diuidit in sex ramulos qui mouentur ad locos in effigie vel exemplari assignatos.

F. Est quintus ramus illius productionis, qui musculis brachii distribuitur, sed hic vix ad pugnum se extendit.

G. Est sextus ramus eiusdem, qui transit cum superioribus ad exteriorem partem brachii, vbi musculos hanc ad partem pertinentes sensu & motu ornat, vtpote qui cuilibet eorum ramulum impertire gestit, similiter ad cutem & pinguedinem huius plagæ progreditur. Huius longitudo non excedit dimidium brachii.

H. In palma manus videtur quarta particula tertii rami, vbi cum sexta se miscet.

I. Portiones nonnullæ exiles neruorum extra loca sua dispositæ, vt non impedirent demonstrationes illorum neruorum, qui à vertebris colli suam habent originem, & principaliter vertebræ septimæ ad Diaphragma vsque extenduntur.

K. Neruus sextæ coniugationis nucæ colli ad latera transiens, per pelliculam cordis, vt ad Diaphragma perueniat.

L. Nerui vertebrarum dorsi prouenientes ad musculos, qui sunt inter costas, & præcipue interiores, & hi transeuntes super costas petueniunt ad sternum.

M. Nerui scaturientes à decima dorsi vertebra iuxta Diaphragma, qui tandem musculis rectis & obliquis descendentibus abdominis inseruntur.

N. Nerui

N. Nerui duodecimæ dorsi vertebræ, qui valde sunt breues seu curti, qui feruntur ad superiorem partem musculorum transuersalium ventris inferioris, & continuantur ad musculos post lumbos.

O. Neruos denotant primarum lumborum vertebrarum ——— per musculum abdominis transuersalem transeuntes, partibusque dictis membris adiacentibus dedicantur, ita vt hi pinguedine istius plagæ imbuantur.

P. Nerui sunt secundæ lumborum vertebræ, qui valde sunt magni & longi; nam à quolibet latere ad crura vsque se porrigunt, & de illis ascendunt ad musculos illos abdominis, qui dicuntur oblique ascendentes.

Q. Est neruorum eorum confusio seu permixtio, qui à tertia, quarta & quinta vertebra lumborum egrediuntur, atque etiam ab iis qui ab osse sacro oriuntur. Transitque hæc neruorum mixtio cum suis ramis ad coxendicis musculos, similiter ad vesicam, matricem & anum, partibus interioribus iis vicinis. Porro etiam alius ramus ad crura, tibias, & ad membranas musculorum, & ad cutem.

R. Est diuisio quorum rami ad musculos anteriores cruris transportantur.

S. Confusio neruorum qui non nisi vnicus videntur, sed tamen quamuis reuera sunt plures communi membrana obducti. Hæc confusio se diuidit in ramos plures, quorum alii notantur per figuras O.R. emittuntur ad musculos suæ regionis ad cutem vsque, ita vt nihil in toto crure, tibia, aut pede ad extremos vsque digitos sensu deficere queat, ratione præsentiæ istius nerui confusi seu potius compositi.

T. Ramuli producti à nerio siue pari, qui conducunt ad pudenda.

V. Extremitates diuisionis declaratæ litera. R. quæ apparet versus cruris medietatem.

X. Modus per quem nerui commixtionis supra dictæ, emittuntur tam ad collum pedis, quam ad digitorum eiusdem extremitatem, atque etiam ad vniuersam cutem illius membri.

SPECVLI PRÆDICTI IMAGO.



DE O-

De

OCVLI ANATOMIA.

CAPVT I.

De Oculo in genere.

Oculus
- Dignitate præditus est immensa, vtpote qui organum existit maximo creatoris artificio ac sapientia creatum, Nec quidem in corpore humano est quicquam duo cæli luminaria magna præ se ferens, quam bini oculi, quippe quorum dexter soli, & sinister lunæ haud inepte comparatur.
- Originem suam ducit à Cerebro.
- Compositionem habet ex partibus
  - Essentialibus duplicis naturæ, videlicet ex
    - Tunicis sex.
    - Humoribus tribus.
  - Orbi suo extrinsecus affixis, nempe,
    - Caruncula. Vide r. fig. 7. & 8. Tab. 13.
    - Musculis. 7.
    - Neruis, vide S. fig. 6. Tab. 13.
    - Venulis.
    - Arteriolis.
    - Glandulis.
    - Pinguedine circumquaq; affusa. Vide T. fig. 6. Tab. 13.
- Figuram sibi vendicat exacte sphæricam, in qua ab illo cæterorum animalium differt, qui à circuli legibus quodammodo discrepare videntur, Pro oculi tunica in quam visorius radius expanditur, vide I I. Tab. 8. fig. 1. 2.
- Situm suum habet in sede satis tuta; nam in duabus maxillæ superioris cauitatibus bene vndique munitis disponitur: Porro in eminentiori corporis loco eleuantur oculi, vt instar ciuitatis bene gubernatæ custodum & speculatorum fidelium loco existant, quorum excelsiorem arcis seu turris speculatoriæ locum ex officio sibi vendicare, quo longius possint prospicere. Pro situ vide A. & B. & C. fig. 1. Tab. 13.
- Munitur
  - Supra ab osse frontis, & supercilijs. Vide A. fig. 1. Tab. 13.
  - Infra cum
    - Osse
      - Primum maxillæ superioris. Vide B. fig. 1. Tab. 13.
      - Secundum malas.
      - Deniq; illo iugali. Vt per c. fig. 1. Tab. 13.
    - Naribus. Vide D. fig. 1. Tab. 13.
    - Palpebris cartilagineis. Vide FF. fig. 1. Tab. 13.
    - Musculis palpebras constringentibus.
- Vtilis est ad obiectorum visibilium facultatem homini attribuendam, mediantibus visiuis spiritibus per neruos opticos à cerebro delatis.

TABVLA XIII. EXPRIMENS GENERALEM OCVLI DISPOSITIONEM quæ in 8. figuras diuiditur quarum prima Oculum integrum cum ossibus, palpebris & ciliis repræsentat. Secunda Palpebræ excoriatæ effigiem denotat. Fig. 3. & 4. musculos palpebrarum designat. 5. palpebras separatas & inuersas. Fig. 6. & 7. oculi integri cum musculis è caluaria extracti & à palpebris liberi speciem exhibet. Fig. 8. oculi globi anteriorem effigiem exprimit.



1. A. Frontis est os.
   B. Est maxillæ superioris os.
1. C. Est os iugale.
1. D. Est nasus.
1.3. E. Est palpebra superior.
   F. Palpebra inferior.
1. a.a. Tarsi, b.b. pili palpebrarum.
1.6. c. Canthus maior, d. Canthus minor.
1.5.6.7.8. e. Membrana adnata dicta quæ in 6.7.8. est membranis interexta.
7.8. f. Est Iris.
1.2. g. Est cauum superioris palpebræ & in 7. & 8. pupilla.
1.2. h. Subcauum in inferiori palpebra.
4.7.8. m.n. Foramina duo in angulo maiore.
7. o. Nerus opticus.
7. p.q. Meninx tenuis. P. crassa, q. opticum inuestientes.
7.8. r. Caruncula in angulo interno.
   G. Palpebrarum Cartilagines.
2. H.H. Palpebræ musculi orbiculares excoriatæ.
2. I. Cornea tunica Iridem & pupillam continens.
3.4. K. Palpebræ orbicularis musculus sursum positus, at in 4. tota palpebra ambiens præponitur.

3.4.M.

3.4. M.Palpebræ rectus musculus seorsim positus.
5. N.Palpebræ exterior pars.
5. o.o.o.Palpebræ concaua & interior facies.
6. p.Ossis sphæneidis portio interna per quam neruus opticus transit.
6. Q.Q.Crassæ meningis portio.
6. R.Neruorum opticorum concursus.
6. S.Neruus oculi motorius.
6. T.Adeps inter musculos.
6.7.8. V.Adnatæ tunicæ pars palpebris subtensa.
6. V.Membranæ à Pericranio ad tarsum.
7. V.Musculi oculorum vnius lateris.

CAPVT II.

De Musculis oculo inseruientibus.

Componuntur ex:
- *Vasis per crassam membranam depressis. De quibus h.fig.2.& 3.Tab.15.*
- *Neruis; nam secundum neruorum coniugium in eos distribuuntur. Vide S.fig.6.Tab.13. Pro neruis oculorum motoriis vide cccc. Tab.14.fig.3.& 4.*
- *Carne propria, & partibus musculis propria. Vide T.fig.7.Tab.13.*
- *Pinguedine ijs adnata, nam reuera pinguedo huiusmodi inter hos musculos & oculum, atque etiam neruum opticum in quantitate haud exigua inuenitur, quod quidem ideo à natura ordinatum fertur, vt oculus assiduo suo motu non exsiccaretur & exsiccando tabesceret. Vide T.fig.6.Tab.13. Pro adipe intermusculos vide n.n.fig.1.Tab.15. & o.*

Musculi oculorum

Numero sunt secundum:
- *Antiquos non nisi quatuor.*
- *Recentiores inter quos:*
  - *Columbus agnoscere videtur non nisi 5. quorum quintus ab ipso inuentus esse (illo ipso sic iactitante) dicitur.*
  - *Eauhinus sex musculos numerat agnoscitque in quadrupedibus cæteris præter simiam 7. atque simiæ & hominis oculo sex tantum musculos ascribit. Pro his simul vide x.fig.5.Tab.14.& fig.3.& 4.*
  - *Vesalius & Gal. videntur 7. statuere:*
    - *Vnus est supernus cuius officium volunt esse oculos sursum attollere estq; rectus. Vide E.fig.2.3.4.Tab.14.& δ.ε. & vide D.fig.1.3.4.Tab.14.& δ.ε. fig.5.*
    - *Alter infernus deorsum oculum ducens vel trahens, & hic etiam est rectus. Vide F.Tab.14.& δ.ε. & E.fig.2.3.4.Tab.14.& δ.ε.fig.5.*
    - *Duo laterales quorum vnus oculum intus versus nasum, alter eũ extra versus aures adducit. Suntq; recti. vide F.G.fig.1.2.3.4.Tab.14.& ●b.fig.1.2. Et pro rectis duobus ad latus vide ζ.η. fig.5.*
    - *Duo positione obliqui oculum circum rotant. Vide H.I.fig.1.2.3.4.Tab.14. Et ϑ fig.5.*
    - *Vnus magnus circa oculorum radicem, neruum opticum constringens, & hic oculum sursum attollit. Vide K.fig.1.3.& λ.fig.5.*

Secundum positionem naturalem depinguntur per yyy fig.7.Tab.13.& r.r.fig.1.Tab.15.

Error fortasse Vesalio & Galeno hinc ortus erat, quod magis in oculi bestiarum Anatomia versati fuerunt quam in illa viri.

Mouentur motu duplici, quorum:
- *Vnus intro & extrorsum ducitur.*
- *Alter sursum & deorsum agitatur.*
- *Tertius est mediante quo circum agitatur.*

TABVLA XIV. DE OCVLI MVSCVLIS, QVÆ QVINQVE figuris insignitur in quarum

Prima, musculi oculi in sua sede explicantur.
Secunda ostendit oculum sursum revolutum, quo alij musculi conspiciantur.
Tertia & quarta musculos oculi separatos cum suis neruis exhibet.
Quinta repræsentat oculum bouis, cum musculis suis separatis.

TAB. XXI LIB. III.

FIG. I.



FIG. II.



FIG. III.

FIG. IV.

FIG. V.

A. Palpebra. B. Tarsus.
C. Palpebram attollens musculus.
1.3.4. D. Musculus oculi rectus superior, in 3. & 4. cum neruo.
2.3.4. E. Musculus oculi rectus inferior in 3. & 4. cum neruo.
1.2.3.4. F. Musculus oculi rectus externus.
1.2.3.4. G. Musculus oculi rectus internus.
1.2.3.4. H. Musculus obliquus superior seu troclea, cuius tendo est a. troclea vero est b.
2.3.4. I. Musculus oculi obliquus inferior.
1.3. K. Est neruus opticus.
1.2. a. Musculi obliqui superioris tendo.
1.2. b. Troclea dicta, cartilago exigua per quam tendo hic transit, & in 3. & 4. ab osse reuulsa.
3.4. cccccc. Sunt nerui oculorum motorii.
5. α.β. Palpebræ musculus secundus in oculi cauitate latens, cuius latus tendo β. in palpebram inseritur.
5. δ.ε. Musculi duo recti oculum sursum deorsumque trahentes.
5. ζ.η. Recti duo ad latus dextrum & sinistrum mouentes.
θ. B. Obliqui duo leuiter circumagentes.
5. κ. Musculus 7. qui in plures diuidi potest.
5. λ. Neruus opticus.

CAPVT

Caput III.

De Glandulis Oculi.

Harum
- Substantia est mollis, vt illæ Pancreæ.
- Numerus est binarius, nam
  - Vna superius disponitur.
  - Altera inferius situm suum habet.
- Vtilitas seu officium est illarum lachrymarum stillas continere, quas misericordia aut tristitia ducti extorquere solent.
- Porro etiam à natura ordinantur ad oculorum tutelam.

Caput IV.

In quo sex oculi tunicæ seu membranæ tractantur.

Prima oculi membrana, seu tunica, seu pellicula, seu inuolucrum.

Primæ oculi tunicæ
- Nomen est { Aduata. / Alba. / Adhærens. / Coniuncta. } Tunica.
- Origo est à pericranio.
- Substantia est subtilis & tenuis.
- Color est candidus.
- Positio in maiorem Iridis circulum desinit. Vide e. fig. 2.5.6.7. & 8. Tab. 13. Et V. fig. 6.7.8. Et d. fig. 1. Tab. 15.
- Vsus est, totum oculum extrinsecus velare atque cooperire.

Secunda oculi tunica.

Secundæ
- Inuentor erat Columbus, vti ipse iactitare videtur.
- Nomen ab inuentore nullum adhuc accepit, vnde innominabilis est.
- Ortus à nerueis musculorum oculi tenuitatibus prouenire animaduertitur.
- Terminus sub membrana adnata prope iridem inuenitur.
- Vtilitas & officium ab ipso inuentore ignorari videtur, vtpote qui nullam de eo mentionem facit.

Tertia oculi tunica.

Tertiæ tunicæ
- Nomen est cornea ab eiusdem similitudine, quæ scilicet bouis cornua tam in substantiæ suæ perspicuitate, quam colore exprimit.
- Origo est à crassa meninge seu dura matre.
- Substantia est magis solida cæteris, dura & crassa, quo scilicet, cum sit rebus externis proxima, externis iniuriis melius resistere queat.
- Diuisio est in partem suam
  - Anteriorem, quam propriè corneam vocant, quippe quæ instar cornu pellucet. Pro hac vide m. fig. 1. Tab. 15.
  - Posteriorem quam Sclroticam nuncupant. Hæc portio indicatur per d. fig. 8. Tab. 15.
- Quantitas omnes oculi humores, atque etiam cæteras membranas includit. Porro etiam tenuior est eius portio anterior posteriori, quæ est crassa magis atque solida: Vnde & diaphana à Natura ideo ordinatur, qui arecte in eius medietate pupilla sita est.
- Figura est periferica, & in eius cauitate humores tres atque etiam alia oculi inuolucra comprehenduntur: Pro cornea reuoluta seu remota vide K. fig. 6. Tab. 15.
- Situs est circa iridem & pupillam: Vide I. fig. 2. Tab. 13. & vide e. fig. 1. Tab. 15.
- Color est nullius efficaciæ, quatenus est perspicua & transparens: atque ita ordinata est hæc tunica, videlicet vt nullius plane sit coloris, vt hoc modo omnium colorum obiecta & colorata melius reciperet.
- Vsus est ad huius inuolucri effigiem rotundam oculi integri substantiam perficiendam: Porro etiam oculum sistit, & eum circunducit: atque etiam tuni neruum opticum, tum ipsum oculum inuestit.

Quarta oculi tunica.

Quartæ tunicæ
- Nomen est: Ragoides. / Vuea ob eius similitudinem ad vuæ granum. / Chorion hoc est secundina & choriformis.
- Ortus procedit à tenui cerebri mtninge, hoc est à pia matre. Vide pro eius figura, P. fig. 17. Tab. 15.
- Situs & motus est huiusmodi:
  - Primum neruum opticum inuestit.
  - Deinde sub cornea dilatatur, & versus partem anteriorem se extendit. Quomodo vuea imprimatur, qua à cornea recedat indicat m.m. fig. 4. & 5. Tab. 15.
  - Denique oculum integrum interiorem circumambit, præterquam in ea sola parte sua anteriori, vbi orbiculariter perforatur, ac illud quidem foramen pupillam oculi vocamus, à qua iterum ad iridis initium reflectitur, ibique efficitur duplex. Pro huius situ vide f. fig. 1. Tab. 15. Describitur autem per i. fig. 3. & 6. Tab. 15. Et sedes qua vuea in aqueo natat indicatur per α. fig. 10. & 16. Tab. 15.
- Color est varius, nam in ea est magna colorum varietas, si enim inest
  - Niger.
  - Punaceus.
  - Cæruleus.
  - Rubicundus.
  - Viridis etiam à nonnullis ei attribuitur, licet Bauhinus illum cum colore cianeo bouis oculo non hominis dare videatur.
  - Notandum autem est quod vuea tunica non sit in omnibus eiusdem coloris, quoniam in vno est nigrior in alio candida magis, in alio cærulea aut varia apparet.
- Connectio fit per filamenta seu fibras ad corneam. Vide LL. fig. 3. & 4. Tab. 15.
- Vsus est varius, nã
  - Coloris varietate oculi defessi, simul atque spiritus eorum recreantur.
  - Vasis suis subtilibus spiritus vitales per oculum vndiq; disseminantur.
  - Et obseruandum est quod penes vitreum humorem natura vueam præcipue ideo collocarit, vt alimentum ad ipsum deferret.

Quinta oculi tunica.

Quintæ tunicæ
- Nomen est: Amphiblistroides. / Retina. / Retiformis. — Tunica.
- Ortus derivatur à nerui optici substantia.
- Substantia non est reuera membrana, sed res mollis & alba. Hæc conglobata indicatur per e. fig. 8. Tab. 15.
- Color est albus, vtpote quæ est Cerebri substantiæ simillima.
- Situs est talis, vt humorem vitreum circumambiat, & intus magis quàm extra iaceat, ac tum vlterius versus oculi centrum se porrigat. Pro hac tunica vide g. fig. 1. Tab. 15.
- Vsus est humorem vitreum nutrire.

Sexta oculi tunica.

Sexta tunicæ
- Nomen
  - Græcum est ἀραχνοειδὴς.
  - Latinum est Aranea, vtpote quæ telæ araneæ est simillima.
- Origo à tenui meninge ducitur.
- Substantia est tenuissima & transparens.
- Figura est instar telæ Araneæ, seu pelliculis illis simillima, quæ inter ceparum Conualla inueniuntur, Anterior vero eius pars est orbicularis, vndiquè radijs directis pilorum instar aspersa, diciturque hæc radiorum concursus ciliares processus, Pro hac vide KK. fig. 1. Tab. 15. Et o.o. fig. 7. & p. fig. 17. Tab. 15.
- Situ seu amplexu humor tam vitreus quam Chrystallinus comprehenduntur.
- Vsus est, vt humores duos prædictos diuidat ab aqueo, eosque à confusione defendat.

CAPVT

Caput V.

De Iride.

Cuius
- *Nomen ab eius ad iridem cæleſtem ſimilitudine deriuatum eſt.*
- *Origo ab Vueæ tunica concoloratione emanat.*
- *Exiſtentia eſt circulus in oculo pupillam ambiens, varijs coloribus imbutus, quos colores ab vuea membrana deriuari diximus. Pro hac vide f. fig. 7. & 8. Tab. 13. Indicatur per f. fig. 2. & 3. Tab. 15.*
- *Vſus eſt pupillam vndique circumſepire, aſpectusq; radios tam extra quam intra miſſos ſecundum obiecti coloratione coloribus obiecto conuenientibus decorare.*

Caput VI.

De pupilla Oculi.

Nominatur pupilla à rotunditate ſua.

Oritur ab vuea tunica, vtpote quæ format & effingit eam tam ſuis coloribus, quam ambitu ſuæ ſubſtantiæ orbicularj.

Colorem habet
- *In apparitione pernigrum propter pyramidis viſualis conum, qui eſt in profundo oculi, videlicet in humoris Chriſtallini centro, atque propter colorum vueæ tunicæ reflexum in eam.*
- *Reuera dicolorem cum nec ipſa nec quicquam ſub ea nigrum apparcat, quoniam tranſparens eſt, ſed ideo hæc propter colores vueæ membranæ (vnde & hæc nihil aliud quam vueæ membranæ perforatio eſt) reflexione obumbratur, vt ſpecies viſibiles in ea, ſeu eius centro, ſeu cono (qui eſt in Chriſtallini centro) recipiantur.*

Oculi pupilla
- *Situm ſeu poſitionem ſuam habet in anterioris oculi partis centro vbi locum poli Arctici habet, Quod autem in medio vueæ membranæ ſita ſit pupilla hæc triplex nos inſtruit ratio, quarum*
  - *Prima, quæ eſt quia colore vueæ tunicæ viridi ſeu punaceo (vtpote qui ſunt medium inter colores extremos) confortat ſpiritum viſiuum.*
  - *Secunda, quoniam ſi vuea membrana cum ſuis coloribus medijs non eſſet, ſpiritus viſiuus à lumine exteriori facillime diſſolueretur. A natura ergo ſagaciter obſeruatum eſt, vt hoc vueæ tunicæ foramen pupilla dictitatum, in ſede directe humori Chriſtallino oppoſita collocaretur. Sed & hoc in eo arguitur, quod quo magis à natura dilatatur hoc foramen, eo magis impediatur videndi facultas, & conſequenter quo magis hoc in menſura naturali conſtringatur, eo magis ad videndi officium conferat.*
  - *Tertia eſt quod omnes rei viſæ ſpecies ab oculo ad obiectum in forma pyramidali emittantur, cuius baſis eſt in obiecto viſo, conus vero ſeu punctus per pupillam penetrans in humoris Chriſtallini centro deſinit, ſequitur ergo quod hoc foramen ſit ſtrictum non aliter quam pyramidis coni initium debet eſſe, qui immediate in vnitate angulari terminatur. Situm eius denotat g. fig. 7. & 8. Tab. 13.*

Pro eius ſitu vide g. fig. 2. & 3. Tab. 15. Et n. fig. 4. 6. 7.

Vtilitatem habet præcipuam, vt mediante ea videamus: Nam foramen hoc per vueæ tunicæ partem anteriorem factum eſt, vbi cornea eſt magis pellucida, ne vueæ vmbra & ſpiſſitudo ſpecierum viſibilium ad humoris Chriſtallini centrum tranſitum impediret.

Obiter de Oculi Cataracta, Hypochyma ſeu ſuffuſione.

DE oculi Cataracta ſeu ſuffuſione verba pauca hoc in loco facere haud impertinens exiſtimamus, quippe qui morbus cum ſit operationis oculi ſeu ſenſus viſus præcipuum impedimentum, & ante pupillæ faciem in humore vitreo procreatum, eiuſdem tum cauſæ tum ſedis, tum etiam & curandi rationem hoc in loco enucleare nobis quidem haud inconſulte propoſitum habemus.

Morbi huius
- Nomen est
  - Cataracta.
  - Suffusio.
  - Hypochima.
- Origo est primùm in ventriculo, à quo sursum tendit huiusmodi vapor, ad cerebrum, à cerebro vero tanquam à fonte proximo ad interstitium illud quod est inter pupillam & humorem vitreum.
- Substantia in principio est vapor ad spissitudinem tendens, in fine vapor hic in aquam spissam & minimè pellucidam condensatur.
- Sedes est in directo pupillæ, videlicet inter pupillam & christallinum humorem, hoc est in humore aqueo seu albugineo, atque hic fit quod radiorum visibilium receptionem sua spissitudine impediat.
- Diuisio est, in cataractam vel
  - Non confirmatam estque eius substantia nihil aliud quam vapor vel tenuior vel spissior, qui est
    - Mobilis & gratia mobilitatis & motus sui species varias repræsentat; atq; hinc est quod indicet motiua virtus, quod species quandoq; vel instar muscarum vel formicarum, vel cimicum vel huiusmodi aliarum rerum ante visum appareant.
    - Per se coloratus, vnde & in Christallinum proprium suum colorem imprimit, atq; ita fallit, cum non sit satis densa, & in completa sua spissitudine omnimodo videndi facultatem tollit.
  - Confirmatam, quæ fit per reductionem vaporis illius in aquã opacam & densam & huiusmodi cataracta
    - Vniuersam tegit pupillam atque hæc visum omnimodo tollit.
    - Partem solũmodo pupillæ occupat videlicet eius
      - Latera seu marginem circularem, atq; huiusmodi humor sic dispositus facit rem visam magis exiguum apparere quam reuera est.
      - Medietatem, atq; in hoc casu res visa apparebit quasi perforata, nam obiecti portio media quæ videri non potest, foramen obscurum imaginabitur.
- Nocumentum seu effectus naturæ contrarius est specierum externarum per pupillam receptionem impedire.
- Curatio fieri assolet vel per
  - Repressionem humoris, hoc est detrusionem illius magis deorsum, quæ fit mediante acu quãdam artificiosa, per corneam tunicam obliquo transitu in humorem satis profunde immersa, & eo vsque exporrecta, quo directe contra pupillam pertingat. Tunc ad locum Cataractæ ducatur instrumenti acies, qua humor ille præternaturalis deorsum magis detrudatur, maculaq; integra in imum humoris naturalis submergatur, hocq; magis lateraliter à pupillæ ad humorem Christallinum directionem.
  - Extractionem illius humoris seu potius vaporis peccantis, quæ etiam simili manuali operatione præcedente perficitur, sed antequam extrahi potest, necesse est, vt totus humor albugineus subtiliter & magno ingenio exhauriatur, quod quidem instrumento allegato antea præstari solet, sed notandum est, quod in hoc conatu requiritur, vt vapor non sit in humorem confirmatus; nam impossibile est, vt humor densus per tale foramen elici queat.

CAPVT VII.

De tribus oculi humoribus.

HVmores in oculo tres ab inuicem substantia, colore, & dispositione discrepantes obseruare fas est, mediantibus quibus visio fit naturalis, & sine quibus sensus visus perficiendus non est. Imo vero læso vel male dispositio aliquo istorum, & impedietur videndi potestas. Necesse ergo est vt tam proportione Naturæ in oculo disponantur, (videlicet vt Christallinus medium possideat, Aqueus partem anteriorem, vt vitreus posteriorem) quam in substantiis suis sani & bene dispositi sint: Ordo autem eorum ab anteriori incipiendo est huiusmodi.

Humor oculi primus seu anterior.

- Dicitur { Aqueus. / Albugineus. } à similitudine ad aquam seu albumen ouorum.
- Subſtantiam habet cæteris tenuiorem.
- Quantitate eſt admodum exiguus reſpectu reliquorum ſequentium. Hinc amplitudo indicatur per y. fig. 10. 15. & 19. Tab. 15.
- Multiplicatur à fonte alieno, nam obſeruatione collectum eſt, quod, ſi aut vulnere, aut in Cataractæ curatione iſte humor exhauriatur, in paucis nihilominus diebus iterum regeneretur; habet enim ſuam nutritionem à fonte Vitreo, vti infra declarabimus, & pro illo humore ſcroſo & excrementitio æſtimatur, qui reſtat in humoris Chriſtallini nutritione. Huius cauitas indicatur per δ. fig. 19. Tab. 15.
- Qui
- Situatur in anteriori oculi parte, videlicet inter membranam Vueam (à qua hic humor continetur) & illam Corneam. Vnde ſequitur quod in eo Cataractæ procreentur. Pro hoc vide c. fig. 1. Tab. 15. Sedes qua vitreus ab aqueo, interueniente hialoide diſtinguitur, indicat 2. fig. 10. Tab. 15.
- Vtilitatem habet duplicem
  - Prima eſt, quod Corneam diſtendit, eamque intumeſcere facit, atque hac via ab humore Chriſtallino diſtare factus eſt; nam hac ratione pupilla ſtat ſemper in ſua dilatatione naturali, ſine qua impediretur viſio.
  - Secunda eſt, quod ſit medium intrinſecum ad ſpecies viſibiles recipiendas aptum: Hinc accidit, quod appropinquantibus morti, cornea propter huiusmodi humoris exiccationem cadat & flaccida reddatur: & tunc videtur ægroto tela ante oculos apparere; nam propter huiuſce humoris defectum ſpecies viſibiles ad Chriſtallinum recipi nequeunt, propter pupillæ conſtrictionem nimiam, & eiusdem inopiæ cauſa eſt ſpirituum animalium conſumptio, à morbo procreata.

Humor ſecundus ſeu medius.

- Nominatur humor { Chriſtalloides. / Chriſtallinus. } Eo quod inſtar Chriſtalli lucet.
- Subſtantia fruitur duriuſcula, illi Camphoræ haud diſſimili.
- Humor hic molliſſimus
  - Figuram habet quodammodo ſphæricam, ſed tamen in parte
    - Anteriori, qua humorem aqueum ſeu pupillam reſpicit magis deprimitur, & aliquantulum ad planitiem tendit. Pro hac vide u. fig. 11. 14 & 20. Tab. 15.
    - Poſteriori, qua humorem aqueum ſpectat, lentis effigiem præ ſe ferre obſeruatur. Pro hac vide 4. fig. 12. 13. 14. & 16. Tab. 15.
    - Eſt autem Colore inſtar Chriſtalli albicans & pellucidus, & ſi à ſede ſua remoueatur & ſuper literas ſcriptas more ſpecilli applicetur, eas longe maiores quam reuera ſunt indicabit. Atque hinc proculdubio inuenta ſunt ſpecilla illa ſenibus appropriata.
  - Situatur anteriora verſus & pene in Centro oculi: ita vt humor vitreus partem eius poſteriorem amplectatur; at vero frons eius anterior, Aranea tunica obtegitur. Pro hoc vide a. fig. 1. Tab. 15. Pro Chriſtalloidis latitudine vide 5. fig. 12. & 15. Tab. 15.
  - Vſus habet eminentiſſimos & præcellentiſſimos in facultate optica vnde
    - Princeps facultatis videndi organum æſtimatur.
    - Idolum & ſimulachrum viſionis non inepte dicitatur.
    - Lumen magnum mundi viſualis non aliter dici poteſt, quam Sol mundi maioris, aut cor illius humani.

Humor tertius seu vltimus.

Dicitur humor { Hialoides. / Vitreus. } Vtpote qui vitrum fusum præ se fert.

Substantiam habet non ita firmam aut limpidam, ac est illa humoris Christallini.
Nutritur à tela retina, iuxta quam situm ac positionem suam habet.
Quantitate est cæteris duobus longe vastior, quippe quæ ex quatuor concauitatis oculi partibus, tres sibi vendicare videtur: Atque hinc sat liquidum est, quod hic maiorem humoris Christallini partem in sua concauitate contineat. Hyaloides sinum Christallinum recipientem indicat. r. fig. 9. Tab. 15. Eius amplitudo indicatur per x. fig. 10. & 20. Tab. 15. & β. fig. 18.

Qui
Situm suum habet versus partem oculi posteriorem, imo vero tam amplus est hic humor, vt etiam versus portionem oculi anteriorem porrigatur. Continetur autem & inuoluitur hic humor, vna cum Christallino à tunica aranea. Pro hoc vide b. fig. 1. Tab. 15.
Figuram habet splendidam & spectatu iucundam, vtpote qui est Christallini clarissimi & limpidissimi (vti dictum est) alimentum, & in comparatione sua ad rem aliam, vitro fuso comparatur haud inepte, tam respectu sui coloris quam tenacitatis viscosæ.
Vtilissimus ad facultatem visiuam existimatur, quatenus humori Christallino pabulum & alimentum præbere obseruatur, atque in nutritione seu alimento huiusmodi humor abigineus more excrementi superflui & serosi illius procreari creditur seu imaginatur.

TABVLA XV. OCVLI ESSENTIAM SEV EIVSDEM INTERIORA DESCRIBENS, QVÆ IN FIGVRAS VIGINTI SE DISTRIBUIT; In quarum

Prima Oculi membranæ & humores per lineas ductas exprimuntur.
Secunda cornea tunica cum portione nerui optici.
Tertia Corneæ per sectionem transuersam diuisio.
Quarta Vuea cum portione nerui optici.
Quinta Vuea humana.
Sexta, Cornea, Vuea & Choroides.
Septima, superficies Vueæ interior.
Octaua pars corneæ superior cum retina ab oculo separata.
Nona, Hyloides tunica.
Decima humores tres simul iuncti.
Vndecima Christalloidis interior sedes.
Duodecima Christallinus tunica adhuc tectus.
Decima tertia Christallinus nudus à latere positus.
Decima quarta Christallinus humanus.
Decima quinta Christallini tunica.
Decima sexta Aqueus Christallino perfusus.
Decima septima Ciliares processus phialoidis per tunicæ anteriora radiatim sparsi.
Decima octaua Vitrei humoris anterior sedes.
Decima nona Aquei humoris sedes.
Vigesima Vitreus Christallinum continens.

In fig. 1.

TAB. XXII. LIB. III.



In fig. 1. a. Chriſtallinus humor. b. Vitreus. c. Aqueus.
d. Eſt tunica adnata.
e. Corneæ tunicæ pars optica.
f. Vuea tunica.
g. Retiformis tunica.
h. Hyaloides tunica.
i. Chriſtalloides tunica.
k. k. Proceſſus Ciliares.
l. Impreſſio Vueæ à craſſa tunica abſcedens.
m. Cornea pars craſſæ tunicæ.
n. n. Adeps inter muſculos.
o. Neruus opticus.
p. Craſſa meninx. q. Tenuis meninx.
r. r. Muſculi.

In cæteris figuris.
2. 4. 8. a. Neruus opticus.
2. 4. b. Tenuis meninx neruum veſtiens.
2. 3. c. Craſſa meninx neruum veſtiens.
8. d. Corneæ tunicæ pars poſterior.
8. e. Retiua conglobata.
2. 3. f. Iris oculi.
2. 3. g. Oculi circulus minor ſeu pupilla.
2. 3. h. Vaſa per craſſam membranam diſperſa.

3.6. i. Vuea tunica.
6. k. Cornea seu dura reuoluta.
3.4. l.l. Fibræ & vasorum filamenta, quibus Vuea corneæ nectitur.
4.5. m.m. Vueæ impressio qua à cornea recedit.
4.4.6.7.n. Pupilla.
7. o.o. Ciliares processus.
7. p. Vueæ principium ex tenui dilatata at p. in 17. processus ciliares, per hyaloidis anteriora sparsi.
9. r. Hyaloides sinus Christallinum suscipiens.
12.15. s. Chtistalloidis tunicæ latitudo.
12.13.14.16.t. Christallini humoris pars posterior sphærica.
11.14.20.u. Eius pars anterior depressa.
10.20. x. Vitrei amplitudo.
10.16.19.y. Aquei amplitudo.
10. z. Sedes qua vitreus ab aqueo interueniente hyaloide distinguitur.
10.16.α. Sedes qua Vuea in aqueo humore natat.
18. β. Vitrei cauitas, quæ exempto Christallino remansit.
19. δ. Aquei cauitas ob eandem causam.

CAPVT VIII.

De Oculi morbis in genere.



ANATOMIÆ VVLGARIS FINIS.

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
Pars Tertia.

De

ANATOMIA MYSTICA IN LIBROS QVINQVE DISTRIBVTA.

PROOEMIVM.

DE OCCVLTA HOMINIS PERFECTIONE, ET admirabili eiuſdem proprietate, eiuſque exaltationis & depreſſionis cauſa.

IAM admirabilis eſt hominis natura, vt ille non modo terreſtrium, verum etiam cœleſtium nodus nuncupetur, vnde recte inquit Picus Mirandula quod *homini mancipentur terreſtria, eique faueant cœleſtia, vtpote cuius anima eſt ipſum cœlum, corpus autem terra, vinculum autem hæc duo ſimul coniungens, eſt ſpiritus intermedius:* Atque hinc exiſtimauit dictus Picus, quod quicquid à Moyſe in capite primo Geneſeos eſt dictum de Macrocoſmo, hoc etiam de ipſo homine poſſit intelligi, qui ob hanc cauſam Microcoſmus, & omnis creatura haud inconſulte dicitur: Huncautem melior natura Deus ideo ex limo terræ & ſpiraculo vitæ compoſuit, vt in terram pro corporis, & in cœlum pro animę ſalute conſpiceret: nam ex arcano immenſi rerum conditoris decreto, ordinatum eſt inter hæc duo extrema commercium huiuſmodi, vt diuinæ ſimilitudinis ſpecimen (quod ex propria ſua natura res groſſas negligere, terreſtriũq; cupidine minime flagrare ſolebat) atra veſte ſeu terrea domo, mediante ſpiritu medio ſic contectum, hominem, nobiliſſimam creaturam ſic conflaret, quo ipſe in animal rationale ex natura æterna & mortali ita factus, vtrique ſuæ origini ſatisfacere poſſet, & mirari ac orare cœleſtia, & incolere ac gubernare terrena: Atque gratia huius muneris ſeu doni immortalis & cœleſtis, diuinum quidem genus hominibus ineſſe, imo vero animam quaſi ſemen Dei, in nobis infuſum agnoſcit Archangelus in comment. Cabaliſticis, qui iſtam doctrinam à Diuo Paulo accepiſſe videtur, *hominem externum Spiritus Sancti templum* confidenter proclamante, Hinc ergo erat, quod propheta regius *hominem angelis paulo minorem à Deo eſſe creatum, gloria & decore coronatum, dominium in opera manuum ſuarum habentem, omnia ſub pedibus ſuis ponentem, videlicet greges & armenta, beſtias agreſtes, aues cœlorum, & piſces maris*, affirmet. Imo vero & *eius greſſus à Iehoua ſtatuun-*

Archang.

Picus Mirand. li. 4.

Archang. Paul.

Pſalm 3.5.

Psal. 37. 23. Psal. 139. *tur, cuius delectatur via, cum cadit non deijcietur, quia sustentat Iehouâ manum eius, ipsi à fœtus genitura & figuratione sua adest*, eumque fabrerrime sapientia sua condidit,
Prou. 8. cuius etiam *delitiæ sunt atque delectationes cum filijs hominum*, nam sapientia diuina eos docet, quid apud Deum sit gratum atque acceptabile, ipsisque *compositionis mundi, & virium elementorum, & principij, finis, atque medij temporum, & solstitiorum, mutationis & varietatis temporum & tempestatum, anni circuitus, & stellarum situs, & naturarum animantium, & animorum, seu irarum ferarum, & virium ventorum seu spirituum, & cogitationum hominum, & quorumcumque aliorum tam occultorum quam manifestorum cognitionem atque scientiam* benigniter reuelauit, Quæ omnia dona Deus homini
Sap. 7. 17. per Sanctum sapientiæ suæ spiritum concessit, pro amore animæ Deiformis, quæ est res tam nobilis & tanta dignitate atque sublimitate ornata, vt mediante illo, etiam carnis vm-
Mercur. Trismeg. p. m. 3. braculo velata ad cœlestium angelorum discursum suscipiendum, ad opera Dei, & naturæ progressus, ad bonorum signa, & ad potestatis diuinæ cognitionem perueniamus, *teste Mercurio Trismegisto*. At vero hanc animæ humanæ fælicitatem, diminuere omnimodo tentat tenebrosa corporis terreni moles, quæ cum à Dei & diuinorum contemplatione ad mundi & carnis illecebras, mediante spiritu sanguinis aereo allicere omnimodo aggreditur; ita vt illa animam adulando decipiens, ipsam nebulis tenebrarum obductam, à boni dæmonis natura ad cacodæmonis dispositionem facillime seducat, quo homo virtute mentis ei præsidentis omni creaturæ præponendus, am bestiæ æqualis, imo vero ipso bruto vilior redditur; vtpote qui sordibus & pollutione peccati nunc imbuitur atque contaminatur: Vnde factum est, vt hæc creatura respectu Deiformis vitæ spiraculi eminentissima, iam ratione corporis putrida & vilissima est facta, quod etiam & Iob in huiusmodi verborum serie agno-
Iob. 14. scere videtur. *Homo velut putredo veterascit, vt vestis quam edit tinea, homo natus mu-*
Ps. 77. 39. *liere, brevis ætate & satur commotione, hoc est multis repletur miserijs*, similiter respectu
Iob. 26. corporis dicitur homo *caro, spiritus vadens & non rediens*, Hinc etiam appellatur à Iob *putredo & mortalis, & filius eius vermis seu lumbricus*. At vero Deus tam externum quam internum hominem fecit rectum & temperatissimum: nam ipse *mortem & prævaricationem non posuit in terrâ, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes terrarum orbis. Sed iniustitia, seu peccatum,*
Sap. 1. *est mortis acquisitio*: *Nam iustitia* (quæ est semper cum Deo) *immortalis est, qua ho-*
Sap. 2. *minem immortalem, & ad imaginem similitudinis suæ conflauit Deus*, *Inuidia autem Diaboli Mors introiuit in orbem terrarum*: A Diabolo ergo tenebrarum præside introducta est humana infœlicitas, vt à Deo lucis fonte ac iustitiæ Imperatore per mentis donationem summa & æterna ei allata est beatitudo, & per sanguinem Christi integra à peccati sordities ablutio: Benedictione ergo Diuina tanta in statu innocentiæ erat Adami dignitas, tam excelsus eius honor, vt immortalis extiterit, imo vero ipsis angelis erat æqualis, vnde etiam post eius lapsum eiusdem nobilitatis meminit angelus, cum noluit permittere, vt
Apocal. reuerentiam aut adorationem aliquam ei præberet homo, quemadmodum *in Apocalypsi* declaratur. Denique vt cum in præcedentibus rerum omnium nodum, ita etiam omnium rerum quodammodo finem hoc in loco dicimus, quippe qui mente Deo adhæret, ratione angelis conuenit, per cordis vitam solem affectat, per potentias sensitiuas bruta seu animalia irrationalia respicit, in viribus naturalibus ad plantam refertur, & in suo corpore rela-
Cron. 1. tionem habet ad inanimata, quocirca ob hanc eius singularitatem, omnes terræ & maris & aeris creaturæ eius dominio, idque mandato diuino subiiciuntur. Admirabilia ergo & occultissima sunt hominis tam interni quam externi mysteria, & vltra captum hominis communis, imo vero, prima quidem fronte impossibilia videntur, atque ineffabilis est secreta mentis, animæ, spiritusque aerei in homine diffusi operatio, similiter difficile verborum argutijs, & ideo multo magis impossibile has hominis interni partes scalpelli acie vt-

cunque

cunque dextra ab inuicem diuidere aut segregare, Imo vero *solius Dei verbi est* (vt à Diuo Paulo habemus) *spiritum ab anima distinguere*. Sit igitur in hoc nostro discursu expectationi vestræ sufficiens, (obsecro) vt verborum tantum acie anatomiam hanc mysticam dissecemus, interiora (inquam) seu in interno microcosmi gremio abscondita sermonis filo, non cultelli incisione aggrediamur reuelare, dum vos anatomiæ istiusmodi partes spirituali scalpello diuisas, oculis intellectus arbitrantes & contemplantes, fronte serena, & iudicijs intentioni huic meæ propitijs, quæ à nobis hac in anatomia erunt gesta, in bonam partem accipiatis, per commune ius humanitatis, in officio sanctæ bonitatis vestræ consuetæ maneatis, humiliter rogo atque obtestor.

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARTIS III.

LIBER PRIMVS

IN QVO VENTORVM IN MICROCOSMO SEPTENTRIONALIS ET MERIDIONALIS afflatus. Hoc est Lienis & Hepatis venti, & eorum effectus explicantur.

CAPVT I.

De quatuor Microcosmi angulis cardinalibus, de ipsius polis: & quomodo, quamque apte ad Macrocosmum in sua positione adaptetur.

VARIÆ sunt Philosophorum tam Ethnicorum quam Christianorum de Macrocosmi positione sententiæ, quem etiam Microcosmus non aliter quam filius suum patrem imitari animaduertitur, *est* enim *Macrocosmus* (teste Mercurio Trismeg.) *Macrocosmi filius, vt & hic ipsius Dei proles.* Hinc igitur est quod sit impossibile, vt Microcosmi seu hominis cardines atque angulos, & præcipue ipsius polos, nisi peraptam eiusdem ad suum patrem, videlicet mundum maiorem applicationem inuestigemus, Mundi vero ad dextram & sinistram situm exactum inuenire, res est non adeo facilis. cum in eiusdem inquisitione Philosophorum acutissimorum industria non modo irregularis fuerit, verum etiam eorum mentes hac in re incertæ, atque inconstantes ad hunc vsque diem maneant. Nam *Pythagoras, Plato & Aristoteles, dextram mundi plagam Orientem posuerunt, quoniam* (inquiunt illi) *mundi motus ab illa quarta incipit.* At vero *Empedocles* huic ipsorum opinioni minime adhærens, *dextram mundi manum ad solstitium æstiuale, hoc est ad Tropicum cancri porrigit, & consequenter eius sinistram brumam versus extendit*, atque hac ratione mundum cum homine comparando, necesse est vt eius facies occidentem mundi plagam intueatur: quemadmodum iuxta prædictorum assertionem Aquilonem versus respiciat. Quid igitur in tanta controuersia est faciendum, nisi vt ad sacrum & veridicum Dei oraculum confugiamus, atque eiusdem responso huius rei veritatem eliciamus? In multis igitur sacrarum literarum locis inuenimus, quod in prophetarum & patriarcharum orationibus, & precandi formula *facies semper precantis Orientem versus fuerit disposita*, Et apud Matthæum legimus, quod *fulgur veniat ab oriente & in occidentem vergat*, Et alibi habemus, *Metimini quanque ad plagam Orientalem, & ad plagam Australem & ad plagam Occidentalē, & ad plagā Aquilonarē.* Ac si dixisset, metimini ad partem anterioré, dextram, sinistram & posteriorem. Porrō et locus hic à Iobeo in loco vbi agitur de inquisitione loci vel sedis Iehouæ, confirmatur, qui à Pagniano sic interpretatur, *En ad Orientē ibo, & nō erit & ad Occidentem, nec intelligam illū, aut ad Aquilonē dum operatur ipse, & non videbo. Abscondit se in meridie nec videbo.* At Hieronymus locū hunc sic interpretatur. *Si ad Orientem ivero, non apparet, si ad Occidentem, non intelligam, si ad sinistrā quid agam? non apprehendā eum, si me vertam ad dextram non videbo illum.* Tremellius in hunc sensum vertit locū illum, *Si antrorsum iuero, non aderit, si vero retrorsum, non animaduertam eum, cum agit ipse ad sinistram, non tamen videbo, operiet dextram, plagam non tamen respiciam.* Quod igitur Pagnianus facit Orientem mundi angulum, Tremellius partem facit anteriorem, quod ille Occidentem quartam, hic posteriorem facit, Illius Aquilonem hic sinistram mundi manum vocat, vt & ille dextram huius regionem Meridiem appellauit: Ex quibus (vt mihi videtur) hoc sine vlla controuersia apparet, quod recta hominis secundum mundi situm dispositio, sit facie eius ad plagam orientalem dispositā, vnde oculi in anteriori hominis, & omnium aliarum creaturarum parte (facie scilicet) collocantur, vt solem assurgentem & post longam noctem & tenebras, ab oriente terram obscuram aureo & lucido suo aspectu visitantem, noctisque caligines in exilium relegantem, salutarent; vtpote Solis inuisibilis typum, quem die vltimo ad mundi renouationem ex illa mundi parte venturum prædixerunt Biblia sacra, Hinc ergo

Py hag. Plato. Aristot. Empedod.

Mat. 24. 27
Num 35. 5.

Iob. 23 8.

ergo sequitur quod eius manus seu pars dextra, Meridiem respiciat, vt & sinistra, Aquilonem, & per consequens pars eius posterior Occidentem intueri debet. Quod cum ita sit, necesse est vt in sinistra hominis seu Microcosmi regione, polum illum Arcticum quæramus, à quo Boreas flatus suos frigidos & terrestres in microcosmum emittit. Atque etiam eiusdem polum Arctico oppositum, Antarcticum scilicet, qui necessario in plaga eius dextra inuestigandus est. Orientalis etiam hominis quarta est anterior Thoracis portio, ad q̃ cordis conus (qui est microcosmi Sol) inclinat, quemadmodum eius plaga occidentalis, est in parte posteriori, vbi vasa seminaria, renes & vesica in terræ quasi meditullio, intestinorum scil. massa, immerguntur.

Caput II.

De duorum Microcosmi polorum inuestigatione, & quod sint Lien & Hepar.

CVm igitur hominis dispositio ad mundi dispositionem inueniatur esse talis, vt eius pars sinistra plagæ in Macrocosmo septentrionali respondeat, diligenti inquisitione dispiciendum est, quanam in plaga microcosmi septentrionalis portio, tanta proprietate sit prædita, vt in omnibus fere cum polo mundi maioris Arctico seu septentrionali conueniat; Ad naturam autem septentrionis Macrocosmici quod attinet, eam esse frigidissimam & siccissimam mundi quartam, denotat venti ab ea flantis effectus, cuius est tam terram quam aquam sua frigiditate & siccitate congelare & indurare, glaciem quoq; atq; niues & grandines procreare, porro etiam attenuat suo frigore & siccitate, constringit, contrahit, & rugosum facit, seu asperitatem producit, actionem tollit, & stupefacit, corrumpit fructus & flores, & herbas desiccat, humores tam internos quam externos, & huiusmodi alia præstat, quæ omnia mediante flatu suo Boreali perficere solet. In sinistro vero hominis cardine, nihil quasi momenti præterquam Lienem inuenimus, cuius naturam ab illa stellæ polaris non multum differre percipiemus, si rem paulo accuratius explorauerimus, nam eius natura cum sit terrestris, est frigidior & siccior totius regionis inferioris portio, quæ ventos etiam frigidos & siccos non aliter in vniuersam microcosmi regionem emittit quam Septentrio à sua plaga, qui similiter flatibus suis humores congelat & indurat, pituitam vitream atque densam producit, viscositates glaciales procreat, materiam fæculentam constringit, melancholiam vndiq; dispergit, quæ est nihil aliud quam materia terrestris, frigida & sicca eamq; congelat in duritiem, vt Boreas suo flatu humorem aereum tenerum in niues & grandines inspissat, sua siccitate corporea attenuat, vt frigus Boreale terram mollem constringit & contrahit, stupores & paralysin profert, &, vt paucis dicam, est illud corporis membrum, quod maius affert vitæ humanæ nocumentum, quam aliquod aliud totius corporis, vtpote quod de natura Saturni participat, quæ est infortunium maius, quippe quæ vitæ omnimodo aduersatur, quia tam extremo suo frigore, calido innato, quam sua siccitate, humido radicali est oppositissima. Porro etiam consensus inter hoc membrum & stellam polarem in eo declaratur, quia ambo Saturnum pro sua cõstellatione sibi vindicant, vtpote à quo virtutes suas stipticas habent; At vero quia homo dicitur mundi filius, ideo Boreã ab Angelo ei præsidente (in cuius cura etiam est Saturni sphæra) vim istam accepit, & microcosmi lien pariter à Borea vim suam attraxit, vnde ambo eosdem producunt effectus.

Simili etiam ratione, vt ventus Cardinalis illi septentrionali oppositus; Auster dictus; à polo meridionali flatus humidos & calidos expirat, & suo spiritu aerem grossum & spissum efficere, quandoque fulgura procreare, vt plurimum pluuias afferre atq; multiplicare animaduertitur in maiori mundo; & (vt etiã Hippocrates noster fatetur) ille ipse ventus aperit potos corporis, & impedit vim sentiendi, & grauedinem in corpore facit, Auditum diminuit & difficilem reddit, caput dolore afficit, corporis humores dissoluit, & ipsos mouet ab interius ad partes exteriores, imo vero, & sensibus torporem inducit, atq; etiam corrumpit, destruit, & morbos, cuiusmodi sunt podagra, Epilepsia, pruritus & febres generat, & nihilominus virtus ei naturalis est satis salubris, quatenus dura facit mollia, est etiã roris beneuoli, ac pluuiæ moderatæ quandoq; author, quibus emollit, & aperit terræ poros, eamq; facit fructiferam, vnde & fructus, & herbas, & gramina, & semina profert, nutritq; & vegetare facit, dissoluit humores spissos & frigidos, facitq; fumos & superfluos humores per sudores effluere, tam à corporibus vegetabilium, quam animantium: sic etiam quærendum est atq; explorandum in parte corporis humani Lieni per directam axin opposita, tale quid, quod in omnibus huic meridionali cardini comparari potest, à quo Auster etiam microcosmicus flare soleat, vel cum præternaturali effectu, vel naturali & expectato successu: & inquisitione debita inueniemus ipsum Hepar esse tale quid in dextra microcosmi plaga, quod cum cardine meridionali non modo situ, verum etiam proprietate quam aptissime comparatur. Nam in primis huius plagæ, videl. hepatis, axis, directe tendit ad Lienis centrum, vt illa poli antarctici, ad illud arctici seu septentrionalis; Deinde hepar in natura sua est calidum & humidum, taleſq; emittit in microcosmum flatus, vt Auster à plaga Macrocosmi meridionali. Porro etiam aerem in nubes salubres rorales & sanguineas reducit, quibus tota terra humana irrigatur, omne eiusdem membrũ nutritur, generatio & vegetatio completur, humores frigore venti Borealis seu Lienis condensati & cõcreti dissipãtur, & in sudore (mediante calore eiusdẽ beneuolo) per poros expelluntur, atq; ita more Austri macrocosmici bene affecti, omnia secundũ naturæ leges ad vitã ordinãtur. Arq; tunc temporis tã Austro macro q̃ microcosmi Iupiter adest, beneuole, & fautor alumnus. At vero, si Mars cũ ipsius tẽperie sẽ miscet, siue in macro siue in microcosmo, tunc huiusmodi flatus p̃ternaturales sequentur, & nubes densæ caloris intẽperie sursum eleuabuntur, & in catarrhos & defluxiones more pluuiæ & inundationis mũdanę cõuertẽtur; generabitur & capitis graueolo, & sensuũ stupor, atq; cęterę infirmitates, quas Auster mũdanus p̃ferre solet, videl. podagra, Epilepsia, & pruritus; imo vero si Martis influctia ei aliquantulũ plus

prædomi-

prædominetur, & præcipue si ventus Lienalis seu Borealis leniter flare percipietur, tonitrua cum nubibus istis se permiscebunt. Vnde febres cum flatibus & rugitu seu intestinorum murmure consequenter se prodent. Atque infinitæ huiusmodi infirmitates exinde sequentur, de quibus suo loco abunde & ad rem (vti spero) loquemur.

Caput III.

De meteoris in specie à Liene ortis, eorum comparatione cum illis à Borea Macrocosmico efflatis. De causa primaria flatus Borealis in Macrocosmo, à quo Lien suam vim recipit.

IN prædicta verborum serie sat aperte est declaratum, quod Lien sua in corpore humano positione Cardini mundi Septentrionali correspondeat. An vero sua dispositione & proprietate, cum plaga etiam illa conueniat, ex sequentibus explicabitur, Pars quidem Borealis qualitate sua est valde frigida & sicca, vnde & *Iob. 37. 9.* ventos seu flatus tales producere obseruatur, iuxta illud sacrarum literarum, *Venti Aquilonares producunt frigus.* *Prou. 25. 23* At vero quod ventus huiusmodi sit siccissimus, in eo explicatur, quia *pluuias fugare atque dissipare* ab ipso Salomone traditur, quod quidem minime perficeret, nisi humiditati pluuiarum esset oppositissimus. Vt igitur Angulus mundi Borealis, est ventus Cardinalis, eiusdem receptaculum frigidum & siccum, sic etiam & Lien seu septentrio hominis, qualitate sua est eiusmodi, quippe qui est melancholiæ sedes, quæ dispositione terrestri, hoc est frigida & sicca gaudet. Quare etiam ab huiusmodi microcosmi cardine flatus Aquilonares, videlicet frigidi & sicci emittuntur, passiones præternaturam non aliter in mundo minori excitantes, quam Aquilo seu Boreas, seu ventus Arcticus in maiori; nam vt septentrio quandoque niues & grandines per se emittit, & gelu producit, & quandoque tonitru tremendo est munitus, sic etiam nonnunquam flatibus crudis ad aciditatem procliuibus, & pituitam viscosam & vitream inducentibus, atque illam in substantiam mucosam cõgelantibus, cachexia, & alii corporis habitus praui producuntur, stupores & torpores in tota fabrica efficiuntur, Epilepsia, Paralysis, Apoplexia & huiusmodi alia ab humorum & vaporum condensationibus procreantur: similiter aquaticæ hydropis species binæ, quod quidem in scorbutica dispositione & virgineis affectibus quam optime declaratur, vbi flatus seu venti, ab huiusmodi regione scaturientes, humores in glacialem substantiam congelare, & congelati humores meatus obturare, & obturati meatus prauas corporis dispositiones procreare assolent, & sæpe: Atque huiusmodi ventositates septentrionales vel accidunt in microcosmo cum tonitru seu murmure & rugitu, vtpote quibus spiritus (pro natura illorum qui inhabitant nubes à mundi septentrione ventorum violentia impulsas) insunt, quæ illos homines concomitantur, quorum melancholia vt plurimum à pituita adusta oritur: quemadmodum in hypochondriacis & iis qui tympanitide afficiuntur, manifeste animaduertitur, vel accidunt sine tonitru seu eructatione euidenti, atque tunc humor pituitosus est magis acidus & vitreus factus, & assimilatur humor hic niuibus, & gelu à ventis aquilonaribus tempore hyemali procreatis, quas intensa concomitatur frigiditas: Atque hic est ille humor, sic flatibus Lienalibus frigidis & siccis incrassatus, qui stupores, torpores & Epilepticas passiones frequenter producere solet, vtpote in quo humore spiritus maligni delitescere gaudent, qui de natura lucifugorum sunt, qui frigore & sic citate terrestri ad modum rigent. Tales etiam sunt spiritus illi septentrionales, qui à ventro boreali meridiem versus impulsi, suo frigore terrestri constringunt aerem condensatum in niues & grandines, aquasque terrestres in gelu conglomerant. At vero flatus à Melancholiæ radentis massa in homine exurgentes illis assimilantur qui à Boreali mundi plaga æstiuali tempore efflare obseruantur, nubes grandinosas & siccas, fulgure refertissimas spiraculo quodam igneo secum vehentes, quæ damnum & timores & tristitias ineffabiles tam terræ & fructibus eiusdem, quam animalibus afferunt: Hinc fit, quod homines huiusmodi melancholiæ flatu oppressi, in Phrenitidem, Lycanthropiam & infinitas alias melancholiæ furibundę vexationes incidant, Intelligendum est igitur in primis, quod duplex sit melancholiæ præter naturam initium, videlicet vel adustio nimia, qualiter lignum ab ignea natura in carbones primum actum, postea in cinerum dispositionem redigitur, sic cholera in atram bilem seu naturam carboneam ac cineritiam reducitur, atque hæc species est illa qnæ fulmen concomitatur, quæ substantiam igneam in cineres & sales conuertit, vt in lapide fulminari videre licet, sic etiam melancholia hæc, inflammatione scilicet præeunte lienem indurat, & terrestri eius exhalatione igne permista cerebrum læditur, imaginatio fallitur, atque ratio ipsa abalienatur, hocque prauis spiritibus in nube illa æstuosa vectis, qui homines insano *Finit. med.* more deducunt atque furibundos reddunt. Atque hinc est quod Galenus dicit, *Typhomaniam esse Lethargicum delirium*: Sed reuera hæc melancholiæ species nunquam à Liene accidit per se, nisi vbi fiunt confluxus prauorum spirituum, ex intemperie calida & æstuosa laborante, ab Hepate exilientium, cum flatu etiam siccissimo ad calorem tendente, qui à liene eiaculatur. Secundum melancholiæ principium est mortificatio seu congelatio, atque huius initium non est inflammatio seu adustio, sed viceuersa frigiditas, cruditas, & extrema caloris inopia: Atque hæc species attribuitur ad illam Borealem mundi, quæ definit in nubibus grandinosis & niualibus extremo frigore, nullo meteoro ignito se commiscente, prædita. At vero melancholia à pituita adusta producta, videtur de his duobus extremis participare, vnde melancholici ex hac specie

cie quandoque intemperie æſtiuali afficiuntur,& paulo poſt frigore rigere obſeruantur, quemadmodum in nubibus à parte boreali emiſſis videre licet, cum quibus coruſcationes & tonitrua ſe inuicem nonnunquam miſcent. Atque iſtiuſmodi ſpecici intemperiem ſequitur febris quartana, cum humore cuius ſe miſcent ſpiritus maligni iſtiuſmodi conditionis. Hæc (inquam) de Liene flatibusque eiuſdem male & præternaturaliter diſpoſitis, vel per ſe, vel ratione alicuius flatus contrarii maleuoli, præuaricatis, & à naturali in contrarium permutatis intelligenda ſunt. Nam vt ventus mundi Septentrionalis multa animaduertitur aeri afferre commoda, & ſalubris per ſe eſſe, quippe qui bene diſpoſitus aerem ſuo afflatu clarum & purum reddit, nubes auſtrales diſſipat, & per conſequens peſti quæ ab Auſtro oritur, aduerſari ſolet, ſic etiam videmus quod ventus à Liene leniter & ſuauiter emiſſus, humorque ab eo in corporis partes vectus plus ſanitatis quam morborum ei afferre ſoleat. Vnde ortum eſt, vt humores in corpore ſuperfluos deſiccet, putrefactioni opponatur, & vapores ab auſtro Hepatico præter naturam eleuatos diſſipet & diſſoluat, caloreſque innaturales mitiget ſuo afflatu, & temperiem aptam faciat. Vnde dictum eſt, quod Lien bene diſpoſitus ſit lætitiæ atque riſus fons, iuxta illud Poetæ, *ſplen ridere facit, &c.* Porro etiam vapor eiuſdem acidus, eſt appetitus, & facultatis retentiuæ ſeu reſtrictiuæ author, quemadmodum teſtantur & Medicorum & Philoſophorum patres De ventis ſeptentrionis collateralibus, quales ſunt aquilo ſeu Boreas, qui à cardine Polari Orientem verſus obſeruantur flare, qui vento à ſuprema concauitatis Lienis plaga flante comparantur, ſimul atque de vento qui in macrocoſmo Corus dicitur, qui in homine à Lienis gibba vt plurimum flare & regionem illam inflare ſolet, videlicet ab ipſo hypochondrio læuo alibi ſectione ſecunda, vbi de cauſis morborum ſupernaturalibus agetur, aperte & copioſe ſatis mihi diſceptare propoſui, & capite ſequenti verba licet parce faciemus, Reſtat autem hoc in loco vt primarias horum ventorum in mundo primum, & tum poſtea in homine cauſas eliciamus.

Dicimus ergo nos Chriſtiani, contra Hippocratis, Auicennæ & cæterorum Ethnicorum doctrinam, quod cauſa huius vel illius morbi ſit Deus, Quod quidem *ſectionis huius primæ part. 1. lib. 3. De principiis ſuperſubſtantialibus c. 1. 2. & 3.* abunde explicatum eſt. Hinc enim dictum eſt, *Bona & mala, Vita & mors, Paupertas & honeſtas à Deo ſunt,* & alibi, *Vitæ & mortis habet dominus poteſtatem, qui deducit ad portas mortis & reducit:* Et teſtatur Moyſes hoc idem in his verbis, *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi peſtis donec conſumat te, Iehoua percutiet te tabe calida & æſtuante vlcere Ægypti, & hæmorrhoidibus, & ſcabie, & prurigine, quibus non poteris ſanari.* Similiter à Iob accipimus, Quod *Iehoua increpet per dolorem in lectulo.* Et apud nos familiare eſt, quod hoc vel illud malum induxerit Deus pro peccatis noſtris. Quærendum eſt igitur diligenti intuitu, quomodo Deus peccatores morbis & peſte affligere ſoleat? An ſcilicet immediate, vel mediantibus aliis ſuis creaturis, Apud Dauidem legimus, *Angeli Dei validiſimi robore, efficientes verbum eius, auſcultantes voci eius, exercitus & miniſtri eius, facientes placitum eius:* Et alibi vocantur *hi angeli venti ſeu ſpiritus Dei,* vnde legitur, *Qui facis angelos tuos ſpiritus* (vt Hieronymus interpretatur) *ſeu ventos* (vt Tremellius vult) *& miniſtros tuos ignem vrentem:* Vnde liquet, quod vt Deus dicitur hoc vel illud agere, illud quidem fiat ordinatione primaria, & non executione immediata, nam quicquid à Deo ordinatur, vel ad bono afficiendum, vel pœna vel plaga infeſtandum, illud omne ab angelis tanquam miniſtris exequi aſſolet, vnde dictum eſt, *angeli Dei præcipient de iuſtis.* Et Ioſephus inquit, *Angelus ille qui me vendicat ab omni malo benedicat pueris iſtis,* At vero in parte contraria dicitur, *Angelus Balaamum gladio occidiſſet, ni aſinus eius diuertiſſet à conſpectu eius;* Similiter *Angelum Dei peſte deuaſtantem & morbo exitiali affligentem vidit Dauid,* porro etiam *Diabolus erat ille qui ordinatione Dei Iob plagam infligebat,* Ex quibus euidens eſt Deum ordinatione, & Angelos executione in hæc inferiora vel ad vitam & ſalutem, vel ad mortem vel morbos agere, & conſequenter liquet, quod angeli, & dæmones ſub ipſorum imperio ordinati, ſunt media agentia inter Deum & inferiora, non aliter quam ſpiritus eſt gluten & nexus inter animam & corpus. Vnde agnoſcunt Peripatetici & cum iis conſentiunt Cabaliſtæ, quod *aſiſtens intelligentia præter formam ſuam eſſentialem, tanquam orbis ſui motrix cuilibet cælo attribuatur, quæ vocatur Angelus, vtpote qui ex officio miſſus, implet iuſſa Creatoris, eſt enim Angelus, tanquam inter Deum & naturam virtus media, à qua fiunt operationes in rebus naturalibus.* Huc vſque illi. Atque hinc prouenit, quod Aſtrologi ad exteriora magis quam interiora reſpicientes, volunt Deum aſſidue ſecundum ordinationem, & ſtellas ſecundum executionem in hæc inferiora agere, vbi creaturas viſibiles nominant pro intelligentiis inuiſibilibus, qui ſtellis & infinitis legionibus earum præſunt, de quibus ſectione hic ſecunda abunde. Sed videamus iam tandem, quibus mediis ſpiritus iſti tam beneuoli quam maleuoli in mundo ſublunari Creatoris ſui mandata perficere geſtiant. Quod Angeli ſint venti & ſpiritus, ex loco antea citato intelligimus. Porro etiam, quod *Deus ventum depromat de theſauris ſuis,* nos docet pſalmiſta regius, Et alibi ab eodem propheta dictum eſt, Quod *ventum efflat ſuum Deus, emittens verbum ſuum.* Et alibi. *Ventus profectus à Iehoua abreptas coturnices &c.* Et alibi, *Ventus procelloſus efficiens verbum Dei.* At reuera in hoc cum philoſophis conuenire debemus, videlicet ventum nihil eſſe aliud, quam fluctuoſum aeris motum, ſed quod iſtius contentio & aeris commotio proueniat à qualitate calida ſicca contra mediæ aeris regionem pugnante, hoc prorſus negamus, & pro re ridiculoſa habemus; ſed ventum dicimus eſſe formalem, qui eſt ſpiritus angelicus à Deo miſſus, qui aeremita perturbat, quem adeo commotum philoſophi exteriora reſpicientes & ad interiora minime pertingentes, ventum vocauerunt, cuius cauſam materialem ideo inconſulte finxerunt eſſe halitum è terra ſurgentem. Agnoſcimus, inquam venti perceptibilis materiam eſſe aerem fluctuantem, at vero cauſam in hoc ſtrepitu agentem eſſe dæmonum inferiorum conſortium, qui virtute ſua vel ſuauiter vel violenter aerem (alioquin quietem) impellunt, vt mediante aere ſic impulſo, voluntas Dei perficiatur à

ſuis

Eccl. 11. 14. *Sap. 16. 13.* *Deut. 28. 21.* *Iob 33.* *Pſ. 103. 20.* *Pſ. 104. 4.* *Pſal. 91. 11.* *Gen. 48. 15* *Num. 22. 32.* *Reuclin. Cabaliſt.* *Pſ. 135. 7.* *Pſ. 147. 18.* *Num. 11. 31* *Pſ. 148.*

suis ministris, in aere perturbato commorantibus, sed ad huius rei probationem sic properamus.

Vt septem numerantur angelorum principes qui astant coram Iehoua, quemadmodum in Tobia & Daniele ex ore angelorum Raphaelis & Gabrielis colligimus, sic in Theosophia occulta simul atque cabalaperitiores hos septem Angelos præsides fecerunt in septem Planetas, quorum etiam quatuor principibus quatuor mundi cardinum siue plagarum dominium assignauerunt, videlicet Angulum Orientem Michaeli, Occidentem Raphaeli, Septentrionalem Gabrieli, & Meridionalem Vrieli, sed & hi sunt præsides boni, qui vim habent & regimen ventorum de quibus cabalistæ sic scripserunt, *Angeli seu dæmones spiritus dicuntur, vtpote qui quasi venti sunt*, Vnde & Rabi Thedacus Leui libro de decem numerationibus, postq̃ mentionem fecisset de ventis Aquilonari, Meridionali, Orientali & Occidentali, sic loquendo pergit, *Et illis quatuor ventis creauit quatuor Angelos qui præfecti sunt ijs in die & in nocte, Michael autem qui est de parte clementiæ, & miserationũ constituitur præfectus super ventum Orientalẽ, vsque ad dimidium dici, rtgitq̃ ventum occidentalẽ Raphael, qui similiter est de parte clementiæ, tũ Gabriel virtute iudicij & seueritatis præfectus est cum vento Boreali, & Horiel (quem alij Vrielẽ vocant) præsidet Austro.* Asserit autem hic quod horum quilibet plures sub se contineat species seu legiones; & in Porta lucis legitur quod in terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum formis, quarum aliæ puræ sunt, & ex illis capaces aliæ gratiæ & miserationum, diciturque quod sint inferius multæ effigies fædæ, noxiæ, tentatrices, quæ omnes traduntur commorari & volare in aere, quarum aliæ ad pacem, aliæ ad bellum, ex iis ad bonum, & ex iis ad malum, ex iis ad vitam, & ex iis ad mortem, atque hoc à Iosepho Castalensi confirmatur. Sed vt procedamus, pure dicti principes quatuor cardinum præsides, spiritus habent sub se quatuor, qui immediati ventorum cardinalium duces esse dicuntur, quibus terræ & mari nocere datum est, quos in naturæ mysteriis profundiores Orientem, Paymon, Egyn & Ammonium vocauerunt, quorum prior auroræ ventum seu subsolanum, secundus Fauonium in angulo occidentali, tertius septentrionalem, & vltimus Austrum in meridie gubernare dicuntur, Et de his spiritibus procul dubio intelligitur locus hic

Apoc. 7. Apocalypseos: *Vidi quatuor angelos super quatuor angulos terræ, tenentes ventos terræ, ne flarent super terram, neque super mare, neque super vllam arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis terræ, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*; Ex quibus elicere possumus in primis, quod quatuor angeli maligni ordinentur à Deo, sub imperio bonorum, ad ventorum cardinalium gubernationem: Secundo, quod angeli maligni mediantibus ventis vel medio aereo, terræ & creaturis nocere soleant; Tertio, quod vltra permissionem maiestatis diuinæ ad creaturarum sublunarium ruinam, vel nocumentum festinare nequeant: Denique videtur, quod angelus iste, cui spiritus illi quatuor obedire videbantur, est Michael, qui est dux militiæ cœlestis, quem Cabalistæ *Metattron* vocauerunt, dixeruntque istum Angelum fuisse illum, qui Moysi præcedebat in deserto, in quo nomen Dei viui erat impressum, vt in Exodo legitur. Vnde & hic dicitur, Sacerdos cœli, qui & dux est militiæ Christi, quem Archang. in Dog. Cabalistico, cum angelis suis pro animabus omnium contra serpentem antiquum pugnare affirmat: Verisimile ergo erat, quod hic esset Angelus ille, qui legem imposuit quatuor illis Angelis malignis, ne vsque ad tempus constitutum terræ nocerent, & præcipue *quia Michael*, vt dicit Tedacus, Rabi ille paulo ante nominatus, *est ex parte gratiæ & miserationum*; atque etiam quia deuicto ab ipso serpente, ille eiusque angeli ipsi vi & armis obedientes facti sunt: Et tamen summopere resistit perpetuo Satan Deo atque angelis suis, & nisi boni angeli permissione diuina nobis assidue adessent, ruinam irrecuperabilem, idque confestim afferrent spiritus maligni generi humano, cui sunt infestissimi, vtpote quod imaginem Dei (quem in odio habent) id præ se ferre obseruant: Hinc igitur apud Cabalistas legimus, quod vt in exercitu Dei sunt quatuor antesignani, videl. Michael, Raphael, Gabriel, & Vriel; sic etiam in exercitu Satanæ latissima gerunt vltores vela, Samael, Azazel, Azael, Mahazael: quorum Samael in igneo elemento vim suam exercet, Azazel in aere, Azael in aqua, & Mahazael in terra: Prædicti ergo antesignani vim suam à ventis seu aere accipiunt, cum mediantibus illis Dei placi-

Psal. 148. tum ad malum vel pœnam perpetrare solent iuxta illud psalmistæ regii, *Ventus procellosus efficiens verbum Dei*, vbi sub nomine venti aer motus (qui est venti externus motus) & spiritus seu dæmon, cum suis turmis seu

Ezek. 37. turbis spiritualibus, (qui est venti internum mouens) intelligitur, vnde inquit Ezekiel, loquendo de resurrectione ossium, *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant*, vbi de bonis angelis loqui videtur: nam (vt inquit glossa super hunc locum) *per spiritum à quatuor ventis*, intelligit propheta, *quatuor*

Daniel. 7. *intelligentias angelicas, quæ præsident quatuor mundi cardinibus*: Et Daniel de spiritibus nocentibus loquens dicit. *Ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno*, quibus aptissime declarat rationem ventorum, seu perturbationis aeris: videlicet quod sit nihil aliud, quam spirituum contrariarum naturarum contentio in aere, sic enim videmus multitudine piscium, vel vnius alicuius, magni tamen, motu vehementi, fluctus in mari excitari atque exagitari, & perturbationem atque rumorem magnum aquarum fieri. At obiciet quis, quod hoc in igneis dæmonibus, qui in elemento ignis vitam degunt, ac in illis qui mediam aeris regionem inhabitant, accidere nequeat, quia *in illis duabus mundi elementaris sphæris, ventus* (iuxta philosophorum sententiam) *non inuenitur*: At vero in primis ipsos philosophiæ peritos admonere velim, quod dæmones cuiuslibet Elementi, quamlibet aeris partem, pro suo libero arbitrio inhabitent, & vbique secundum permissionem Dei adsint, vel ad benedictionem, vel ad punitionem: Porrò etiam (pace ipsorum sit hoc dictum) quod ventus sit in media aeris regione, frequenter ex scripturis sacris colligimus, vbi reperimus, quod *Deus faciat nubes*

Ps 104.3. *vehiculum suum, qui it at Super alas venti, qui facit angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem.* Quis etiam

ignorat

ignorat nubes quæ in media aeris regione procreantur & mouentur, à ventis cuiuslibet mundi cardinis, versus suum oppositū impelli? Vnde euidens est, quod etiam ventus (contra Peripateticorum opinionem) non modo in infima aeris regione flet, sed etiam in media & suprema, imo vero in eius meditullio magis quam in eius parte inferiori, vtpote in quo nubes cuiuslibet conditionis pellit & mouet ante se. Porro etiam nubes ventis congregatas dæmonib. impleri videmus, quorum vis aerea seu externa strepitum facit, interna vero fulgura producit, nam dæmonū manifestum, est aer, occultū vero, ignis, hinc ergo oritur tonitruorum medulla; In suprema vero aeris regione, vbi igneū elementum suum habet dominiū, ventus flat, sed nō ita violenter, quia minorem ibi inuenit loci resistentiam, propter elementi tenuitatem, & dæmonum ibi habitantium societatem qui ob eorum acritatem dominium habent in grossiores dæmones, videlicet aqueos & terrestres, & cum illis se miscent & bellum gerunt, cum vice versa dæmones aquei raro vltra mediam aeris regionem (in qua bellum gerunt cum illis sibi contrariis) ascendunt. Vnde fit, vt in hac aeris regione cometas generari videamus, qui ex densiori illius regionis parte, seu spiritu magis igneo inspissato generantur, non aliter quam nubes ex aeris condensatione in media eiusdem regione obseruamus procreari; quæ quidem partium aerearum appositio, tam in media quam suprema aeris regione, à vario ventorum afflatu fieri assolet: sed colore differunt, secundum regionis & dæmonum eiusdem dispositionem siue aqueam, siue aeream, siue igneam; Imo vero (vt magnum mysterium iam aperiam) quemadmodum nubes, & omnia alia meteora (quæ à philosophis imperfecte mista nuncupantur) ab oppositō seu contrario ventorum flatu, aerem appositione coagulando & condensando fiunt, in quibus aer condensatus est corpus, ventus, est spiritus, & anima impellens in spiritu immediate vecta, est dæmon seu angulus, ita etiā intelligendum est & colligendum, quod omnia composita seu perfecte mista, quæ à meteoris seu imperfecte mistis cōstituuntur, eadē habent interna agentia atq; patientia. Videl. ventū qui ex subtili aere, & luce seu fulgore angelico conflatus, vel in ventre nubis occultato, & more animæ suū spiritum & corpus impellente, inseruit, vel manifeste apparens atq; è nube visibiliter exiliens: Hinc igitur accidit, q̄ infinita in rerum natura inueniantur composita, quorum singulum cōtrarias in se habet naturas & proprietates ab inuicem diuersas, quoniā ille ventus sperma ipsius primarium virtute verbi producens visibile, ex oppositorum simul atq; collateraliū ventorū afflatu perficitur atq; permiscetur, cuius quidē sperma seu externum est aer visibiliter condensatus, at vero semen (quod est eius inuisibile internum) ex dæmonibus & spiritibus diuersis, & consequenter diuersarum naturarū atq; proprietatum, ortum est. Verbi gratia in opio vel papaueris succo sentimus naturā amaram, quæ de bile seu igne participat, at vero annodina eius dispositio est calori & igni contraria, vtpote quæ stupefacit, sensum aufert, & somnum mortiferum & profundum inducit. Vnde fit; vt flatus quidem Borealis eius meteori compositione prævaleat. Similiter fumitoriam obseruamus esse operatione frigidam & siccam, & tamen ipsam amaram esse gustu colligimus, vnde spiritus diuersorum ventorū seu elementorum ei inesse videmus. Hic etiam procedit mysterium proprietatis illius rei quæ occulta dicitur, videlicet ab internis istiusmodi formis dæmoniacis, quæ pro varia ventorum mistione in meteori compositione magis occulta, inscrutabilis esse videtur; Quod etiam videtur Cabalista confirmare in his verbis: *Est angelus tanquam inter Deum & naturam virtus media, à qua fiunt operationes in rebus, quas natura earum vel non faceret, vel sic faceret, quas alij prouenire dicunt à proprietate occulta, & alii quia tale.* Hinc (dico) rerum sympathiæ & antipathiæ ratio, mediante aere. Concludimus igitur quod ex quatuor ventorum afflatibus omnia fiant quæcunque sunt in cœlis & terris: Nam primus author est ipse Deus, qui agit diuerse in hoc mundo, & secundum proprietates suas in agendo varias, & varia ei nomina, non essentialia, sed à proprietate desumpta, attribuuntur: Nā tametsi multa de Deo dicantur nomina, non tñ nisi vnicum ei reuera appropriatur hoc est *Tetragnommaton*, vt testatur Rabi Moyses, vtpote quod denotat substantiā creatoris significatione pura, in qua nō est participatio, At vero eius nomina alia denotant rem cū participatione, ratione vel respectu operum seu actionū ab ipso in creatione effectarum: sic dicitur *Adonai* à sua dominatione, atq; per consequens causa gloriæ & honoris, vocatur etiam *Ehies* vtpote pater, seu *Cheten* quasi corona. Et *Hochma* h.e. sapientia, Et *Bina* h.e. prudentia, Et *Chesed* h.e. clementia, & *Geburath*, id est punitio, & *Tiphereth* quod est gratia, Et *Netreth* quod est Triumphus, & *Hod* h.e. laus, & *Iesod* hoc est redemptio, & *Malchad* quod est regnum. Vnde liquet, quod hæc sint eius quasi cognomina, quæ ei asctibuntur respectu earum actionū, quibus operatur hic in mundo. Atque per horum primum attributum videlicet *Cheten*, impluit Deus voluntatem suam immediate in ordines angelorum Seraphin, qui rem committit Archangelo Metattron, qui cum sit princeps primarius, in primum mobile infundit suam influentiam à quo inesse materiale rerum, hoc est aquam vniuersalem, mandato Cheten seu coronæ impluit: Secundum eius nomen cum participatione, est *Hochma* id est sapientia, quod voluntatem suam infundit in sphæram angelorum Cherubin, quorum influentiam accipit Archangelus Iophiel, qui eius mandata in cælū stellatum, vtpote illud inesse formale transfundit, & ita vitam dat cuilibet creaturæ. Tertium est *Binah* seu prudentia, quod virtutem suam in cælum Tronorum emittit, qui prudentiæ voluntatem Archangelo Zaphkiel committit, eamque hic fideliter angelis seu dæmonibus cæli Saturni commendat, qui virtute spirituum inferiorum mediante aere, ab iis huc atque illuc moto, finalem faciunt voluntatis Binach exequutionem, siue sit ad bonū, siue ad malum. Quartum est *Chesed* hoc est Clementia quod in orbem dominationum emittit decretum suum, atque hi iterum, illud iterum Archangelo Zadkiel commendant, qui illud in cælum Iouis transfundens, ab ipsius spiritibus fataliter in inferiora implui facit, vbi à Dæmonibus in ventis natantibus, iuxta Dei placitum in actum produci-

Reuelin. in Cabalist.

ducitur: atque huiusmodi influxus ad misericordiam & clementiam rendit. Quintum est *Geburath*, quod denotat punitionem atq; seueritatem, atq; hoc effectum suum in ordinem Potestatum transmittit, à quibus deorsum ad angelum Samael fertur, qui dæmonibus fatalibus Martis sphæram gubernantibus, illud committit: à quibus spiritibus Elementi ignis commendatur, qui in ventis mouentes accomplent seuerum numinis Geburath edictum. Sextum *Tripheretb* id est gratia ad virtutes, & illæ ad Archangelũ Michael, atq; hic rursus ad spiritꝰ sphærã solis occupantibus, atq; hi deniq; ad dæmones ventos Orientales frequentantes impluunt, qui gratiosa Tripheretb mandata exequi properant, Septimum *Netreth* in ordinem Principatuũ vim suam impluit (est autem Netreth idem quod Triumphus) qui illam Archangelo Hanael emittunt, atq; hic tandem eam in sphæram Veneris infundit, cuius dæmones, qui sunt dæmones Archangelo illi subditi, in angelos infimi ordinis, ventos Occidentales frequentantes, illam deniq; influunt: Octauum est *Hod* seu laus, & voluntatem suam commendat ordini Archangelorũ, qui causam Archangelo Raphael committit, atq; hic iterũ dæmonibus ei subditis qui sphærã Mercurii inhabitant, illam præbet, qui ad inferiora eam tandem impluentes, spiritibus Mercurialibus vndiq; in aere fluctuantibus, ventosq; & imbres incitantibus, tradunt, vt decretum Hod seu Elohim finaliter accompleant, Nonum est *Iesod* seu redemptio, quod deorsum in ordiné Angelorum mittit mandatum suum quod à Gabriele Archangelo spiritibus sibi subditis & Lunam habitantibus, committitur, à quibus fataliter ad inferiora impluitur, & ab Angelis venti Borealis exequitur. Decimum seu vltimum est *Malchal* seu regnum, quod in sphæram animarum transfundit decreti sui subiectum, & ab anima messiæ commendatur cælo & Elementis sublunaribus, quibus vinculo naturæ imperat, & spiritus malignos vel ligat, ne creaturis sublunaribus damnum afferant, vel punitionis gratia liberos ipsos reddit. Sed & hæc optime obseruari possunt, si planetæ recte intelligantur, qui ventis præsident: nam sol orienti præest, vnde eius intelligentia ei parti dominatur, videlicet Michael, cui etiam nonnunquam se miscet ob loci naturam Mars cum Angelo suo Samuele. Porro occidentalibus ventis collateralibus præsunt Iupiter & Venus: vnde Zadkiel & Hanael vim habent in ventis illius quartæ, sed Princeps loci est Raphael; Similiter Iupiter & Mars respiciunt Meridiem, non aliter quam illa & Saturnum eius oppositum, vnde Vriel qui habet Samaelis naturam ad dominium Iouis est ex parte occidentis, videlicet vbi Zephyrus spirat, similiter Luna & Saturnus septentrionem possident: vnde Gabriel qui est præses terræ lunaris & Zaphkiel, qui est dominus terræ Saturninæ huic Cardini præsident, Hanaelis autem Angeli Veneris gubernatio debet esse in illa parte, vbi Fauonius flat & spirat, atque inclinat magis versus Boream, nam Raphael (qui est angelus Mercurii) punctum seu cardinem in occidente tenet æquinoctialem. Similiter Lunæ Angeli dominium est inter humiditatem occidentalem & frigiditatem Borealẽ, vbi corus flat, vt Angeli Saturni imperium inter siccitatem orientis, & frigiditatem septentrionalem, hoc est vbi Boreas vel Aquilo spirat, ita vt polus Arcticus de natura vtriusq; participet, vnde tam niues quam grandines producit ille Cardo. Sic etiam videmus, quod polus Antarctcus de natura Iouis & Martis participet, vnde fit vt partim humida sit hæc quarta & partim calida. At Mars (semper Orientem appropinquando) fortior est in sua natura, vt Iupiter ab Antarctico ad Cardinem occidentalem vergens, gradatim viget in moderato frigore; nam maior vis frigida in Luna dominatur in Septentrione, vt eius humida natura libertate sua in meridie magis gaudet, ex quibus luculenter declarari videtur, quod Deus agit per ordinationẽ ordinationesq; immediate recipiunt Angeli, qui in cælo Empyreo astant coram Deo secundũ eandem naturã quam pollicetur illa Dei proprietas, à qua fit influxus, deinde per vnum ex illis angelis commendatur dæmonibus fatalibus cæli ætherei, à quibus tandem spiritibus Elementaribus siue beneuolis, siue maleuolis, secundum naturam nominis Dei committitur, & secundum naturam angeli planetæ prædominantis, à quibus immediate in mundum sublunarem impluitur, & ab huius vel illius venti aflatu ad exitum perducitur Creatoris placitum; Ita vt nihil inueniri possit in hoc mundo, quod ab aliquo angelorum Cardinalium non procreetur. Vnde factũ est vt ab aflatu Orientali dispositũ sit elementum ignis in mundo infimo, & Triplicitas ignea in Zodiaco mundi medii, & calor ex qualitatibus, & cholera ex humoribus, & Æstas ex anni téporibus, & iuuentus ex ætatibus, & animalia ex cõpositis, & animalia progressiua ex animalibus, & semẽ ex vegetabilibꝰ, & Mars & Sol ex planetis, & meteora ignita, & omnia, nõ composita tantum, sed etiam simplicia, natura calida & sicca. Similiter à vento Occidentali ordinatum est Elementum aeris in mundo sublunari, & Triplicitas aerea in mundo cœlesti, & humiditas ex qualitatibus, & sanguis ex humoribus, & ver ex anni temporibus, & adolescentia ex ætatibus, & vegetabilia ex compositis, & volatilia ex animalibus, & flores ex vegetabilibus, & meteora beneuola, qualia sunt ros & pruina, & omnia tam composita quam simplicia, quæ sunt moderate calida & humida, seu temperate frigida & humida: Posthæc à spiritu septentrionali constitutum est elementum terræ In cælo infimo, & massa Saturni & Lunæ, simul atque Triplicitas terrea in cælo medio, & frigiditas ex qualitatibus, & melancholia ex humoribus, & Autumnus ex anni temporibus, & decrepita Senectus, ex ætatibus, & mineralia metalla ex compositis & reptibilia ex animalibus, & radices ex vegetabilibus, & nix cum grandine & gelu ex meteoris, & omnia tam composita quam simplicia, quæ sunt extreme frigida & sicca. Denique à flatu seu vento Meridionali disponitur elementum aquæ in regione elementari, & triplicitas aquea in cœlo, & humiditas aquatica ex qualitatibus, & pituita ex humoribus, & hyems ex anni temporibus, & viridis senectus ex ætatibus, & mineralia lapidea ex compositis, & aquatilia ex animalibus, & folia ex vegetabilibus, & nubes ex meteoris aquosis, & omnia tam composita quam simplicia, quæ sunt humida & frigida natura-

raliter, ſed accidentaliter calida. Imo vero tam amplum eſt ventorum imperium, vt ad inferos vſq; ſe dilatet, cum ipſe Phlegeton, quod eſt ardens in iis flumen, vento Orientali infeſtetur, cocytus illo occidentali, ſtyx ſeptentrionali, nam vt Phlegeton igne flagrat, ſic ſtyx frigore riget, & Acheron meridionali ſubiicitur. Morbi igitur Phlegmatici à meridie fomentum ſeu pabulum ſuum accipiunt, Melancholici à Septentrione, cholèrici ab oriente, & morbi miſti ex ventis collateralibus, hoc eſt inter Cardinales ſitis, vel à ventis contrariis vnicum meteoron conflantibus. Vnde ſat aperte explicatur (vt mihi videtur) quam abſurdæ ſint Ethnicorum medicorum ſententiæ, volentes huius vel illius morbi cauſam eſſe pituitam, cholerã, vel melancholiam, atque exinde credere faciunt diſcipulos ſuos res ſuperficialiter cogitantes, quod ſi purgationibus aut ſanguinis miſſione aut diaphoreticis tales humores auferantur, morbi vigorem ceſſare protinus, atque ita in errorem ducuntur extremum, nam experientia multiformi inſtructi, ipſum morbum etiam ablatis humoribus prædictis, modo antea demonſtrato, in peius ire admonentur, non enim eſt humor, ſed ventus in illo humore, & ſpiritus, ſeu lux maligna, ſeu dæmon inſanus in illo vento deliteſcens, qui nihilominus expurgata pituita, vel cholera, vel melancholia, remanet, & ſe contrahit in particula interne occultata, & ſe iungit ita cum ſpiritu ſanguinis, vt ſine curatione occulta non eradicetur. Atque huius curationis ſpecies vel à vegetabilibus animalibus, aut mineralibus in oppoſito flatu conſtructis & creatis, & conſequenter ſpiritibus morbi autori contrariis perficitur, vel à planetæ & angeli ipſius operatione completur, qui Angelo illi contrariatur, cuius ſubditi ſpiritus ægroto nocent, hominesque morbo afficiunt. Atque in huiuſmodi curationis ſpecie verſati ſunt ſapientes veteres mediantibus ſigillis, characteribus, & incantationibus, ſeu verbis apto modo prolatis, quibus ægrotos ad ſanitatem priſtinam reducere ſunt aggreſſi, vti in morbis peſtilentialibus, Epilepſia, Paralyſi, flatu hypochondriaco, & huiuſmodi aliis videre fas erit, de quibus in ſectione ſecunda ſequenti ſcilicet, copioſius Deo volente diſcurremus. Hic enim ſolummodo lectorem admonitum eſſe velim, quod non pituita ſit in Epilepſia ſolummodo purgationibus & euomitionibus tractanda, quoniam praxi docemur, hæc parum aut nihil valere, quia natura ſpiritus in corpore deliteſcentis eſt huiuſmodi, vt vniuerſum nutrimentum conuertat in humorem ei magis conuenientem, vt primum dominiũ habuerit in ſpiritum hominis naturalem; ſic etiam in cauſis ſeu febribus peſtilentialibus, atq; cæteris febribus etiam intermittentibus videmus, quod ſi craſſa pituita & humor putridus euomitione vel purgatione hodie euacuetur, tamen craſtino die ventriculum adeo humoribus putridis refertum obſeruamus, ac ſi nihil materiæ die præcedente fuiſſet ablatum, nec purgatione huiuſmodi vtplurimum mitigatur morbus, niſi in eius primordio, dum malignus ſpiritus per nutrimentum introductus in ventriculo adhuc maneat, & per ſanguinis ſpiritum nondum diſpergatur, tunc enim temporis accidere poteſt, quod euomitione vel purgatione ablato humore nutrimenti in quo ſpiritus ille ſeu ventus malignus deliteſcit, cum humore & in humore (qui eſt eius receptaculum) è corpore eiici queat: Sed de his infra latius.

Caput IV.

De meteoris humidis ab Hepatis, ſeu meridiei microcoſmicæ flatu excitatis, & quod Angelus flans ab Auſtro habeat dominium in eum, ad conducendos ipſius flatus, vel ad ſalutem vel ad intemperiem morbidam.

AD polum vero microcoſmi antarcticum ſpiritus me ſpirat, & diſcurſus mei afflatum iam conuertit, qui vt in ſuo ſitu arctico opponitur, ſic etiam natura ac diſpoſitione ſua ei aduerſatur. Vnde fit, vt ventus vnus alterius ſolear curare & moderare intemperies, nam venti Boreales, dicuntur aerem ab Auſtro perturbatum, planum & clarum efficere & (vt Iſidorus affirmat) peſti quæ ab Auſtro prouenit, aduerſatur; porro quod Boreas congelat, Auſter diſſoluit, & viciſſim quod ab Auſtro diſſolutum eſt, illud rurſus Aquilonis ſeu venti Septentrionalis afflatu incraſſatur, atq; induratur. Vt igitur exemplum à polis mundi maioris capiamus, Lien ita ſe habet ad hepar, vt polus Septentrionalis ad meridionalem: non modo in ſitu ſeu poſitione, verum etiam in qualitate: nam vt ventus Septentrionalis obſeruatur eſſe frigidus & ſiccus, & complexionem terreſtrem poſſidere, ſic etiam Lien eſt terreſtris naturæ, vtpote melancholiæ receptaculum, & conſequenter vapores frigidos & ſiccos à ſua plaga in microcoſmum emittere teſtatur experientia: ex altera vero parte oppoſita, meridiem macrocoſmi aquaticam & phlegmaticam eſſe, atq; etiam in temperie ad caliditatem & humiditatem vergentem, quare & huiuſmodi conditionis ventos emittit, videlicet vaporoſos, vnde & pluuias in ſua intemperie perpetuas producit; Non etiam eadem ratione in microcoſmi loco lieni oppoſito, Hepate nempe, eaſdem conditiones & qualitates inuenimus, nam ſi auſter in ſua intemperie madidos procreat, & in mundo diſpergit flatus, pluuias cum tonitribus oriri experimur nonnunquam, videlicet quando Mars in illa quarta æquale cum Ioue dominium habet, videmus etiã quod Hepar ratione haud diſſimili ſi temperie mediocri afficiatur, vapores nebulis ſimillimos procreet, ſicut hyemali tempore iuxta flumina & ſtagna vapores ſeu fumos denſos procreari cernimus qui tum poſtea in rores & pruinas terræ vegetationi commodas conuertuntur, ſic enim in ſacris ſcripturis legimus, *terram vniuerſam in mundi principio* (antequam vlla pluuia in terram cecidiſſet) irrigatam, atq; ad commodam fertilitatem productam, idque nullo homine illam laborante: Virtute etiam huius temperiei Iupiter à meridie ipſam terram clementer irrigare, & madore ſalutifero reficere ſolet, quo terra ſalutifera & fæcunda fit, vnde dictum eſt, *terram viſitaſti & inebriaſti eam, & plurimum ditas eam, multiplicaſti eam riuo Dei pleno aquæ.* Quales autem ſint huiuſmodi pluuiæ,

Geneſ. 2. 6.

Pſal. 65. 10

Psal. 71.6. uiæ, describit propheta in his verbis, *Descendent sicut pluuia in vellus & sicut stillicidia stillantia super terrã*, nam tales pluuiæ temperatæ seu nebulæ vaporosæ in terræ & plantarum venulas penetrantes illam pinguem, & has fertiles & fœcundas reddunt. Eodem plane modo vapores & flatus huiusmodi madidi, in vniuersa corporis membra mediantibus venis diffusi, in sanguinem salutarem, & ad vniuersi nutrimentum ordinatum, conuertuntur, & huiusmodi est Hepatis secundum naturam flatus, qui in æquali eiusdem habitu consistit, vtpote qui neque est nimis calidus aut humidus, sed temperatus. At si vapores sint aquei nimis, & ob caloris hepatis defectum grossi admodum (quod quidem accidit, quando Hepatis status frigore sit impeditus, hoc est à temperie calida ad intemperiem frigidam vergant) tunc illi confestim in aquas stagnales condensantur, & illas hydropoſiæ species producunt, quas Anasarcam & Ascitem vocant: Non aliter quam spissior aeris vaporosi pars, mediante frigore hyemali, partim in plaga septentrionali, partim in illa meridionali, ob caloris imbecillitatem in pluuias grossas & ponderosas seu niues & grandines conuertitur, quarum copia in pluuiam conuersa, fontes & flumina, lacus & stagni implentur, & in terra inundationes & paludes fiunt, ita vt vel aliqua integra terræ portio hydropica fiat, venæque eiusdem aquis loco succi fœcundissimi turgeant, atq; huiusmodi aquæ vt plurimum ita fiunt in microcosmo vt copiosa pluuia in macro: quæ accidit propter concursum duorum ventorum oppositorum meridionalis scilicet & septentrionalis, aerem intermedium assidua oppositione in nubem condensando, & incrassando, vbi nihilominus Auster est prædominãs, & flatus ille hac de causa Australis dicitur, vnde & frigiditatem à septentrione, & humiditatẽ à meridie accipit, quæ simul iunctæ aqueam producunt naturam. De hac re, videlicet de nubium generatione, contra Peripateticorum opinionem amplissima *in tract. 1. lib. 7. & cap. 4 Physices nostræ historiæ* facta est mentiõ. Porro, si vapores sint leues & igneæ, sed non accensæ naturæ, catarrhũ generant calidũ & defluxiones acutas, hocq; sine febre euidente, at non sine sensibili intemperie calida: non aliter videmus in aere macrocosmico ab afflatis Australibus, & etiam Euro austro spirante, imbres in mense Aprili à media aeris regione copiose cadere, etiam terra ardore solis euidenti minime adhuc tacta; At vero, si cum coruscatione, fulmine, & tonitru eueniat, ventus huiusmodi Australis aerem inflammat, & æstuosos seu putridos producit effectus, sic etiã vbi fulgor Martialis seu biliosus in cista sellis microcosmi residens, ex plaga hepatica, cum vapore sicco euolat; aerem intermedium in ventriculo & visceribus fluentem desiccat, vitiat, & febres putridas hac ratione inducit cũ murmure & eructatione: Imo procreat vera Apostemata illa quæ phlegmona & carbunculi dicuntur, hinc inde videlicet ex pituita nimia assatione condensata, & ignea natura in eo conclusa in putulentiam reducta; At vero si flatus hic vtcunq; australis, sit à stella caniculari & eius dæmone gubernata; & præ-

Paul. Ephes. cipue à Marte ac suo Angelo Samaele: vel vt cũ sacris literis loquamur: à *Principe potestatis aeris*, quẽ Magi *Meuirim* vocant id est dæmonem meridianum seu spiritum æstuantem & furentem in meridie, tunc est ventus hic valde subtilis & magis siccus quam humidus, & de natura elementi ignis; Et huiusmodi est Euro-Auster

Genes. 41.6 de quo sic loquitur Moyses, *Ecce septem spicæ tenues & aduſtæ Euro*, Et huiusmodi flatus meteora ignita pariunt, Cuiusmodi sunt cometæ, lanceæ ardentes &c. Quibus in mundo minori respondent Pestis & febris petechialis seu pestilentialis, quæ à vento subtilissimo & calidissimo (ei simili qui in igneo elemento spirat) scaturire dicitur. Atque hinc accidit etiam quod apparentibus huiusmodi in suprema aeris regione meteoris, fames, pestis, & morbi Epidemici vt plurimum sequuntur. Arq; ratio in promptu est, videlicet quia dæmones ignei natura maligni, venti æstuantis efflatu liberi & fortes iam redditi, (nam spiritus ignei euitant ventos Boreales, vt & frigidi & aquatici Euri Austriue flatibus resistunt) & è carcere Æoli iam liberi, suo halitu contaminant aerem, & seminaria suæ contagionis, imo vero & seipsos vndiq; dispergunt in aere, imo vero se miscent cum spiritu, vel mediante alimenti succo, in ventriculum attracto, & tunc morbi peracuti esse solẽt, & diutius perdurant antequam morte afficiant, & fit cum sensu vel labore extremo, vel mediante aere per inspirationem in læuum cordis thalamum attracto, & tunc etiam nihil quasi sentientib. ægrotis, & satis bene se habentib. astantium iudicio, maculæ nihilominus Petechiales apparẽt, & subita peste moriuntur: nam in hoc casu cor atque spiritus in arteriis conclusi venenoso horum dæmonũ flatu contaminantur, atque ita partibus etiam naturalibus intactis, misere & quasi nescientes idq; confestim pereunt. Maculæ vero apparentes non ab orificiis venarũ, verum etiam ab illis arteriarum procedunt, quæ sunt iudicia euidentia spirituum vitalium infectionis: Causa igitur febrium pestilentialium & acutarum, sunt dæmones ignei & in vẽtis leuissimis & siccis inclusi: Nã reuera cum homo sit mundi filius, necesse est vt ipse de membris paternis participet atq; ab iis sustentetur, imo vero vt partes (quas homo à suo patre acceperit) iisdẽ in homine fungantur offic is quib. in eius patre, flat ergo ventus septentrionalis, flat Australis in mundo virtute spirituum, spirat etiam ventus in homine mediante dæmone mundano vel ad morbum, vel ad sanitatem; ventus igitur mundanus ab humano non diuiditur, sed quasi continui sunt ad inuicem, vnde dæmones in mundi ventos dominium habentes simul atque præsunt & insunt ventis microcosmi, nam tã infinitæ sunt huiusmodi formæ spirituales in aere, vt sint instar piscicolorũ infinitionis in mari magno natantis, nam à Philosophis imo vero à sacris literis spiritus mundi pro mari magno habetur, cuius portio si in nube contrahatur, & spiritus hi se etiam contrahunt, & cum nube visibiles in forma fulguris demonstrant. Sunt enim dæmones hi quasi formæ lucidæ, quæ pro venti natura pellunt aerem patientem pro suo arbitrio, vnde factũ est vt nubes obsernetur nubi occurrere, & fragore quodam alteram altera collidere, vnde tonitru exauditur, quod fit propter colluctationem turmarũ seu turbarum spirituum diuersarũ naturarum. Hinc nostræ opinioni astipulatur vt videtur Porta lucis in qua sic legimus, *A terra vsq; ad firmamentũ non est locus vacuus, sed omne plenũ formis, qua-*

quarum aliæ ſunt puræ, aliæ capaces gratiæ ac miſerationum, aliæ ſunt fœdæ & noxiæ, tentatrices & commorantes, & volantes in aere. At vero quomodo hi ſpiritus diabolici in mari mundi verſantes cum ſpiritu humano ſe miſcent, nos docet Arteſius iu claue maiori ſapientiæ vbi ita inquit, *ſunt quædam infirmitates in quibus ſe adiungit diabolus humore egrediente à ſuo temperamento, ac perturbante ipſam ſanitatem, & hoc maxime accidit infirmitatibus ex cholera prouenientibus, cuius cauſa eſt iſta, quia ſcilicet cauſa ipſius cholerę eſt calida & ſicca, vt ignis, Diaboli vero ſubſtantia ex duobus componitur, ex igne nempe qui eſt eius occultum ſeu forma, & aere qui eſt eius manifeſtum ſeu corpus, vnde fit, vt facile in morbo ex cholera Diabolus ſit præſens & ſeſe cum bili admiſceat, vnde ſequitur quod eius malignitas quotidie augeatur, quouſque anima recedat à corpore.* Hæc ille, ac ſi dixiſſet, quod ventus ſeu ſpiritus malignus igneus cum ſuo ſimili facillime iungatur, & ſuæ malignitate æſtuoſa temperamentum fabricæ deſtruat; Nam bilis nihil aliud eſt quam aer igneus vento quaſi Euro condenſatus, cui etiam ventus ille cum ſuis ſpiritibus bonis occultis ineſt, dum intra ſanitatis limites reſeruantur, at vero ſi malus ſpiritus ſeu dæmon æſtuans ſe permiſceat cum eo, ſtatim furens deuenit, & extra ſanitatis margines protinus euolat, corpuſque incendio Phaetonteo flagrat, atque marcore atque vrigine deſiccat.

Poſſum ego hoc in loco ventorum oppoſitorum flatuum effectus declarare varios, videlicet Septentrionalis & Meridionalis, id eſt Lienis & hepatis, Orientalis & Occidentalis, id eſt, cordis & vaſorum ſpermaticorum, ſimul atque viſcerum, Euri & Cori, ſeu Hypochondrii dextri, & vaſorum ſpermaticorum ſiniſtrorum, ſimul atque iliorum, Aquilonis & Affricæ, id eſt, hypochondrii ſiniſtri, & vaſorum ſpermaticam dextrorum atque inteſtini coli. Eſt autem ventriculus quaſi commune medium, per quod huiuſmodi venti contrarii ſic ſpirant, & ſpirando meteora conditione diuerſa procreant, vt eorum effectus tam ad infirmitatem vergant, quam ad valetudinem: Nam Borealis ventus, qui eſt frigidus & ſiccus, occurrés Auſtro, qui eſt calidus & humidus, ſperma ac ſanguinem in microcoſmo, ſeu nubes & aerem ſpiſſum in macrocoſmo producunt, exq; talibus mixta faciunt, eritq; complexio magis ad illam plagam tendens ſeu vergens, quæ dominium habuerit in regione aeris, hoc eſt qui fortius & per excellentiam flare videbitur, verbi gratia, ſi Auſter præualeat, diſpoſitionem magis humidam & ad pituitam ſalſam ſeu aduſtam vergentem facit, ſi ſeptentrio, tunc reddit ſpermatis vel nubis naturam ad flatum ſiccio rem & frigidiorem inclinatam, at cum humiditate quadam commiſta, quæ eſt eo magis viſcoſa, glacialis ſeu vitrea, quo maiorem habet venti ſeptentrionalis vim, & virtutem ſuper auſtrum: Atq; ita etiam ſe habet res in mundo humano. Ita vt varii obſeruantur eſſe huiuſmodi complexionis gradus ab oppoſitione horum duorum ventorũ, ſecundum maius aut minus vnius in alio dominium. Vnde ortum eſt quod ſi dæmones ſeu ſpiritus praui venti depreſſi, inuaſerint ſpiritum venti in natiuitate exultantis, & ſuper naturalem nati ſpiritum dominiũ habeant, tunc quidem conuertunt habitum illum naturalem vitæ ſanæ commodum in diſpoſitionem morbidam quam prę-ternaturalem vocant medici. Nonne videmus hoc idem in mundi aere accidere, quum ſcil. quandoq; ventus Borealis, vel Septentrionalis vel Corus, pellunt nubes à Septentrione Meridiem verſus, in oppoſita horizontis cuſpide ventũ contrarium Auſtrum videl. nubes contrariorũ dæmonum vehicula ſeu currus, contra venti Borealis in hæmiſphærio p̃dominantis nubes & flatus violẽto quaſi motu, rapi & vehi cernimus, vnde aer paulo ante placatus ſatis, & tẽpeſtate, & nubibus magnis nõ obductus, iã ſtatim tenebris & tonitru, & fulgore perturbatur, & vniuerſa hæmiſphærii natura p̃turbari p̃ternaturaliter atq; ægrotare videtur. Dicimus igitur q̃ ſtatus ventorum naturalis in ſpermatis cõpoſitione, ſeu potius in tempore quo aer ille attrahitur per inſpirationem, qui poſtea in ſemen conuertitur, erit nati diſpoſitio, ſecundum naturam dum hic viuit, & quod omnis ventus huius diſpoſitioni contrarius, aggrauabit ſpiritum nati, & luctabit cum eo non aliter quam ventus cum ſuo oppoſito in mundo maiori, atq; his ventis dæmones inſunt, qui eos pro & contra mouere ſolent. Infinita de harum rerum demonſtratione hic proferre poſſemus, ſed plenior huius rei diſcurſus, ſectioni huius ſecundæ deſtinatur. At vero verbo vnico iam dicam, quod huius rei veritas ab effectu comprobatur; nam venti borealis natura (vti antea dictum eſt) male ſanos Auſtri afflatus effectus curare ſolet, eius halitum putridum corrigere, madorem deſiccare, calorem frigore moderare, atque quicquid hic diſſoluere eſt aggreſſus, id ille ſtatim ligat, & congelat halitu contrario. Atque ita res ſe habet in lienis & hepatis in mundo minori afflatibus. Porro etiam, quia ſpiritus nati naturalis eſt ex parte venti prædominantis, ideo ſi dæmon aliquis venti oppoſiti illum inhabitet, illum vexat & eiuſdem dæmones oppugnat fortiter, atque hinc eſt, quod ſi quis Epilepſia afficiatur, ſpiritus ille malignus magis ſpiritum humanum affligere obſeruatur, quando ventus ille flat ex cuius eſt regimine & ſocietate. Hinc etiam eſt, quod tempore peſtis multi intacti euadunt, hoc eſt ipſi, quorũ ſpiritus naturalis eſt de natura venti morbo afficientis: quoniã cum iis dæmones nocentes ſunt familiares, ſic fœmina illa (*iuxta Galeni hiſtoriam*) quæ ab infantia ſua Cicutæ ſuccum abſorbere ſolebat, ab ipſo tandem intoxicati nequibat, cum tamen omnes homines afflatus contrarii dæmonum horum peſtiferorum rabiem perſentiant vſque ad vltimum ſuſpirium. Sed ad rem procedamus, ventus etiam ſubſolanus Orientis, qui flat contra Fauonium in occidente, eſt calidus, ſiccus & igneus, ſed temperato more, quia frigiditas Borealis mitigat caliditatem ſuã intenſam, & humiditas Auſtralis moderatur eius ſiccitatẽ igneam, vnde Angelus ſolis videl. Michael habet præcipuũ dominium ſuper iſtã quartam, qui eſt largiter vitę, hic vitę ſpiritui rectiſſime accommodatur, quippe qui in æqualitate conſiſtit inter extremam frigiditatem in ſeptentrione & humiditatem in Meridie, atq; hæc eſt ratio quod iuxta Tedaci Leui annotationem, Angelus Michael qui regit iſtam quartam eſt ex parte clemẽtiæ atq; miſerationum, & Sol, cui præſidet Michael, eſt fons vitæ, vt teſtantur omnes philoſophi, nam & eius

ventus etiam oppositus temperat flatus calidos ab hac plaga emissos, cui etiam Raphael (qui est medicina Dei) præest; vnde vt ventis orientis vitæ functionibus subiectum seu pabulũ assidue ministrat, in mundo, sic & ventus Occidentalis medelam exhibet morbis, qui valetudini opponuntur, nam & Raphael similiter est ex parte clementiæ, vti testantur Cabalistæ: cum viceuersa Gabriel qui regnat in quarta septentrionali sit ex parte iudicii & seueritatis, atque etiam Vriel mundum putredine afficit, morbosq; contagiosos à quarta sua Meridionali, regnante dæmone Meriri spirat: Vt igitur Deum vitæ & lucis Principem, & Diabolum tenebrarum & mortis autorem videmus, vt in hoc mundo bonum & malum reperimus, ita etiam in mundo ventos inuenimus, mediocriter bonos & malos. Sed ad rem redeamus, mixtio afflatus Subsolani cum illa Fauonii, producit complexionem in homine mensi maio similem, videl. mixtionem completam ex quatuor qualitatibus, nam caliditas cum siccitate Orientis amplectitur frigiditatem cum humiditate tẽperatam Occidentis, vnde sanguinea & salubris est producta in spermate aereo temperies & constitutio, calidum ergo innatum flat Michael à regno suo solari ab Oriente, & humidum radicale Raphael ab Occidente, vtpote Iouis nuntius: Est enim Raphael princeps Mercurii intelligentia, qui Mercurius est nuntius Iouis, vnde ex vtroq; afflatu temperamentum vernale seu æquale producitur. At vero ex temperamento Borealis venti & Austri morbida fit constitutio, quia seueriter agunt harum plagarum Angeli cum aere intermedio, vnde fit vt à vitæ sanitate sperma vtplurimum distet, propter innaturale bellum quod inter hos duos ventos factum est. Notare vero dignum est quod ille ventus qui dominium habet in sibi oppositum, prærogatiuam habebit & prioritatem in nati complexionem, verbi gratia si Boreas in Austrũ complexio erit magis frigida & sicca, seu Melancholica, si Auster, magis phlegmatica & aquea: Si Subsolanus in Fauonium erit illa magis calida & sicca, aut viceuersa frigida aut humida moderanter, & vernalis: Porro etiam, si in collateralibus ventis Affricus fortius spirat, quam Aquilo ei oppositus, complexio erit magis temperata humiditate quam siccitate, & tamen frigiditas Aquilonis moderatur caliditatem Australem Affrici; Atq; accedit hæc complexio ad naturam Iouis aliquantulum. At si flatus Aquilonis præualeat, erit complexio magis sicca & frigida, quam calida & humida, atq; huiusmodi complexio plerunq; producit melancholiam ex pituita adusta. Similiter Euro-auster flans aduersus Corum, & dominium habens; Cholericam producit naturam, quæ propter contrarios Cori flatus, morbos sæpicule bilioſos producit: At si Corus præsit in dominio suo, bilem procreat adustam & melancholicam.

Concludimus ergo, quod Deus producat hos omnes flatus in hoc mundo, vt secundum naturæ suæ Circulum tam ad generationem, vitam & sanitatem, quam ad corruptionem, infirmitates & morbos operetur. Atq; vt ad plagam Meridionalem (cui dæmonium, aeris princeps Meririm hoc est dæmon meridianus, & spiritus æstuans & furiens in meridie præest, quem Paulus ad Ephel. vocat *principem potestatis aeris huius*, de quo etiam intelligit sapiens, vbi dicit, quod *spiritus potentiæ & spiritus potestatis vel virtutis stabit contra impios; & tanquam procella seu turbo venti iactabit eos*) sermonem iam deniq; conuertam; Propheta Abbakuk verbis planissimis denotat modum, per quem Deus à meridiano suo flatu, meteora in aerem præternaturalia producit, quibus tam mundum quam ipsum hominem in sua ira ægrotare facit, verba eius sunt huiusmodi; *Iehoua opus tuum conserua, interea temporis notum fac, in commotione iræ misereri recordare. Deo à meridie veniente operuit calum decor eius, & laude eius plena fuit terra. Et splendor tanquam lucis affuit, cornuaque ad latus ipsius ei, quamuis ibi absconsio esset roboris eius, Anteiit ipsum pestis, & præcessit Antrax, & pedes eius, vbi autem constituit mensus est terram, vidit & disturbauit gentes.* Quod quidem & Propheta luculentius sic explanat, *Ne timeto à pauore nocturno, à sagitta volante in die, à peste in caligine seu nocte perambulante, à lue vastante in meridie, vel* (vt interpretatur Hieronymus) *à dæmonio meridiano, plaga non appropinquabit ad tentorium tuum, nam angelis suis præcipiet de te, & conseruabit te in omnibus viis tuis.* Per illum ergo Abbakuk sermonẽ videmus, quomodo Deus à meridie apparens, & properans fulgure & tonitru, atq; nube circunclusa, fecerit pestem & morbos contagiosos nuncios suos, quibus gentes ei rebelles perturbat; atq; etiam quod peculiarem suæ vindictę locum in terra assignauerit, vt non innocentes pro nocentibus flagellis suis lethalib. affligeret, per consequentem vero Dauidis affirmationem videmus, ꝙ ventus seu plaga meridionalis sit pestifera, & quod agens in eo sit dæmonium, quem Magi Cabalistici *Meririm*, seu dæmonium æstuans & furens in meridie vocant, & quod tam curantur ipsius spiritus venenosi effectus, ab angelis bonis, quam etiam mediantibus iis, spiritus humanus præseruetur cõtra illorum insultus, & per omnia vide quod in mundo maiori meteora (quæ præternaturaliter, & mote passionum seu morborum in mundo se habere, *Lib. 7. c. 1. Tractatus primi de Physica macrocosmi historia* explicauimus) ab afflatu diuino proueniant, vt capite sequenti latius ostendemus: Quare dicimus quod si homo sit mundi filius, atq; hic filius non modo partium suæ compositionis fabricam, verum etiam earum nutrimentum seu pabulum à parentis vberibus quotidie hauriat, sequitur inde, quod venti seu spiritus eiusdem tam secundum, quã præter naturam moueantur, ad motum spirituum & afflatuum sui parentis, à quo vitam, esse, & sustentationem habet, & consequenter, quod ægrotante parente seu nutrice, infans etiam de nutricis suæ almæ passionibus gustet, & participet, præcipue de illius flatibus qui spermatis (ex quo generatur) naturæ sunt contrarii: Nã si venti Borealis sit natura ligare & constringere illos spiritus, quos Auster dissoluit & liberos fecit, & per consequens aerem crassum & morborum patrem attenuare, materiam eius grossam constrictione à subtili separando: Similiter si viceuersa Austri natura sit eos humores dissoluere, & relaxare, quos Boreas constrinxit & congelauit, non est dubium, quin flante vno horum oppositorum, nõ modo alter ei positione & qualitate aduersus detrimentum patiatur. Verum etiam meteora eiusdem tam secundum naturam, cuiusmodi in ma-

Sap. 5. 24.

Abbak. 3. 2

Psalm. 91.

in macrocosmo est nubes & vapor, ad animalium & vegetabilium vitam sustentandam ordinatus, quam sanguis & sperma in microcosmo, & consequenter caro & fœtus ab iis procreati, patiantur venti contrarii insultus. Hinc ergo morbi, & tam corporis quam animi passiones, quemadmodum, è regione, flante vento naturaliter se habente reficiuntur animalia & conualescere solent: Atq; hinc erat Hippocratis & Galeni de ventis obseruatio, secundum quorum afflatum ab euentu instructi, moi bos tales futuros prognosticarunt, cum tamen nihilominus horum morborum & ventorum rationes seu causas internas ignorauerint.

CAPVT V.

Quomodo Deus sit spirituum princeps, & quod spirituum angelicorum proprietates variæ à variis Dei nominibus, ab actionum eiusdem in hoc mundo proprietate dependeant. Testimonia de dæmonum seu spirituum tam bonorum quam malorum cum in macrocosmo tum microcosmo spiratione seu actione. Et tandem ratio meteororum vtriusque mundi supernaturalium explicatur.

VT Deus est spiritus (à spirando) viuens, sic & ipse vitam atq; essentiam spiritibus suis spirat, atq; quatenus est Deus, dominium habens, tam in luce (vnde & Deus patens, & Aleph lucidū nuncupatur) quam in tenebris (vtpote qui Deus latens & Aleph tenebrosum) eatenus est Deus spirans per vltimum ad generationem & vitam, simul atq; sanitatem eiusdem tam temporaneam quam æternam, quæ saluatio dicitur, vt per primum ad creaturarum infirmitatem, & priuationem & languores. In proprietate ergo sua vltima à sapientibus & Rabbinis Hebraicis *Chesed* hoc est clementia vocatur, cui præest nomen Dei benignitate plenum El & Tiphereth seu gratia, respectu cuius proprietatis Eloah nuncupatur, quorum primum eius cognomen præcedit erroris seu peccati commissionem, videl. clementia quæ semper erat apud Deum ante vllum tempus, porro & *Iesod* appellatur hoc est redemptio, cui præest nomen *Sadai* per quod arguitur clementiæ & gratiæ diuinæ effectus, & vltimum in effectum producitur à peccati cōmissione. At vero in proprietate sua prima *Geburath* dicitur, id est punitio, cui præest Elohim Gibor: seueritatem arguens. Atq; etiā *Netzeth* seu Triumphus, & *Malchut* id est regnum. Vnde per primum vindicat se de inimicis suis seu rebellibus, per secundum victoria potita, victoriæ suæ Trophæum figit, & per vltimū victis malignis spiritibus regnat in secula seculorum in subditos seu creaturas suas. Vt igitur est spiritus in tenebris vagans, sic abscondit faciem à creaturis, & tunc propter illius faciei absentiam, spirat è tenebrarum regione flatus infirmitatis & mortis seu priuationis, at vero ostendente faciē suam sanitas & vita restituitur; iuxta illud Propheræ, *Creaturæ Deo abscondente faciem suam conturbantur, emittente spiritum suum respirant.* Sed hocà mundi primordio, videl. diuinam in mundo & creaturis spirationem tam ad vitam quā ad mortem, tamq; ad sanitatem quā ad morbum ordine huiusmodi sacrorum Bibliorum instantiis sic comprobamus, ac primum cum spiraculi benedicti, clementis atq; beneuoli testimoniis iam incipiam. *Psal.* 104. 29

Inprimis vt ad mundi creationem spiritus domini (qui à spirando dicitur) ferebatur super aquas, informans nigri abyssi substantiam deformem, sic etiam ad microcosmi fabricā, ficto ex puluere terræ eius externo, sufflauerat in nares eius vitæ spiraculum, quo factus homo anima viuens, q̄p autem hic spiritus semper, vsq; ad corporis & animæ disiunctionem permaneat, & vitæ functionem in eo spiret, ex sequentib. liquet, *Dixit enim Deus, Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, sunt itaque dies eius* 120. Nec quidem inerat ventus hic diuinus homini tantum, sed & omnibus aliis creaturis, quare alibi dixit Deus, *Efficiam vt veniat diluuium aquarum super terram, ad perdendam omnem carnem, in qua est spiritus vitalis infra cælum; quicquid in terra est, expirabit.* Et alibi scriptum est. *Spiritus Dei incorruptus ineſt omnibus.* Vnde etiam alibi dixit Salomon, *spiritus hominis & bestiæ & euentus eorum idem sunt, Vt moritur hic, sic & ille.* Sed & totum in hoc confirmatur. *Spiritus domini implet orbem terrarum.* Quod autem spiritus hic in mundo quoad nos sit quandoq; bonus, & quandoq; malus (licet reuera sit semper idem & permanens, quamuis vbi vult spirare soleat) vt ex multis sacri scripti locis colligere fas est iuxta illud, *Bona & mala, vita & mors, honestas & paupertas à Deo sunt,* In sensu autem meliore dicitur *spiraculum vitæ*: quo ornauit Deus tam macro quam microcosmum, macrocosmum dico, vnde dictum est, *creauit Deus cælum & terram spiritu suo increato: & spiritus Domini impleuit orbem terrarum*, & microcosmum, vtpote in quem inflauit Deus spiraculum vitæ, Atq; gratia huius spiritus dictum est, quod *creauit Deus vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes terrarum;* Vnde dixit etiam Dauid, *Animam meam quietam efficit Deus, vociferantem ad te curasti me, & eduxisti ab inferno.* Et alibi, *Emittente Deo spiritum suum reficiuntur eius creaturæ.* Et alibi, *Vitæ prolongatio est benignitas Dei.* Et alibi. *Per spiritum sapientiæ multiplicantur dies, & adiiciuntur homini anni vitæ,* Et propheta regius sic loquitur. *Si tu illustras lucernam meam Iehoua Deus meus, splendentes efficis tenebras meas.* Apud Iobum etiam legimus *Visitatio tua conseruauit spiritum meum.* Et Dauid dicit. *Quem visitauit Deus salute sua, fruetur bono.* At vero, in sensu deteriori dicitur hic malus Dei spiritus, vnde dixit sapiens, *Quin etiam vno afflatu cadere possunt à iustitia persequente, & ventilari à spiritu potentiæ tuæ.* Et alibi: *Spiritus potentiæ & spiritus virtutis stabit cōtra impios, & tanquam procella & turbo venti iactabit eos.* Porro alibi dicitur, quod *spiritus Iehouæ recesserat à Saule, perturbabatque eum spiritus Dei malus, seu spiritus malus à Iehoua, similiter percussit Diabolus Iobum vlcere pessimo, vnde clamauit ipse, spiritus meus est corruptus, dies mei extinguuntur.* Et alibi ait; *Extollis me in ventum, ei imponis me, & efficis vt defluam substantia.* Et alibi, *loquitur Deus in increpatione per dolorem in lectulo:* Vnde liquet, quod *Gen. 6. 3.* *Gen. 6. 17.* *Sap. 12.* *Eccles. 3. 19* *Sap. 1.* *Eccl. 11. 14.* *Iob. 26.* *Sap. 1.* *Sap. 1.* *Psal. 23. 3.* *Ps. 104. 29* *Psal. 90. 14* *Prou. 3.* *Psal. 18. 24* *Iob. 10. 12.* *Psal. 106.* *Sap. 11. 21.* *Sap. 5. 24.* *1. Sa. 16. 15.* *Iob. 2.* *Iob. 16. 23.* *Iob. 33. 19.*

Deus nominetur pro primo agente, tametsi reuera Diabolus eius minister, mandatum eius immediate exequetur. Hinc etiam inquit Dauid: *Vox Dei est in ira & in æstu aduersus improbos*: Et alibi. *Depluit super improbos, prunas, ignem & sulphur, spiritusque procellarum portio poculi eius.* Et in Moyse habemus, *Iratusque contra eam est Iehoua: Ecce Miriam apparuit candens lepra.* Et alibi, *Faciet Iehoua vt adhæreat tibi pestis donec consumaris, Iehoua te percutiet tabe calida & æstuante, ac adurente febre & siccitate ac vrigine &c. & percutiet te Iehoua amentia & cæcitate*, Et propheta regius dicit, quod *ira Iehouæ sit vt ignis consumens*, & alibi, *igne absumet Deus improbos.* Et alibi. *Effunde æstum in alias gentes*, Et Iob dixit, *Sagittæ omnipotentis in me grauiores, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.* Similiter dixit Deus: *Ecce, manus mea erit super agros & super equos, & super asinos, & super camelos, & oues & boues pestis valde grauis*; Ex quibus liquet, quod Iehoua hic nominatur, ac si hæc omnia fecerit immediate, cum reuera ipse ordinatione, & angeli eius mali tanquam eius ministri executi sunt voluntatem suam, vt in Iobi plaga declaratur. Similiter licet in eodem capite dictum sit, quod *deuastator domini cæderet omne primogenitum in terra Ægypti*, tamen posthæc in eo legimus, *Fuit autem sub mediam noctem vt Iehoua cæderet omne primogenitum in terra Ægypti*, Vbi ordinator & primus motor pro executore, & immediate in actum mouente, hoc est Deus pro suo ministro accipitur. Quod autem angelus seu dæmon sit spiritus, & quod spiritus sit ventus, & quod ventus huiusmodi operetur in aere alibi est dictum. Atque hic spiritus tam maligni quam boni motus, fit in aere vel manifeste, vel occulta spiratione. Spiratione enim tam manifesta & tempestuosa vsus est Diabolus, ad voluntatem Dei in Iobum exequendam. Vnde dictum est, *ignis Dei cecidit in pecudes, in pueros, & consumpsit eos*, vbi de tonitru & fulgure loquitur, Et postea, *Ventus magnus venit à plaga deserti, quo impetente quatuor angulos domus, corruit illa super pueros*, vnde in primo impetu Diabolus cui datur dominium in aere, se miscet cum fulgure seu fulmine & tempestate, ad voluntatem Dei exequendam, & in vltimo, aerem perturbat, & vento violenti fit quasi anima, aerem impetuositer ante se mouens. Vnde liquet etiam, quod Diabolus mouere nesciat, nisi à Deo moueatur, nam & ipse agnoscit, actiones suas esse opera manuum Dei; vnde dixit Satan, *Enimuero, mitte quæso manum tuam & attinge quæcunq; sunt ei, nisi in os tuum maledicturus sit tibi*; *Et respondit Satan Iehoua, Ecce, quæcunque sunt ei in manu, tua sunto*, Ac si diceret, fac tua mandata mea &c. Porro Diabolus nonnunquam spiratione occulta operatur. Atque huiusmodi eius afflatu secreto, mouebat spiritus gentes Sabæorum, vt Iobi pueros acie gladii percuterent, & vt Chaldæi irruerent in Camelos Iobi, vt caperent eos, & pueros eius gladio interficerent, qui ante huiusmodi afflatum seu motionem occultam non ausi sunt illud contra Iobum aggredi. Sic etiam dixit Deus, *Ecce ego indam ei spiritum, vt audito rumore reuertatur in terram suam.* Talis etiam fuit *spiritus mendacii, quem Iehoua indidit ori omnium prophetarum, regis Achab, Et spiritus Dei malus perturbabat Saulem*; quod quidem factum est permissione diuina: Nam tam propinqua est natura spiritus humani cum illa dæmonũ huiusmodi aereorum, vt facillime se iungat dæmon cum eo, eumque seducat, & trahat quo vult, nisi Deus hominis spiritum contra eorum insultus defendat, vnde inquit Satan ad Iehouam, *Nonne tu obsepisti eum, domumq; eius, & quicquid est ei circumquaq; &c.* Præterea & spiritus seu angelus bonus, per spirationem etiam tam manifestam operatur in aere quam occultam, Nam sic inquit Elisha ad Eliam, *spiritus Iehouæ auferet te nescio quo.* Similiter, *videndum ne forte spiritus Iehouæ sustulerit eum*, Et in Danielis historia legimus, quod *angelus domini* (qui & ventus atq; spiritus dicitur) *prehenderit Abbakuk vertice, & Babylonem portarit eum*, quod autem angelus sit ventus formalis, in præcedentibus satis aperte est dictum, Similiter, *Philippus Baptizato Eunucho, per aerem à spiritu transportatus est.* vt & *Christus à spiritu in desertum, ipsum tentandi gratia ferebatur*, Similiter, *vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & residentem super se.* Denique idem spiritus occulte spirat in spiritum hominis, ipsumque diuinitate inspirat, vnde dicit Samuel, *Spiritus Iehouæ locutus est in me*, sic etiam dictum est, quod *Spiritus Iehouæ esset in Iosepho*, & alibi, *quod spiritu sapientiæ plenus esset Iehosua*, & alibi, *Spiritus Iehouæ cepit esse cum Samsone in castris Dan, & benedixit ei dominus*, Similiter *spiritum Cyri regis excitauit Iehoua.* At iam tandem ostendemus, quomodo spiritus naturaliter in sanguine humano inclusus, passionibus tam bonis quam malis, secundum præternaturalium bonorum vel malorum spirituum accessus ad eum, patiatur. Quod autem ad passiones spirituum bonorum attinet, inprimis legimus, Quod *anima mea magnificat dominum, & spiritus meus gaudet in Deo saluatore meo*, hoc est in spiritu Dei delectatur & exaltatur spiritus meus, Et alibi, *quem visitabit Deus salute sua, fruetur bono*, Et alibi. *Benedicite populi Deo nostro qui restituit animam nostram in vitam*, & alibi, *Anima iusti attollitur ad Deum.* Et alibi, *Anima mea lætatur in Deo*, & alibi, *lætifica spiritum meum.* Et alibi, *Anima mea redi in requiem tuam, cum Iehoua sit beneficus erga te*, Et alibi, *Animum meum ad te attollo*, & alibi, *Spiritus non erat amplius in regina Saba.* Vbi anima pro spiritu sanguineo, in quo est vita, intelligitur, quæ omnes passiones à bonis spirituum Dei afflatibus inspirantur, in quibus passionibus cor dilatari dicitur, quemadmodum in sequentibus luculentius declarabimus, Porro, & spiritus humanus passionibus præternaturalibus mediantibus malis Dei spiritibus affligitur, In tali sensu loquitur Rex Dauid, *Spiritus meus obruit se in me*, Et alibi, *Spiritus meus consumitur in me*, Sic etiam Iob dixit, *Spiritus meus angustatur.* Et alibi dicit, *Virus sagittarum omnipotentis ebibit spiritum meum*, Et alibi, *Spiritus meus est corruptus, dies mei extinguuntur.* Et dixit Christus, *Anima mea tristis est ad mortem vsque*, Et Iob dicit, *Animam seu spiritum suum laniare stultum furore suo*, Et alibi, *Animum impii emollit Deus, & perturbat eum.*, Et alibi, *Anima mea est amaritudine affecta*, Porro etiam in eodem sensu dicitur, Quod *spiritum suum conuertat impius contra Deum fortem*, Quo etiam modo dicitur, Quod *Deus obdurauerit cor Pharaonis*, Et etiam spiritus hominum obdurat pro placito, Denique *spiritus malus Iehouæ dicitur Saulis vexasse spiritum*, quæ omnes animæ passiones in sensum peiorem accipiendæ sunt, vtpote quæ à maligno Dei spiritu, spiritui vitæ in homine acci-

Psal 2. 5. & 12.
Psal. 11. 5.
Num. 12.
Deut. 28.
Psal. 21. 10
Ps. 7. 8. 63.
Psal. 17. 5.
Iob. 6. 4.
Exod. 9.
Exod. 12. 29
1. *Reg.* 19. 7
2 *Reg.* 22.
1. *Sam.* 16.
Iob. 1. 10.
1. *Reg.* 18.
2. *Reg.* 2. 17
Act.
Matt. 4. 1.
Matth 3.
2. *Sam.* 18.
Gen. 1. 38.
Deut. 34. 9
Iudi. 13. 25
2. *Chro.* 26
Psal. 106.
Ps. 65. 8.
Ps. 25. 1.
Ps. 33.
Ps. 116. 7.
1. *Reg.* 10.
Psal. 142. 4
Psal. 143. 7
Iob. 21. 4.
Iob. 6. 4.
Iob. 16. 23.
Mat. 26. 38
Iob. 18. 4.
Iob. 23. 16.
2. *Reg.* 4.
Iob. 15.
Deut. 2. 29
1. *Sam.* 16.

accidunt; & in huiusmodi passionibus cor contrahi dicitur, vti infra latius. Est etiam alius animæ status, qui est magis mediocris, & esse interno proprior, & voluntati humanæ deditus. Atque hoc modo dixit Iob. *Spiritus meus alienus est factus vxori meæ*; atque sub hoc sensu intelligitur sermo, *spiritum suum conuertit impius contra Deum fortem.* Quandoque etiam accipitur spiritus in extracto & non quatenus in Concreto, atque ita scriptum est, *Spiritus Samuelis ascendit è terra, & alloquitur Saulem*; Et alibi, *Spiritum è corpore egressum reducere nescit homo.* Atque ita infinitas spirationis actiones, & varios earum effectus in microcosmo colligimus, quod omne à ventorum macrocosmicorum proprietatibus, seu afflatuum naturis atque ipsorum effectibus prouenire certum est, quæ omnia licet difficillimũ sit homini, explicare, (iuxta illud sapientis, *veri viam ignorat homo*, vt ignorat quæ via ossium in vtero grauidæ: ita ignorat opus ipsius Dei, qua via facit hæc omnia,) tamen facillimum est ex sacro fonte elicere, quod Deus sit fons ventorum & meteororum tam naturalium quam præternaturalium, & quod eius ministri spirantes sint ipsi angeli, quibus subiiciuntur infinitæ dæmonum legiones, tam bonorum ad benefaciendum, quam malorum ad malefaciendum & puniendũ, & ꝙ hi angeli mandata Dei inspirent in cælos, in Elementa, in terram, & quod cuilibet mundi plagæ eiusq; vento Cardinali, præsidet intelligentia quædam angelica, & quod mediante ventorum impulsu (qui vires suas à spiritu angelico sortiuntur) meteora, ignea, aerea, aquea, terrea, in mundum producantur, & quod huiusmodi meteora alterationes tam sanitati & generationi commodas, quam morbis & corruptioni cõducentes microcosmo afferant, & quod flatus spiritus microcosmici sequantur rationem illorum macrocosmi, tam in meteororũ naturalium procreatione, quam illorum præternaturalium productione: quarũ omnium spirationum origo & initium procedit à flatu spiritus nasi Iehouæ: vt testatur Propheta Samuel in hæc verba loquens: *Et concutitur ac mouetur terra, fundamenta cælorum commouentur, concutiuntur autem, cum ira accenditur ei, cuius descendit fumus per nasum, & ignis ab ore eius consumit, prunæ ardentes ab eo, & demittens cælum, descendit cum caligine sub pedibus eius, Et insidet Cherubinis, ac volat ac conspicuus est, super alas venti, & circumponit sibi tenebrarum tuguria, atrorem aquarum, densitates superiorum nubium, splendore, qui est ante eum, ardent prunæ igneæ; tonat è cælis Iehoua, & excelsus edit vocem suam, & emittit sagittas, quibus dispergit inimicos, fulgor quo fundit illos, conspiciuntur & imi aluei maris, reuelantur fundamenta orbis habitabilis increpatione ehouæ à flatu spiritus nasi eius.* Ex quibus colligitur, quod à flatu spiritus nasi Iehouæ in ira sua, primum terræ motus, & aeris vniuersi vibratio ac perturbatio oriatur. Deinde venti seu fumi per nasum eius, tum postea ignis consumens seu coruscans, ab ore eius est efflatus, atq; etiam prunæ ardentes seu fulmina. Deinde caligines seu nubes densæ & nigræ sub pedibus suis, & quod ipse Deus insidens Cherubinis seu angelis suis aereis, in & super alas venti volet, & quod nubes nigræ ab eius fumo in naribus ortæ, ipsum circumsepiant, quæ nihil aliud sunt, quam tenuioris aeris densitas atra. Vnde & dicuntur atror, & densitas aquarum superiorum nubium, hoc est, puri cæli aerei. Tum etiam tonitrua producit, cum sagittis eius & fulgure. Ac deniq; hiatus profundos in terra; vnde liquet, quod vis primaria, attribuatur flatui Iehouæ, secundaria Cherubinis seu angelis quibus insidet, Tertia ventis qui fumi sunt, nasi Iehouæ, super quorum alis volat & ipse. Vnde liquet, quod potestas Dei immediata sit in se ipso, vt & eius angelis, & angeli sunt in ventis & ventos producunt, nubes continent Angelos, Deum, & ventos seu spiritus inferioris naturæ, venti producunt nubes inspissione, & nubes emittunt coruscationes, & pluuias, & coruscationes producunt tonitrua, quæ fulmina concomitantur, atq; aspectu tandem domini in furore suo cælum & terra mouentur, & fundamenta terræ atque maris reuelantur. Quibus notabiliter explicatur gradus progressionis actionum ab ipso Deo actu actuum & fonte lucis, seu a simplicitate ad compositiones illas mixtas, quæ imperfecte mixta seu meteora dicuntur, quæ immediate in perfecta mixta cõuertuntur. At hic tibi lector admirabile mysterium enucleare volo; considerare nempe te volo, quod ipse homo sit nihil aliud, quam huiusmodi densa nubes in qua Iehoua Cherubinis insidet, & super alas venti, hoc est spiritus vitalis volat, vel vitæ flatum nobis spirat è naribus benigniter (vnde dicitur à Propheta) *Sol vitam & gloriã dans*; & alibi, *vita prolongatio est benignitas Dei.* Et alibi, *Beneuolentia prosequitur Deus populum suum, & salute sua.* Et alibi, *quem visitauit Deus salute sua, fruetur bono, vel in iracundia & increpatione loquitur & spirat in nobis*, vnde dictũ est, *faciet Iehoua, vt adhæreat tibi pestis donec consumaris, Iehoua te percutiet tabe calida & æstuante*, Et Iob dicit, *Extollis me in ventum, et imponis me, & facis vt defluam substantia*, hoc est, vt nubes mea corporea dissolutione conuertatur in aerem seu ventum, à quo ortum est inspissatione. Concludimus ergo, quod Deus inspiret angelis, angeli inspirent dæmonibus, dæmones informent ventos, venti producant meteora, tam salubria, quam insalubria, meteora cognatione quadam inseparabili, inficiunt aerem, aer est pabulum & cibus spirituum tam vitaliũ quam naturalium, per quem homo nutritur, qui assidue tam per inspirationem, quam mediante nutrimento, in corpus introducitur, introductus, illud vel bono succo, vel seminariis contagiosis implet, secundum venti à cæli cardinibus spirantis benignitatem, vel seueritatem, quæ ambæ qualitates à proprietatibus nominum Dei, quæ ei ab eius in mundo actionibus attribuuntur, deriuantur. Nam in sua natura quatenus est Chesed seu Clementia per Angelos Raphael & Zadkiel; sanitatem ab occidente seu temperie vernali spirat, vt & in natura Tipheret h seu gratia per Angelum Michael vitæ beneficium & beneuolentiam. At vero in sua proprietate Geburath seu punitione per Samael, & eius subditum Meririm pestes, & morbos contagiosos atque febres æstuantes à Meridie, & in dispositione Malchut, i. e. regnum & arboris detruncationis apud Cabalistas, per Gabrael quia (*teste Tedaco Leui*) seueritatem arguit in septentrione. Vnde morbi frigidi & stupidi inducuntur. Sed de his efficaciter in libro de causis morborum supernaturalium Deo faucnte, & luculenter disceptabimus.

Iob. 19. 17.
Iob. 15.
1. *Sam.* 28.
14.
Sap. 16.
Eccles. 11. 5.
Sam. 22. 8.
Ps. 90. 14.
Ps. 106. 4.
Deuter. 28.

CAPVT

CAPVT VI.

In quo depingitur & explicatur ventorum microcosmicorum Catoptrum seu speculum.

A. Cor.
B. Vasa seminaria.
C. Aorta.
D. Hepar.
E. Lien.
F. Ventriculus.
G. Diaphragma.
H. Vesicula Fellis.



SVbsolanus microcosmicus seu Cor (nam Cor est principium vitæ, vt sol diei) per Aortam spiritus vitales in occasum spirat, quæ Aorta radios suos lateraliter per ramulos ad meridiem & septentrionem dispergit, estque hic flatus vitæ ventus, quem Deus inspiravit in Adamum, Fauonius Microcosmicus, spirat à vasis seminariis ortum versus vapores sat benevolos, nam assimilantur rectissime vasa seminaria plagæ occidentali, vtpote in quibus sperma manet, quod nisi corrumpatur, nouam non inuestitur formam, nec resurgit: quemadmodum & sol occidens mori & extingui videtur, qui non diceretur in oriente resurgere, nisi prius occidisset. Præterea formam spermatis lucidam à Corde prouenire, vt splendorem seu fulgur occidentale ab oriente oriri infra declarabimus. Porro etiam, Fauonius flat ab intestinis vaporem benevolum, quem mittit per meatus suos tortuosos, mediantibus mesèraicis partim ad Hepar, & partim in ventriculum, quo ipse leuiter extenditur & ventilat.

Septentrio microcosmicus seu Lien, mittit flatus suos siccos, mediante ramo splenico ad Hepar, seu meridiem, mediante ramo primo & secundo Portæ, & vasi breui ad [illegible] calum quo illud extenditur; vbi humores congelat & incrassat, & mediante ramo quinto in medium Colon, & mediante sexto in gracilia intestina. Vnde hæc intestina morbis ventosis subiiciuntur, videlicet Colon Colico, & Ilion Iliaco. Meridies seu hepar spiritus naturalis fons, flat directe in Septentrionem seu Lienem, & pellit ante se sanguinem fuscum in illius plagam, non aliter quam Auster macrocosmicus nubes spirat caliginosas Septentrionem versus, quas septentrio dissipare solet ac depurare contrario flatu, vt Isidorus ait. Flat etiam hepar humidos suo vapores in ventriculum per primum & secundum portæ ramum, in Omentum per tertium, vnde & hydropesiam quandoq; parit, in intestinum colon, per quintum, in gracilia intestina, per sextum, atque si flatus huiusmodi sit densus & spissus, generat fluxum Hepaticum.

Corus participat de Septentrione & Occidente, quare partim à motu intestinorum, & vasorum spermaticorum; nam semen in viduis & virginibus corruptum hystericum procreat flatum, & partim à septentrione, propter ventositates, per quintum & sextum portæ ramum in intestina ab ea expiratas, procreatur, quia hic flatus contra Eurum, hoc est, versus illam regionem, vbi fel suum situm habet, flatus inducit Hipochondriacos, Colicam passionem & Iliacam, & huiusmodi alias, & propter repercussionem Euri, seu vaporis calidi & ignei fellis, Hipochondriacos, calore circa diaphragma, & viscera affigit: Eurus, qui est calidus & siccus, flat contra Corum à regione cistæ fellis, quæ in latere meridiei est sita, videlicet inter eius centrum & Orien-

Orientem, atque hic afflatu suo vel Cori spiritus inflammat. Vnde febres intermittentes, & morbi viscerum æstuosi procreantur, vel se miscet cum spiritu Septentrionali, cui valde est familiaris gratia situs, atque tum hepar ipsius afflatibus incenditur, eiusque spiritus calore Phaetonteo languet, vnde pestis & febres ardentes procreari solent.

Aquilo, qui est ventus participans de natura frigida Lienis & calore hypochondriorum, flat cruditates per venas in ventriculum & intestina dextra, facitque defluxiones frigidas à superioribus ad inferiora descendere. Africus sursum ab intestinis mittit flatus, qui premit diaphragma mediocriter, murmuraq; efficit in intestinis, nec non & quandoque colici doloris, & nonnunquam Iliaci est causa, præcipue, vbi Aquilo ei dominanti resistere obseruatur.

Caput VII.

De positione hominis secundum Pythagoræ, Platonis & Aristotelis doctrinam, & de ventis eiusdem Cardinalibus secundum eam.

SEd quia durus fortasse alicui & nouus videretur hic sermo noster, quo Lienem fecimus Septentrionem microcosmi, vt & Hepar ei oppositum Meridiem ipsius, quoniam Cordis sedes (vtpote supra mundi elementaris regionem) vix est credenda esse venti Orientalis initium. Porro etiam replicare possunt, quod in discursu hoc meo nimis sim arrogans, qui homines tantæ famæ & autoritatis, quales sunt Pythagoras, Plato & Aristotel. in suis opinionibus refellere, atque ipsorum doctrinam, plagam mundi Orientalem eius dextram partem constituentem recusare audeo. At vero huiusmodi sic obiicientibus respondeo, me in meo hominis ad rationem mundi situ, non propriam, sed scripti sacri sententiam fuisse secutum, quemadmodum in præcedentibus est explicatum; Atq; eo magis quoniam cum Lien de melancholia participet, quid aptius ad plagam Septentrionalem in homine à Liene comparari potest, quum illa sit frigida & humida, & per consequens melancholiæ mundanæ sedes, vt & Meridies eiusdem calida & humida est, instar massæ lecorariæ, vtcunq; tamen hoc certum & experientia comprobatum est, quod microcosmus suis fruatur plagis, & ventis cardinalibus, non aliter quam macrocosmus suis & quod illi hominis venti Cardinales à mundi flatibus gubernentur & secundum proprietates eorum vel valetudine vel intemperie afficiuntur. Nam si admitteremus positionem microcosmi ad rationem macrocosmi secundum sententias prædictorum philosophorum, inueniremus quidem, quod non multum discrepant cardines eiusdē ab intentione prædicta nostra. Sit ergo Oriens dextra hominis plaga, & consequenter eius plaga sinistra debet esse occidens, anterior Septentrio & posterior Meridies: Quod cum ita steterit, sequetur quod Hepar quartæ Orientali, & Lien Occidentali, ventriculus septentrionali & viscera seu intestina, & mare salsum vesicæ, & matrix in muliere meridionali respondeat. Nam inprimis Hepar, (quod est fons spiritus naturalis ad vitam & vegetationem conducentis) non inepte soli orienti comparari potest, qui reficit orbis terrarum creaturas suo aspectu, tingit hæmisphærium & aquas & terram eiusdem cum suis radiis; atq; ita etiam hepar radios suos tinctos ac rubicundos, mediantibus venis spirat in vniuersum corpus, cui vitam & vegetationem dat, similiter vt subsolanus directe in quartam Fauonii, ita etiam hepar spiritus suos emittit, per ramum Splenicum in Lienem seu splenem (qui est plaga microcosmi ei opposita.) Porro etiam Lien est in suo manifesto de natura occidentis, videlicet Caliginosus, frigidus, & limosus. At vero ad vitam conducit, vtpote qui dicitur à nonnullis sanguinem crassum depurare, atque etiam ad vitam & nutritionem conducere, vnde pro quarta occidentali haberi potest.

Ventriculum etiam haud obscure Septentrioni referre possumus, cum in ea materia & humores crudi & viscosi atq; spissi abundent, & frigiditas in eo dominium habeat per se, licet propter viscerum caliditatē calor in eo operetur. Atq; hinc est, quod licet Hepar sit calidum & æstuans valde ventriculum, nihilominus à frigore vt plurimum affectum obseruamus. Porro etiam post medicamenti vomitorii adbibitionem materiam valde viscidam & quasi aquam frigore congelatam exurgere & sursum ferri notauimus, idq; fere in omnibus. Vnde arguitur, quod pars hæc microcosmi non improprie ad septentrionem referri possit: Aut si non ventriculus, ponamus ipsam cerebri substantiam. In cerebro enim vapores australes seu à visceribus exurgentes condensantur in humores glaciales & viscosos, vti in Epilepsia, coriza & huiusmodi aliis morbis liquet. Viscera deniq; & intestina, atq; etiam Vesicam, & vterū in muliere; plagæ meridionali adaptare possumus, vtpote à quib. vapores madidi assidue assurgunt, imo vero & tēpestates ab ea parte oriri obseruamus, vt nubes, turbones, & tonitrua macrocosmi à meridie, à dæmone eiusdē æstuante & furente proferri solent: Hinc passiones Colica & Iliaca, hinc calculi renum & vesicæ lapidibus fulminaribus comparati; Hinc Diabolici illi morbi qui exagitantur à matrice, quorum mos est microcosmum præfocare, seu motum naturalē eiusdem priuare pro aliquo temporis spatio, ac si dæmon aliquis malignus fureret à meridie, imo vero & in vitis dæmonium Epilepticum hoc idem vel peius proferre aggreditur, ac vt plurimum cum matricis dæmonio se iungit. Porro etiam vt videmus Austri macrocosmici positionem esse sub terra, & consequenter flatus eiusdem sursum ferri, vt ait Isidorus, sic etiam se habet res cum ista quarta.

Quibus videre licet, quod etiam hac philosophorum positione microcosmi plagæ mundi minoris, ad illas maioris satis proprie adaptari possint; Et tamen si rem oculis magis acutis inspiciamus, in huiusmodi etiam comparatione dubia nonnulla sunt inuenienda, videlicet an ventriculi natura sit frigida & sicca, vt illa

Septen-

Septentrionis? Deinde an Lien sit frigidus & humidus, vt illa quarta Occidentalis? porro etiam quod Hepar sit calidum & humidum, contra quartæ Orientalis naturam quæ est calida & ficca atque ignea: Nam si hæc concedantur; magna accidet inter philosophorum sententias discrepantia; quo circa ad intentionem meam præcedentem me accingam; & constringam, quousque ratio mihi quidem liquidior se obiecerit, aut demonstratio probabilior me ab ea auocauerit. Nam vtcunq; res se se habet, hoc certum est & à nemine negandum quod variæ conditionis venti seu flatus in mundo microcosmico excitẽtur, qui de natura illorum mundi maioris participant atque oriuntur. Sed quemlibet microcosmi ventum cuilibet spiritui ventoso macrocosmi recte adaptare, & quamlibet vnius plagam illi alterius iuste ascribere, hic quidem labor hoc opus est: Quod quidem omnibus viis à nobis est tentatum, vtpote qui opertis oculis videmus morbos fere omnes tam maioris quam minoris mundi à ventis ortum suum ducere. Hoc vero in loco libellum hunc nostrum de Lienis & Hepatis mysteriis hic abrupte concludemus.

EPILOGVS SEV CONCLVSIO.

RES equidem admirabilis est aer seu spiritus mundanus, atque vltra captum humanum occulta, quem etsi philosophi Elementorum medium posuerint, tamen Hebræorũ doctores (in mysteriis formalibus admodum versati) aerem inter Elementa numerare recusauerunt, cum & ipsum voluerint esse quiddam in rerum natura elemento maius & arcanius, vtpote quod sit velut medium & gluten, formas superiores cum materiis inferioribus, hoc est cælum cum terra seu animam cum corpore connectens. Vnde & ipsum spiritum mundi instrumenti reboantem fecerunt, quippe qui omnia regionis supercælestis mysteria, & cælestium influentias, tanquam vniuersæ naturę sublunaris gremium, seu vterus communis, recipit, & eorundem portiones cæteris elementis & elementatis impertiue gestit. Est etiam illud speculum politissimum, in quo sapientes diuinam naturæ creantis imaginem, & angelorum, & dæmonum substantias, atque omnia in natura abdita prospexerunt, imo vero per ipsum spiritus hominum in locis longe dissitis inhabitantium, cum inuicem conferre, & sermone spirituali confabulari possunt; nam cum eo facillime se iungit spiritus viuentium, quippe qui de eius fonte prius emanarunt, & non aliter in substantia ab ea distant, quam gutta aquæ à sua massa; In huiusmodi ergo spiritu seu mari mundi spirituali, Angeli, dæmones, spiritus tam maligni quam beneuoli natant, non aliter quam pisciculi in mari materiali visibiles, qui motu suo violento mare hoc inuisibile perturbant & agitant, dum constanter de vna vel alia mundi plaga natant, atque hic quidem aeris motus nuncupatur ventus, ita vt primum agens in ventis sit angelus, princeps & dux, dominium habens in hanc vel illam mundi plagam, qui, (vt cum poetis loquar,) Æoli carcerem illa quarta aperiens, spiritus in eo retentos ad voluntatem Dei exequendam emittit, quorum motu violenter aer in partem mundi oppositam impellitur. Vnde strepitus editur vel maior vel minor secundum motus violentiam, vt in fluminis præcipitio obseruare fas est. Sic etiam in motu multitudinis halecum, seu aliorum piscium in mari, vndæ exurgunt, aquæque agitatio in illa maris parce excitatur. Vt autem Mercurius cælestis obseruatur ab Astrologis esse versipellis, & naturæ mutabilis, vnde promptus est ad naturam cuiuslibet planetæ, cum quo iungitur aut quem respicit seipsum appropriare, ita quidem est aer hic noster, qui reuera Mercurius noster sublunaris est dicendus, qui naturam suam secundum planetæ seu intelligentiæ in cælo prædominantis dispositionem mutat. Vnde quandoque calescit, atque elemento igneo adhæret, imo vero ipse inflammatus, est nihil aliud præter ignem seu elementum igneum, atque tunc huiusmodi suam proprietatem depromit à dæmone Orientali: quandoque est aer, & tunc in spirituali sua natura manet, quam haurit à Raphaelis myrotecio in Occidente, quandoque seipsum in naturam aqueam conuertit, caliditatem nihilominus igneam minime deponens, atque sic in nubes se condensat, & in pluuias & lachrymas se attenuat, & consumit, spirante sc. Vriele ab Austro & furente Meriri, tumultuoso illo dæmone ex pectore suo madido suspiria emittente ignea, & vocem tonitrualem edente, in quo casu cum duabus participat naturis, videlicet Martiali & Lunari. Porro etiam regnante Saturno cum Luna, vel flante Gabriele à Septentrione in terream', & duram atque ficcam conuertitur materiam, vnde in glacies, grandines, niues, & pruinas suam conuertit substantiam; Ex quibus videre fas est, quod aer cum suis dæmonibus se conuertat ad stellarum placita, stellæ cum suis angelis Archangelorum imperiis subiiciantur, qui stant coram Deo, quorum est nihil in hoc mundo perficere aut exequi, quod à Deo creatore lumino, & actu actuum, motusque & vitæ initio prius non ordinetur, qui vt est spirituum princeps, ita dicitur quod *spiritus vbi vult spiret, & vocem eius audis sed nescis, vnde veniat, aut quo vadat*; Nam vt alibi habemus *venti depromuntur à thesauris Dei*. Sequitur ergo, quod quatenus naturalis, & vitalis animalium spiritus cum sanguine permistus, sit de fonte aereo, & ipsi non aliter continuus quam radius Soli soli, aut spiritus Dei implens orbem terrarum suo fonti, eatenus ad motum aeris mundani & ipse quoque moueatur, quam pars à suo toto, & per consequens, quod spiritus in homine respondeant polis & plagis mundi, non aliter quam frustum magnetis mundi quartis, imo vero non aliter quam solus magnetis integri contactus, seu minimæ massæ magnetis portio huius mundi polos naturali instinctu conuerti non negatur, vti in instrumenti marini acu cernitur: Quid ergo obsecro soli in mundo orienti magis corde assimilatur? quid ei occidenti similius, quam eius per aortam in massam viscerum terrestrem descensus, in cuius fundo vasa seminaria ortum nouum parere se præparant, non aliter quam grana tritici

Iohan. 4. Iob.

tritici in terra sepulta, post eorum obitum atque corruptionem regenerari solent, atque resurgere. Porro vt spiritum Australem calidum & humidum, ad flatus tam naturales emittendos paratum obseruamus, sic etiam Hepar calidum & humidum esse in sua natura obseruamus & in sua temperie, atque etiam paratum, tam de salubri Iouis natura, (qua vegetationem dat vniuerso corpori, & per sanguinem naturalem nubeculas fulgentes & rubicundas producit,) quam morbida & præternaturali Meriris dispositione & Martis, participare; nam vt nulla est in aere macrocosmi quarta, quæ magis eam intemperie tam aquea quã ignea & seminariis contagiosis sufficiat, ita etiam nulla reperitur in microcosmo plaga, quæ plus morborum afferat corpori humano, quam Hepar, imo vero ventriculi, lienis, abdominis, pectoris atque etiam cerebri vitia, imo vero vniuersi corporis tabes, & calores præternaturales ab huiusmodi fonte promanant, soletne ventus Australis seu Meridies calorem innaturalem, seu igneos Martis spiritus cum suo humore permiscere? Et Hepar cistam fellis seu Elementum biliosum sibi ad spiritus vitalis & naturalis incommoda coniunctamne habet comitem? Pluuias ne producit Auster præternaturales, quibus fructus & animalia terræ detrimentum accipiunt, & ipsa terra inundationibus corrumpitur? Et Hepar suas producit Hydropesias, nec non & defluxionibus & catarrhis infestat corpus humanum, Spiratne Nothus suspiria æstuosa & fulminea, pluuiis permixta à sua quarta? Et Hepar sua intemperie dæmone igneo occulte cum spiritu naturali se permiscente febres malignas & putridas, in quibus regnat pituita & cholera, excitat in corpore, nec tamen dicimus, quod pituita seu cholera sit in causa illorum morborũ, sed mali spiritus, spiritũ naturalem in dispositionem præternaturalem peruertentes, à cuius actione huiusmodi humores accumulantur in corpore humano, vtpote proprietati suę magis conuenientes, & fortasse praui huiusmodi spiritus à talibus humoribus fouentur & reficiuntur. Denique solet ventus meridionalis producere mundi inferioris refectionem afflatu suo beneuolo, & pluuiis suis tempestiuis, quibus plantæ reficiuntur, herbæ crescunt, & semina naturali progressu multiplicantur. Et ipsum hepar bene & naturaliter affectum hoc est naturali suo dæmone conductum, & à spiritu alieno ei opposito, præter naturæ leges & limites in sua actione innata, minime seductum, hoc idem præstare solet, videlicet chilum in sanguinem bonum transmutat, & totius nutritioni aptum & commodum, qui tum postea ab ipso per vniuersam terram humanam mediantibus venis disseminatur, vbi per appositionem, vnionem, & assimilationem, in carnes conuertitur, atque ita hominis externum sustentatur, & in suo esse continuatur.

Quid denique in homine parti mundi Septentrionali est ipso Liene similius? Cum, vt plaga ista Borealis, sit frigida, & sicca, terrestris, constrictiua, & cruditatum plena, ita etiam & Lien obseruatur esse terrestrior viscerum pars, complexione frigida & sicca melancholiæ sedes, & substantiæ grossæ & limosæ receptaculum. Porro videmus, quod ventus Aquilonaris seu polaris flatus emittit frigidos & siccos, quibus Vapores ab Austro collecti dissipantur, & substantia aquea in glaciem, niues, atque grandines reducitur. Eodem plane modo & lien vapores illos seu flatus terrestres & melancholicos excitat & spirat, qui ob siccitatem ipsorum ventositates hypochondriacas proferunt, & violentia eorum instar borealium, mediam aeris regionem prementium, diaphragma more dolorifico distendunt, cælum microcosmicum disturbant, ac si dæmonia terrestria contra Deum Cœlorum & creaturas eius ad instar Titanorum conspirarent. Atque huiusmodi etiam spirationibus congelantur ventriculi aquositates tenues, & in materiam viscosam atque vitream contrahuntur. Porro etiam vt Boreas nubes caliginosas atque densas excitare solet, in quibus dæmones igneise miscent, & tonitrua horrenda excitare percipiuntur, ita etiam nonnunquam Venti à Liene emissi calore igneo & vrente permiscentur; vnde passiones hypochondriacæ vrentes & cum intenso calore centrali, quarum effectus Mania Lycantropia & furores igneiac melancholici, sequuntur, cum rugitu, murmure & eructationibus continuis, vti res sese habuit, cum illo dæmoniaco, quem Christus per dæmonii illius furentis eiectionem, tandem liberarit, de quo sic scriptum est, *occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo transire posset per illum locum.* Matth. 8.

Ex quibus manifestum est, quod in omni morbo de quocunque fuerit elemento, & per consequens à quocunque vento, à venti illius dæmone seu spiritu maligno excitetur, qui siue per alimentum, siue per inspirationem se miscens cum spiritu sanguinis, (nam *in sanguine est anima seu vita*, vt testantur sacræ literæ) ipsum à naturali sua obedientia & officio alienat, & contra motum Genii sui naturalis ipsum ducit, præstigiis suis eum fallit, & secundum appetitum suum maleuolum vitæque aduersum ipsum flectit, in eo contagiosa sua semina seminat, ex quibus nihil nisi fructus præternaturalis & corrupti effectus metuntur, nisi à spiritu fortiori propulsentur eius insultus, & spiritus hic naturalis ita seductus intemperiem suam pristinam virtute venti contrarii reducatur: Hinc ergo liquet, quam longe vulgus à veritate aberret, qui causam morbi docet esse pituitam, choleram, melancholiam seu sanguinem corruptum, inde materiam abundantem pro forma peccante iudicans, atque ita ignotum per ignotius nobis proponens, ac si aeris vel aquæ vel terræ portiuncula, aliquid boni vel mali perpetrare posset, nisi ab agente occulto & latente intrinsecus ad hoc vel ad illud impellatur: Sic quidem improprie dictum est, lutum hoc vel illud foramen obturasse, ita vt nullus respirationis locus in vase relinquatur, non autem ipsum hominem obturantem. Vnde tametsi lutum illud auferatur, & foramini iter aperiatur, in obturantis potestate est sine impedimento illud iterũ obturare, non aliter etiam accidit in morbis ab obstructionibus prouenientibus, & à bile adusta excitatis, vbi obturans est spiritus malignus, præternaturaliter materiam aquæ, vel pituitæ inspissatione præparans, quo melius sua viscositate & densitate oppilet meatus, ni spiritus naturales in suam obedientiam pristinam reuertantur. Vnde

factum est, vt purgationibus vel medicamentis vomitoriis ablata pituita illa obturante, & meatibus meseraicis patefactis, patiens confestim melius se habere pro temporis tantillo videatur, at vero quoniam primum agens non eiicitur, sed aranea (vt ita dicam) venenosa intacta maneat, tela, muscæ id est spiritui naturali infesta, iterum ab aranea retexitur, id est luto pituitoso meatus iterum à dæmone maligno obturatur, quo spiritus in hepate & venis incluſus, venenato ipsius halitu facilius inficiatur; Nam videmus etiam in meliore statu sanitatis permanente homine, tam pituitam, quam choletam atque melancholiam spiritui naturali seu genio, à natiuitate hominis vitæ adiuncto esse subiectam, in quo quidem statu perpetuo maneret, nisi à spiritu seu dæmone alieno & Genio seu Natiuitatis dæmoni aduerso seduceretur: Atque istius cacodæmonis natura & proprietas in eo cognoscitur, quod conuertit actionum suarum dispositionem magis ad elementum ignis, vel aeris, vel aquæ, vel terræ, ex quibus etiam venti eum producentis naturam elicere fas est; Nam oriens igneos spiritus emittit, Occidens aereos, Septentrio terreos, & meridies aqueos, quibus obediunt humores, Cholera, sanguis, melancholia & pituita, Atsi humor in morbo prædominans obseruatur de duplici natura participare, credendum est quod spiritus malo afficiens, à vento aliquo collaterali, vel cardinalibus interposito proueniat, verbi gratia, si à pituita aduſta & cholera ab Euro-austro, si à pituita cruda sed densa, & cholera aduſta, à Vulturnio, hoc est, in quo pars Borealis flatus ruica quæ est frigida, & altera subsolani, quæ est calida, adest. Si pituita cruda sed non defusa cum pauxillo calore innaturali, Affrico, qui participat de flatu Austri, & illo Fauonii. Porro si melancholia cum pituita iungatur, Coro eum attribuimus, ita videmus quod spiritus lædens videatur de duplici natura participare: Atque hic denique obseruare debemus, quod natura horum spirituum malignorum sit; omnem nutrimenti tam potabilis quam solidi succum, in humores naturæ suæ magis conuenientes reducere, quemadmodum in febribus putridis, Epilepsia, & huiusmodi morbis aliis, videre atque animaduertere fas est; vnde ortum est, quod si materiæ onerantis aut peccantis portio hodierno die medicamentis auferatur, crastino tamen die ventriculum meatusque occultos ita eodem humore redundantes percipiemus, ac si nulla eiusdem portio die præcedente fuisset imminuta. Sed de his suo loco liberius atque vberius verba faciemus.

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARTIS III.

LIBER SECVNDVS

IN QVO VARIA AERIS MICROCOSMICI SPIRATIO, SEV MYSTICA sanguinis Anatomia proponitur.

CAPVT I.

De spiritus mundani Anatomia, & quod ratio mystica sanguinis tam naturalis & vitalis quam animalis ex spiritu aereo depromatur.

CVm tritum sit hoc atque comprobatum, à Mercurii Trismeg. ore haud inconsulte profusum: *Hominem videlicet esse mundi filium, vt & mundum Dei genitum*, non absurde quidem sequetur, ipsum hominem à spermaticis mundi partibus, seu purissimis eiusdem elementis simul mixtis procreari, non aliter, quam filium à parentum semine seu spermate originem suam duxisse neminem vtcunque saruum latere existimamus: Quod autem sperma hoc quæ est visibilior pars seminis, sit nihil aliud, quam sanguis venalis depuratus, vt & semen (quod est spermatis pars inuisibilior, se habens ad sperma vt anima ad corpus) ex sanguine arteriali originaliter profusum sit, alibi est dictum, & sermone quidem latiori inferius Deo volente annuntiabimus. Cumque humor sanguis simplicissimus, sit nihil aliud quam elementum aeris in mundo maiori concoctionibus variis in sanguinem animalem transmutati, operæ pretium fore existimamus, de secreta aeris mundani dispositione verba facere, & partium eiusdem secretarum, Anatomiam verbalem instituere, vt hoc modo cognito principio, ad meliorem principiati intellectum perueniamus. De aere atque cæterorum elementorum exordio, & quomodo mediante verbo diuino in suo esse fuerint producta, satis superque in historia nostra macrocosmica explicatum censeo, similiter de spermatis & seminis inter se differentia, ipsorum ortu, & in generatione actu, in microcosmi nostri tractatu mentionem & quidem satis copiosam fecimus. Hoc tamen in loco aliquid ad hoc nostrum institutum pertinens, & in primis necessarium addam, quo melius sanguinis origo, natura secreta, atque mysteria admiranda in eo contenta eliciantur.

Dicimus ergo, quod strictissima sit inter aerem macrocosmi, & sanguinem venalem seu naturalem relatio, cum ambo sint elementa in regione vtriusque sublunari comprehensa, & quatenus sanguis ab aere non aliter producitur quam filius à patre, vt infra declarabimus. Dicimus etiam, quod idem sit inter sanguinem arterialē seu vitalem respectus, vtpote qui ambo tum de media seu cælesti vtriusq; mundi regione existunt, tum etiam quatenus sanguinis illius pater est spiritus æthereus, vt sanguinis inferioris genitor erat spiritus aereus. Istiusmodi nostræ opinionis certitudinem confirmat nostra tam de Elemento aeris doctrina, quam quinta in pane seu tritico essentia, vt ex iis patet quæ *in libro tertio, De Nutrimenti panis Anatomia* satis explicata habemus: Et certe si rem paulo accuratius exploraueritis, inuenietis, ipsum aerem seu cælum sublunare, ab æthere seu cælo superlunari in nullo omnino præterquam in grossitie seu tenuitate, seu mixtione differre & puritate, cum spiritus vniuersus mundanus sit idem in essentia, at vero ipsum in se diuisum quoad nos, vel in eo quod nos existimamus, quippe qui in vno loco spissior, in alio vero tenuior & purior esse obseruatur, quod quidem inde prouenire dicitur, & à nobis alibi confirmatum est, quoniam scilicet lucis præsentia (cu-

ius est aquas seu spiritus mundanos informare) plus in vno loco reperitur quam in alio, at lucis virtutes sunt tres, videlicet prima ineſt in eius centro, atque hæc vis est illa originalis, effectu cuius lux primum è tenebris effulsit, est igitur hæc virtus spiritus ille, qui ferebatur super aquas, vim quidē igneam iis impertiens, imo verō & anatomiam qua similia similibus procreantur: in centro ergo lucis est spiritus ille diuinus Elohim super aquas alatus, omnia agens, seu verbum illud mirificum omnia creans, iuxta illud D. Petri dicentis,

2. Pet. 3. v 5 Quod *cæli erant prius, & terra de aqua & per aquam consistens Dei verbo*, & vers. 7. *Cæli autem qui nunc sunt & terra, eodem verbo repositi sunt*, Secundaria eius virtus est motus, Est enim lux, re omni mobilior & in motu suo velocior, vtpote in cuius centro spiritus sapientiæ Sanctus seu verbum regnat in secula seculorum, secundū hoc

Sap. 7. 24. Sap. c. 7. 24. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia, attingit enim vbiq; propter suam munditiem*, Atq; hoc vrgens est contra illorum opinionem, qui vel solem immobilē, vel cæli Empiræi substantiam fixam esse posuerunt: Tertia est ipsius motus luciferi effectus, qui est calor, cuius proprietas est aquas æqualiter per vastam mundi cauitatem vndiq; dispersas, in portiones tenuitate & spissitudine æquales diuidere atq; distinguere, sic ergo à primordio procreata sunt mundi elementa distincta, sic dispositiones cælorū seu sphærarum mundi cælestis ordinantur diuersæ atq; differentes: non enim differt lux vniuersalis ipsius mundi quæ est purissima essentia, à creatoris præsentia, vtpote quæ est emanatio purissima à maiestate diuina, vbiq; præsens & semper, iux-

Sap. 7. 25. ta illud sapientis, *Sapientia est vapor virtutis Dei, & emanatio claritatis omnipotentis Dei, synceram omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & vbiq; propter suam virtutē attingens*; hæc ergo Dei in mundi spiritu emanatio dicitur lux, quæ nihil aliud est, quam mixtio primordialis ex forma Deiformi, & materia aquarum informata, ad quam ergo tam diuina & increata, quam naturalis & creata natura concurrunt: At vero quoniam in locis nonnullis magis abundat actus istiusmodi quam in aliis, ideo etiam minor obseruatur effectus eiusdem in vno loco quam in alio, parcior inquam in cælo mundi sublunari, quam in cęteris duobus eminentioribus. Vnde propter lucis & eiusdem effectus inopiam, res istius mundi elementares mutationibus sunt magis obnoxiæ. Hinc ergo istam mundi regionem *in harmonia mea mundana* consonantiæ Diatessaron comparaui, quæ est cōsonantia imperfecta. Simili plane ratione cælum æthereū seu medium est illo Empireo grossius, vtpote quod minus lucis beneficio fruitur quam Empyreum; nam tantū habet eius substantia de materia aquarū, quantum lucis sibi vēdicare videtur, quippe quæ de æquali cæli sublunaris natura aquatica, & super cælestis substantia ignea conflatur. At vero hæc regio respectu infimæ dicitur perfecta, & ipsum hac de causa consonantiæ Diapente retulimus, quæ est consonantia minus perfecta, respectu Diapason, quæ ad cælum Empireum respectu eiusdem perfectionis relata est; Hoc ergo in causa est, cur infima mundi pars, centro terrestri proxima, densior & spissior esse obseruetur quam media, atque iterum mediam à suprema per eandem proportionem differre arguit rerum naturalium ordo ac dispositio, quæ trutinis naturæ iustis ponderari solent.

His igitur cognitis, obseruandum est, idque diligenter, quod aer est spiritus eiusdem naturæ cum æthere, & æther iterum in sua substantia & essentia cum spiritu Empireo seu igneo: non inquam substantia differunt, sed forma lucida discrepare videntur. Vnde & infima spiritus materia est suo superiore densior, tenebrosior, & frigori subiectior; quoniam quo magis distat lux, eo etiam minus abundant eius effectus, at effectus eius sunt motus & calor; At vero tardius moueantur inferiora quam superiora, quia crassiora apparent, & crassiora ideo existunt, quia minorem caloris quantitatem possident, cuius est crassa subtiliare, atque perfectam ad puritatem impurum reducere. Aer igitur (qui ab æthere seu spiritu Empiræo non differt nisi in eo, quod in auro seu fulgore diuino non ita abundat, hoc idem præstat terræ, quod æther stellis tam erraticis quam cælestibus, & Spiritus Empireus seu intellectualis angelis & animabus, Aeris ergo anima viuificans est lucis diuinæ portio sesquitertia, quæ ad vegetationem inprimis ex sua natura originali conducere obseruatur: At vero portiones ætheris in ipsum influxæ & in ipso tanquam in vehiculo densiori natantes, vitam creaturis præministrare solent; non aliter quam angeli atque animæ in spiritu empyreo se exultantes, deorsum voluntate diuina descendentes, fecerunt spiritum æthereum vehiculum suum proximum, non aliter quam spiritus æthereus influentiis tam cæli angelici quam illius stelliferi plenus, aerem sinum fecit receptaculum.

His igitur debita ponderatis contemplatione, aerem non modo spiritibus primi cœli intellectualibus (angelis nempe & animabus centrum spiritus cuiuslibet verbi diuini sedem circundantibus & in cœli empiræi portione viuentibus, abundare) verum etiam influentiis stellarum, fatique dæmonibus, portionem ætheream onerari, ac tandem dæmonibus inferioribus, seu Luciferi sociis ipsum aerem & partes sublunares voluntate Dei frequentantibus, intumescere videbimus: Hac inquam ratione aerem videmus esse receptaculum, inprimis spiritus diuini, in centro naturæ se contrahentis, qui est principium increatum, illud scilicet, mediante quo Elementa prius informantur, & ad hunc vsque diem in suo esse continuantur, sine cuius præsentia omnia ab actu in potentiam, à luce in tenebras, à rebus exi-

Ps. 104. 29. stentibus ad nihilum & deformitatem reducentur, iuxta illud Prophetæ, *Deo abscondente faciem suam creaturæ conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, emittente spiritum suum recreantur.* Deinde cœli Empyræi intelligentias recipit, cum spiritus illius cœli portione, mediantibus quibus Deus à centro mouens in causa est, vt intelligentiæ istæ, intellectum & rationem hominibus impertiant. Tum postea influentiarum cælestium in spiritus ætherei portione natantium, ac vitæ spirituum est capax, ac tum postea animam suam propriam ab his omnibus accipit, mediante verbo in aeris meditullio imperante, in sua sphæra circula-

culatur. Est ergo in hoc spiritu mundano naturaliter affecto, sapientiæ fructus à cælo Empyræo, vitæ pabulum à cœlo æthereo, vegetationis actus à cælo Elementari, cuius summa vis in aere consistit; A portiuncula igitur spiritus intellectualis statuitur ratio in regione summa ipsius hominis, ab illa ætheris procedit vitæ ipsius virtus in Thorace constituta, ab illa denique spiritus sublunaris, facultas naturalis animæ vegetatiuæ initium suum habet. Natura ergo aeris sublunaris, est sanguinis venalis seu naturalis origo, Natura ætheris influentiis referta in sanguinis arterialis essentiam transformatur, Natura spiritus Empyrei seipsam in tenuioribus spirituum animalium myrotheciis recondit.

Caput II.

An sit verisimile, quod substantia aeris grossi, in sanguinem venalem, ætheris cum aere in sanguinem arterialem, & illa spiritus intellectualis cum ætheris portione in spiritus impluantur, Et quomodo id præstari queat.

QVod autem aeris (condensatione facta) in sanguinem transmutatio, sit in rerum natura possibilis, ex eo patet, quoniam sanguinem à media aeris regione, more pluuiarum effundi, aquasque in sanguinem transformari non modo apud authores fidedignos habemus, sed etiam hoc idem testatū in sacris scripturis; ex quibus constat, quod *sit in naturæ potestate, hoc idem ad culmen atque exitum perducere*; At quid hac in re est magis euidens, quam quotidiana apud nos experientia, qua ipsum primæ concoctionis effectum chilum videlicet mystica & occulta Hepatis proprietate in sanguinem mutari docemur. Porro etiam eadem ipsa obseruatione, aerem in sinistrum cordis thalamum attractum, specificam cæli ætherei naturam, atque subtilissimam spiritus aerei portionem ibi relinquere obseruamus, quam cor organis suis sibi attrahere conatur, aerisque fumum inutilem atque aqueum tanquam superfluum per expirationem expellit; Hanc (inquam) naturam ætheream vitæ creaturæ perquam necessariam, cor appetit, sibique allicit omni momento, sine qua nec homo, nec aliquod aliud animal momento temporis perdurare potest. Atque istam substantiam ætheream seu vitæ escam, Zeno *ignem naturalem* vocare haud dubitauit, cuius receptaculum fecit cor, quod ideo Prometheus ignis cœlestis vas appellauit, quem ignem ipse è cœlis fingitur furatus esse, vt hominem vita diuturna ditaret, est enim hæc materia animæ vitalis pabulum, cuius quoniam cor est commune receptaculum, igitur à Platone nuncupatur *sedes animæ*. Hæc inquam est illa natura, quæ est ignis inuisibilis, vbique in mundo præsens, à quo Zoroaster omnia genita esse docuit, cui Heraclitus Ephesius astipulari videtur, & quoniam virtute huius quintæ essentiæ igneæ Democritus, Orpheus & multi Pythagoreorum cuilibet creaturæ animam quandam præesse obseruarunt, ideo omnia Diis plena esse asseueranter affirmarunt, quibus statuerunt diuinos honores, preceseque & sacrificia dedicarunt iisdem, at vero rem iterum atque iterum inter se reputantes, has omnes animas ad vnicam mundi animam reducebant, seu Deos illos ad vnicum referebant Iouem. Per Iouem igitur verbum seu Tetrogrammati emanationem innuere videntur, quod est fons hominis, & per Deos seu animas radios intellexerunt diuinos, vbique in spiritum mundanum expansos, vitam cuilibet creaturæ exhibentes, qui non aliter à verbo increato separantur, quam solis radii à sole: sed de his *in tractatu de corde* latius agemus. Quod denique spiritus quidem intellectualis in centro istius ignis cælestis inhabitet, & quomodo illud fiat, in præcedentibus dictum est, ita vt iste spiritus per truncum Aortæ in altum se vehens, & per angusta ramulorum plexus choroides orificia exiliens, se cum spiritibus sensitiuis à sanguine venali confectis permiscet, atque inde fit, vt anima rationalis mediantibus sensibus internis, cum intellectu operetur in genere humano. At vero ad rationem redeamus, qua aer in sanguinem naturalem, vitalem, & animalem reducitur, & videamus, quomodo natura opus hoc transmutatorium præstare queat: Inprimis igitur obseruatum velimus, quod vt duæ sunt humanæ compositionis partes, corpus scilicet & spiritus, ita etiam duplex est cuiuslibet ipsarum nutriendarum ratio: nam cum simile à suo simili nutriri soleat, considerandum est, quod sit necesse, vt homo inuisibilis à sanguinis tenuioris spiritu, arteriali nempe (qui est spirituum vitalium vehiculum) nutriatur immediate, vt & ille à spiritu macrocosmi æthereo successiuo exspirationis & inspirationis motu reficitur atque multiplicatur. At vero hominem externum & visibilem, (vtpote ex elementis inspissatis compositum) extalibus semper successiua nutrimenti administratione atque applicatione, more quidem remoto, & ex sanguine venoso & grosso ex nutrimentorum succo immediate in suo esse præseruari atque continuari certum est. Nutrimenta autem genere varia, pro diuersitate regnorum rerum compositarum (quæ sunt minerale, vegetabile, & animale) existunt, & ex his regnis vegetabile & animale præcipue ad humanum nutrimentum conferunt, & non minerale (vtpote cuius partes sunt ita compactæ, & ad concoquendum difficiles, vt vix ignis violentiæ, multo minus humano calori obedire soleant.) Ex præcedentibus autem duobus animalium caro humanæ actioni & concoctioni est magis familiaris & concoctionis facilioris, quippe quæ facillime in id quod fuit ante, in chi-

Exod. 7. Ps. 103. 29.

lum scilicet resoluitur, Panis vegetabilium princeps, tum quia in pulpam chilosam, subito hocque sine vllo naturæ labore reducitur, tum etiam quia in natura aerea locuples est admodum, & vegetatione naturali repletissima, parentibus nostris antiquioribus à Deo pro nutrimento primario & regio exhibetur, vnde dixit Deus: *In sudore vultus tui vescêris pane tuo.* Materia igitur nutrimenti siue sit animalis siue vegetàbilis, chimia naturæ, & tanquam in Naturæ balneo in chilum redacta, omniumque elementorum subtili à grossis fecibus per venarum messeraicarum filtrationem separato, in Hepatis regione concaua coquitur, in qua quidem digestione, terra minus tenuis, seu melancholia, ad nutritionem minime apta, secunda quidem separatione à massa aerea diuiditur, & per ramum splenicum in lienem transfertur, materia ignea quidem superflua, & ad nutriendum inutilis, in vesiculam fellis transfunditur, pituita, seu elementum aquæ, humori marino comparatæ, deorsum per renes in mare vesicæ emittitur; atque elementum seu humor aereus in vasculis seu venarum Cauæ & Portæ trunco continetur, quem tamen non absolute aereum esse dicimus, quoniam subtile adhuc in se habet, cuiuslibet elementi, videlicet ignis, aquæ, & terræ, (quæ elementa in corpòris compositione, ad propria membra pertinent, vt partis magis terrestris officium est, ossa & cartilagines, membranas atque ligamenta respicere, illius aquaticæ pinguedinem procreare, ignis autem cum aere circa carnis generationem versari,) sed ideo aeri refertur, quoniam aer in eius massam prædominationem habet; Atque hic obiter quæstio non facile discutienda oriri potest, in cuius resolutione multi etiam doctissimorum hæsitauerunt, videlicet, vnde oriatur istiusmodi virtus sanguifica, qua chilus quidem subpallidus, vel ad candorem vergens in tincturam rubicundam tam prompte redigatur? Alii hoc ab Hepatis natura (vtpote cuius substantia est intense rubra) multiplicatiuam hanc tingendi virtutem prouenire volunt, ac si hepatis rubedo esset tam infinita, vt infinitam chili aerei proportionem, sine suæ rubedinis decremèto in-tingere posset, Præterea si hoc concederetur, non credatur absurdum, si consequenter inquiramus, vnde hepar tincturam hanc rubicundam, virtute tam multiplicatiua ornatam exceperit? cum certum sit atque comprobatum etiam hepatis substantiam à sanguine suam originem accepisse. Vnde liquet, quod principiatum illam qualitatem innatam habere non potest, qua eius principium carere dicitur, at sanguis in se multiplicatione non ita abundare obseruatur, vt tincturam infinitam suo simili attribuat. Alii dicunt, occultam esse hanc naturæ proprietatem, quo quidem responso ignotum per ignotius colligimus atque ita rei essentiam prorsus ignoramus. Ad hanc igitur quæstionem nos experientia meliori docti, respondemus, quod neque in hepate, nec in aliqua corporis humani parte consistat huiusmodi tingendi facultas, sed ipsam in aeris vel per inspirationem vel mediante nutrimenti succo in corpus introducti, centro seu occulto delitescere; Nam *lib. 2. de Panis Anatomia*, ratio de Plantæ vegetatione & multiplicatione est luculentissime explicata, videlicet quia pars eius aerea, quæ nihil aliud esse videtur quam sal quoddam volatile, quæ in liquida sua substantia est manifeste candida, & limpida esse videtur, tamersi in suo occulto valde est rubedine tincta, imo vero magnetica quadam virtute intrinsecus & centraliter ei adnata, prompta est huiusmodi substantia ad formam solarem vndique in vasto mundi spiritu inuisibiliter delitescentem sibi attrahere, & in se congregare, ac si esset materia quædam in natura fœminea quæ lucis formam auide affectat, eamque rapide ad se allicit. Experimentum huius rei loco superius allegato demonstratum est, vbi declarauimus, quod materia limpida & aerea ipsius tritici seu panis in candida sua natura soli exposita, in paucarum horarum spatio in rubedinem satis intensam fuerit conuersa. Vnde colligebam, quod multiplicationis & vegetationis proprietas tam in vegetabili quam animali, ab huiusmodi substantia aerea profluaret, non (inquam) à propria sua virtute, vtpote quæ non est infinita seu plusquamperfecta, sed ab interna sua dispositione magnetica, qua radios formales à mundi anima vbique præsente, & humidum radicale à suo simili vbique etiam in mundo expanso successiue, sibi & gradatim contrahit: Non aliter etiam dicimus, quod aer hic in chilo olim delitescens, at in hepate à natura heterogenea nunc despoliatus & purgatus, radios solis microcosmici seu animæ viuificæ microcosmi sibi attrahere non desistat, quod quidem in chilosa sua natura præstare haud potuisset, quatenus eius vis magnetica, partim in natura aquatica seu phlegmatica submersa, & partim fecibus grossis & terrestribus impedita præstare non potuit, at vero, partim virtute messeraicarum, & partim virtute hepatis, exutis huiusmodi elementorum extraneorum impedimentis, opus illud transmutationis vinaciter aggreditur, & ad exitum fœlicem illud perficere obseruatur. Et certe ego rem istam paulo accuratius flagranti ignis cultello examinans, percepi materiam istam calore lento, imo vero ipsius balnei rore in alembici capitellum in formam niuis seu grandinis albissimæ fusse sublimatam, cui appositio carbone ignito, materiam subito instar mellis seu butyri liquefactam vidi in colorem aureum aut hyacinthium mutatum, inde nobis denotans, quod tametsi huius substantiæ aereæ manifestum & externum sit album, eius tamen occultum & internum est sanguinis tinctura insignitum.

Gen. 3. 19.

Vnde sanguinis tinctura rubicunda.

Quod autem ad sanguinem arterialem attinet, tincturæ eiusdem eadem est ratio cum illa sanguinis grossi atque venalis, præterquam quod substantia aerea illius sanguinis est tenuior longe & subtilior, quam est illa venalis seu naturalis, ita vt tanta sit inter vnius atque alterius substantiam differentia, quanta inter infimam & supremam aeris regionem, nam vt infima aeris regio magis de terra atque aqua participat, & per consequens est magis crassa & minus calida quam suprema, vtpote quæ de igne æthereo participat, sic etiam sanguis regionis infimæ corporis densior & frigidior est illo regionis vitalis, quæ tenuis est admodum atque calore exuberat. Atque hoc quidem multis rationibus confirmatur, quarum prima est, quia

originem

originem habet à corde, quod teste Zenone est *ignis naturalis receptaculum*, vel vt Prometheus vult, *ignis cælestis vas*. Secunda, quia calor ille est magis efficax, & in operatione sua naturalis, qui spiritui subtiliori & puriori naturaliter inest, nam cælestis calor est in actione sua longe fortior & validior, quam vllus elementaris, cum ille sit huius fons & origo. Tertia, quia cor à philosophorum præstantioribus agnoscitur esse sanguinis origo, vtpote à quo vitæ initium ducitur, substantia ergo sanguinis arterialis seu vitalis est tenuior, & magis spiritualis quam venalis illa seu naturalis, & se habet respectu illius, vt spiritus vini visibilis & purissimus ad aquam vitæ, in qua cætera elementa cum vero spiritu permiscentur: quemadmodum etiam sanguis animalis, se habet ad vitalem, vt spiritus vini ob puritatem suam in aerem euanescens & inuisibilem se reddens, nam spiritibus inuisibilibus vt sui similibus nutriantur, conuenit. Dicimus ergo quod subtilissimus aer sit vehiculum inuisibilis substantiæ ætheris, quo vitæ pabulum sic continens cum suo contento in cordis sinum læuum introducitur, à quo expulsa crassioris aeris substantia, de exoticis & alienis elementis participante, cordis actione, & interna ipsius aeris puri attractione, (quæ à virtute cælesti oritur,) partim suam internam tincturam patefacit, & partim radios interni microcosmi sibi colligit spiritus, atque contrahit, atque ita plenam tincturæ sanguineæ portionem haurit, Quo autem modo, quaue arte aut industria, natura suas dissolutiones, puri ab impuro separationes, de forma in formam, de colore in colorem, & de substantia liquida & crassa, in liquidiorem & tenuiorem transmutationes, in domo, seu templo, seu potius Laboratorio & officina hac humana perficere soleat, capite hoc sequenti demonstratum habebitis.

Caput III.

De admirabili naturæ in corpore humano Alchimia, eiusdem laboratorij dispositione, vasis ab inuicem differentibus, ac tandem de insigni ipsius in hoc suo laboratorio operandi, purificandi, subtiliandi, atque ad perfectionem mouendi formula.

Quam mente inanes, ratioque vacui sunt illiusmodi homines, & ab ipsa natura quanta indignitate respuendi, qui artem chimicam siue ad medicinam, seu tandem ad vnius metalli in aliud transmutationem applicatam, derident, contemnunt, in odio habent, ipsius naturæ sagacis atque in actionibus peritissimæ industria, praxis assidua, in depurando, & corporis humani præseruatione virtus noctes atque dies versata luculenter testari atque declarare videtur: Nam quænam (obsecro) in chimiæ vulgaris arte est distillandi, aut præparandi, aut subtile à grosso & spisso vlla ratione separandi inuentio, siue sit in circulandi & digerendi solertia, seu per descensum, ascensum, filtrationem, ad latus, perue cribrationem distillandi artificio, quam non gustauerit natura, hocque priusquam vlla inter homines regnaret scientia, antequam Adam aut successorum ipsius aliquis artem aliquam excogitaret. Si igitur paulo accuratius rem quidem explorare velimus, apertis oculis percipiemus, ipsum hominem vniuersam Alchimiæ scientiam ab ipsa natura suffuratum, cuius laboratorium, seu distillatorium corpus est humanum, vasa in eo contenta, & ad istiusmodi operationem requisita, sunt membra organica in eo contenta, inter quæ quatuor siquidem illa sunt magis eminentia, quæ principalia nuncupamus, videlicet hepar, vasa seminaria, Cor & Cerebrum. Alchimista ergo in suo laboratorio Alembicis, Retortis, Recipientibus balneis Mariæ, furnis ventosis, reuerberatoriis, Arenæ, Cinerum, Antenoris, & huiusmodi aliis exornatur atque munitur, eaque in omni negotio in promptu habet, quo melius rem seu materiam distillandam paulatim atque gradatim ad exactam purificationem, hoc est à natura corporali spiritualem versus conduceret: Nonne hoc idem præstare videtur natura in suis operationibus, quibus assidue obseruatur ad perfectionis terminum festinare? Pergamus ergo in mysteriorum laboratorii naturæ exploratione, & videamus, si quid Alchimista, vtcunque in sua arte peritus & insignis potest, quod natura nescire videatur, aut sui artificii exemplaria ei non præbeat prius.

Alchimista ergo rem seu materiam ad perfectam subtilitatis & tenuitatis metam perducendam, primum manibus tractare gestit in partes minutiores, siue sit puluerizando, siue incisione in portiunculas diuidendo, siue limatura terendo, ac tum postea præparatione huiusmodi facta, eam (ad imitationem naturæ) menstruo cuidam conuenienti committere solet, virtute cuius primam in corpus dissoluendum ingressionem seu penetrationē facit, atq; hoc opus, quo melius & magis efficaciter, atq; quo citius perficiatur, vas illud circulatorium cum suo menstruo & subiecto dissoluendo in Bal. Mariæ, seu ventrem equi (quem & calorem fimi equini vocāt) imponere tentat. Nonne in primordio istius suæ operationis imitatus est Alchimista naturam? quæ cibum grossum dentium contritione præparatare in primis aggreditur, deinde per vasis sui circulatoii collum oblongum (Oesophagum nempe) illum sic confractum & trituratum intrudit deor-

sum in ventriculum, non aliter quam chimia peritus ad naturæ exemplum materiam suam subtiliandam (fractione & contritione præeunte) per collum matracei oblongi intromittit in eius ventrem. Tunc naturæ intentio est (ad melius operationis suæ primæ complementum, materiæ præparatæ centrum visitare, atque penetrare, corpusque porosum reddere, quo spiritus subtiliores inclusi, facilius effluant, quod quidem vt præstetur, necesse est vt quoddam liquidum ei admisceatur, vnde sitescit natura & poculum affectare facit comedentem, quo melior in subiectum siccum fiat ingressio, & siccum in humido liquescat, atque ita primus perficiatur dissolutionis gradus. Atque vt hæc operatio expeditius fiat, vas istud circulatorium primum tam supra quam infra occludere videtur, ne spiritus à centro materiæ exhalantes, ex vase suo erumpant, & in vanum euolent. Sic ventriculus occludi dicitur tempore concoctionis primæ, deinde igne hepatis & viscerum vndique circundat humido, nempe & calido, & suo tempore circulare intendit, videlicet quousque tota materia cum suo liquido in pulpam seu chilum redigitur. Eodem plane modo Alchimista semper in suis operationibus imitando naturam, matraceum suum seu cannas brachiales, seu pellicanum, firmiter tempore digestionis & circulationis materiæ obturans, ne spiritus euaporent & euanescant, illud fimo equino, seu balneo Mariæ, hoc est igni calido & humido adaptare gaudet, vt huiusmodi sua operatione prima dissolutionis intentio accompleatur: Atque ita medicamentum grossum putrefactioni & dissolutioni iam obnoxium, ad nouam recipiendum formam est paratum, seu plumbum philosophorum sorditiem suam exuens, intelligo chilum pallidum à fæcibus inutilibus tanquam leprositate sua declinans ad veram transmutationem in aurum quodammodo nunc disponitur.

Vlterius ergo tam in Alchimistæ, quam Naturæ laboratorium inquirendum est, & ad secundum operationis suæ gradum properandum. Videmus igitur, quod ipsa natura totam istam materiam ita dissolutam videlicet vtile cum inutili, chilum cum fæcibus simul mixtum circulationis seu concoctionis tempore completo, & orificio ventriculi inferiori iam dilatato atque aperto, secunda distillationis specie (quæ per descensum fieri assolet) in vasa recipientia, videlicet intestina gracilia, Duodenum, Ieiunum & Ilia nempe effundere, vt in iis grossum à subtili, vtile ab inutili, necessarium à superfluo, & purum ab impuro distinguere sataget, qua in operatione Alchimista ad exemplar naturæ, aut per inclinationem transfundit materiam dissolutam, purum cum impuro agitante aut orificium in matracei fundo arte confectum aperiens, materiam digestam in aliud vas ei subiectum influere sinit, mediante quo subtile à spisso, & purum ab impuro distinguatur. Hic ergo ad tertium distillandi genus peruenitur, ad illud scilicet per filtrum dictum; nam Chimiæ artifex percipiens ipsam naturam virtute venarum mesaraicarum, cum quibus intestina tenuia implentur quam copiosissime, tenuiorem primæ concoctionis hoc est materiæ in ventriculo circulatæ portionem, sursum ad Hepatis regionem attrahere atque eleuare, atque hac via subtile à spisso, hoc est purum chilum albicantem à suis fæcibus crassis separare, & quod pars terrestrior, seu fæces in horum intestinorum fundo remanentes, in vas aliud ignobilius proiicerentur, videlicet in intestinum colon, in quo reseruantur, vt loci calore, spiritus adhuc fixiores, & de sale suo participantes, elicerentur, & in altum per nonnulla filtri eiusdem filamenta eleuarentur ad Hepatis regionem: Hic (inquam) Alchimista, hæc naturæ simia, hoc idem in suis operationibus artificialibus aggredi conatur: & loco venarum mesaraicarum vasis intestinalibus vndique insertarum: vel pannum ex lana vel gossipio confectum aut loco illius chartæ densæ & porosæ portionem eligit, illamque in sectiones varias more chimicis optime noto diuidit atque secat, quarum quamlibet venæ mesaraicæ respondere vult, pannum ergo istum sic in portiunculas distinctum in vasis illius materiæ in Balneo circulatæ receptaculum immergit; vt more mesaraicarum subtile separaret à spisso, atque in altum ad aliud vas mundum eleuaret, vt in eo ad tertiam perfectionis scalam producatur. Atq; hic distillandi modus ab Alchimistis filtratio nuncupatur.

At iam tandem aliquando ad illud in naturæ laboratorio organon, seu digestionis fornacem accedimus, in qua ipsa materiam puram in prima digestione elaboratam, vlteriori adhuc distillatione rectificare & consueta; In huiusmodi siquidem operatione nutrimentum chilosum pallidum & debile in sanguinem rubicundum mirabili virtute transmutatur, plumbum (inquam) sub pallidum animale à sua leprositate iam mundificatum, in verum aurum seu naturam ac dispositionem auream nunc transmutatur: Hic ergo habemus primam circulationis & coctionis in Antenore ordinem in quo aurum grossum per primum Alchimiæ gradum conflatur; Quam grossi ergo sunt illi homines, & ignorantia quam submersi, aut in opinionibus suis vanis quam obruti & rebelles, qui de vna in aliam speciem transmutationem fieri non posse credunt? Et tamen hoc in loco intueri liceat ipsum chilum albicantem in sanguinem rubicundissimum naturæ industria conuerti solere. Nec certe (si rem oculis iustis inspiciamus) ipsum plumbum crudum & imperfectum metallum, ab auro magis substantia & natura distare percipiemus, quam chilus & sanguis, nam vt sanguinis initium seu principium nihil erat nisi aqua chilosa, hoc est, humor aqueus in chilosa sua natura imperfectus & crudus, ita quidem in forma sua sanguinea ad maturam perfectionem reducitur; sic etiam aurum in principio erat Mercurius seu aqua grossa immatura & cruda, cuius gradus primus ad concoctionem, est ipsum plumbum, vltimus vero, & perfectionis suæ meta est aurum, anne hoc impossibile credendum, cum maiora adhuc in natura miracula cernamus, videlicet ipsam naturam vegetabilem in animalem conuersam vt in carnibus & sanguine creaturarum animaduertere fas est, in quibus herbæ atq; gramina & fructus in nutriti substantiam transformantur, & tamen hos naturæ effectus quotidie euenire, etiam stultorũ sensui

luculen-

luculenter declaratur & demonstratur; quod autem animalis irrationalis substantia in illam rationalis migret, & viceuersa, neminem latere aut dubitare scio, cum sit res omnibus nota, & experientia comprobata; Hinc ergo contemplationum quidem excellentissimarum fundamenta depromi possunt, & quæstiones atque dubia valde ardua produci, vtpote, An bestiæ substantia (imo vero & illa vegetabilium) in corpus & substantiam humanam conuerti queat? An corporis bestialis seu vegetabilis futura sit die vltimo resurrectio? cum idem operatione naturæ iam fiant, eadem scilicet caro & ossa, cum corpore humano, cuius pro certo erit à morte ad vitam æternam resurrectio, quod si sequatur, petitur, An in naturæ sit potestate ita animalia irrationalia, imo vero & ipsa vegetabilia præparare, vt corpora ipsorum conuersione scil. in corpus humanũ per resurrectionem possint in æternũ viuere? Contra illorum opinionẽ qui ore duro atq; mendaciis refertissimo, excludunt Deum ab operibus naturæ, aiuntq; operationes huiusmodi extra naturæ potestatem existere: ac si Deus extra naturam operatetur in hoc mundo, cum sit essentialiter hic & vbique, ac si (inquam) naturæ passiuæ anima interna, in exactissimo eiusdem centro inhabitans, ab ipsius Dei substantia distingui queat. In exilium ergo sempiternum relegantur illi nebulones, qui audacia inaudita pronuntiare non hæsitant, Medicos ideo Atheistas vt plurimum esse, vtpote qui naturã tam profunde contemplantur, vt ipsum Deum eiusq; cultũ penitus respuere soleant, neq; vllũ Deum præter naturã agnoscere volunt. Quibus ego quidẽ fronte serena, & confidentiæ plena respondere non dubito, illũ potius Atheistam esse, imo v. pro bruto irrationali habendũ, qui Deum ipsum extra naturã quærere videtur & conatur, & qui Deum in naturæ latebris inueniri & inesse ignorat, nã quatenus est extra omnia, quis mortaliũ potest eum inuenire, aut tenuissimis intellectus oculis comprehẽdere. Hinc dicitur quod *Moyses Dei posteriora viderit, & non priora*, hoc est non Deũ in sua essent a, sed vestimentis naturæ, h.e. suis creaturis indutum, in quarũ centro per spiritum moueri dicitur, Nam *in verbo* (iuxta illud Diui Iohan.) *erat vita*, & psal. *Verbo Domini firmati sunt cæli, & spiritu ab ore eius omnis virtus eorum*. Vnde liquet, q̃ cuiuslibet creaturæ virtus (quæ in animæ potestate consistit,) à spiritu immediate procedat. Porro dicitur, quod *Deus vestitur lumine*, quod quidem lumen est tenuissimum ex naturalibus suis indumentum; Deinde *posuit Deus tabernaculum suũ in sole*. Postea *veste adhuc spissiori & densiori ornatur*, vnde dictum, *Densa nubes tugurium eius*, Et alibi, *Vos estis templum spiritus sancti*, Et alibi, *Terra pariet Saluatorẽ*. Ex quibus liquet, quod Deus sit in natura passiua tanquã agens in patiente, vel anima in corpore, seu potius, Mens diuina in ipsa anima, nã mens est animæ centrũ. Atq; hoc conuenit cum illa Merc. Trismegist. definitione. Qui *Deus est*, inquit, *circulus, cuius centrũ est vbiq̃, circumferentia vero nullibi* Concludimus igitur allateralẽ hunc sermonem nostrum contra huiusmodi naturæ aduersarios & contemptores. affirmando ipsam Naturam esse Deum, non dicam passiuã & numeratam seu creatam, seu aquas vniuersales, sed actiuã numerantẽ seu creantem, seu virtualem actiuam, vniuersas aquas informantem deformes, & creationis Throno & esse immediate emanantem. Taceant ergo stulti, si hæc comprehendere nequeant, cum sint consentanea nõ modo diuinorũ philosophorũ sententiæ, sed etiam Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, inter quos Diuus Petrus in huiusmodi incidit sententiam, videl. quod *cœlum & terra per aquas, & in aquis mediante verbo fuerint condita*. Sciant igitur huiusmodi homines, nec inconsulte sit hoc à nobis dictum, quod quicunq; naturæ mysteria oculis quidem Lynceis inspicere nequeunt, & in profundum eiusdem myrothecium penetrare nesciunt, tam longe hos à Dei veræq; Theologiæ cognitione aberrare certum est, quam tenebræ à lucis fastigio, Diabolus à Deo, aut veritas à falsitate, atq; hi sunt huiusmodi, qui in litera seu exteriori cortice, seu superficie versantur, quæ interficere dicuntur, spiritum viuum, lucemq; creantem, & in centro versantem respuunt, vbi vita adest, ita vt latam calcent isti viam ad perditionem tendentem, dum semitam Dei atque naturæ pauci agnoscunt & ingrediuntur. Sed de his alibi latius est disputatum, quare ad propositum hoc nostrum orationis meæ filum conuertam, & quid amplius in naturæ laboratorio agatur, nunc dicam.

Furnus (inquam) Antenor seu secretus prioris gradus seu operationis, in hoc naturæ laboratorio, est Iecur, cuius est aurum animale ordinis prioris conflare, sanguinem scilicet grossiorem atque elementarem, vtpote in quo elementa quatuor, confuso more adhuc permiscentur, humores dico quatuor elementis correspondentes, nam tametsi furnus hic secretus mediante suo calore aereo, tendat pro suo posse ad elementorum superfluorum separationem, (quam quidem depuratione triplici aggreditur videlicet partim per distillationem quinti generis quæ ad latus dicitur, cuiusmodi actione diuidit terrestres, seu melancholicas fœces, à massa sanguinea, easque lateraliter per ramum splenicum in lienem effundit atque instillat, partim per descensum leuem, quo modo bilis flaua seu superfluitas ignea, in vesiculam fellis emittitur, & partim per descensum profundiorem, qua distillatione materia pituitæ salsa in mare vesicæ per renes & vreteres emittitur) tamen non potest materiam suam auream atque rubicundam ita depurare, quin nonnullis inutilibus elementorum fœcibus aliquantulum adhuc contaminetur, ita vt massa hæc rectissime aeri mundi sublunaris assimiletur, qui propter impuritatem suam imperfectionis titulum sibi vendicare videtur. Vnde fit, vt aer elementaris mutationibus sit obnoxius, sic etiam massa hæc sanguinea, & partes solidæ & carneæ, quæ ab ea oriuntur & nutriuntur, morbis & mutationibus sunt obnoxiæ. Respondet ergo istius vasis secreti proprietas ad mundi sublunaris naturam, vtpote quæ ad partes corporis elementares nutriendas & sustentandas ordinatur, quare aurum hoc animale, licet sit grossum & primi ordinis, tamen ad partes corporis indigniores & magis grossas fouendas sufficere videtur. Hic ergo mundi sublunaris seu Elementaris actorem præcipuum habemus, cuius

passiuum

passiuum adhuc imperfectum si in Antenore magis adhuc nobili iterum tractetur, atque eiusdem calore qui est secundi gradus digeratur, Sanguinem quidem seu aurum ad cælestem dispositionem magis inclinatum, ac primo longe purius atque subtilius conflare solet, quod ad membra quidem leuiora & digniora nutrimento reficienda à natura destinatur. Accipit ergo natura illius sanguinis in priori Antenore Hepatis scilicet, calore confecti portionem, illamque per ascensum (quæ est sexta distillationis species) à fundo scilicet cucubitæ (id est, hepatis cauitate) per collum eius strictum (quod est vena caua) ad dextrum cordis sinum sublimat, tanquam in Alembicum seu caput, cuius iuncturis simul atque foraminibus bene obturatis, materia hæc sanguinea in substantiam priori longe puriorem circulando reducitur. At fornax hæc secreta est naturæ Antenor secundi ordinis, cuius calor est valde temperatus, solique cælesti assimilatur. Admirabilis autem est istius furni dispositio, cum in eo non modo aurum elementare, verum etiam illud cæleste digeratur, nam cum duplex sit hoc vas, atque binaria eius cauitas, harum dextra sanguini elementari ab Hepate per venam cauam sublimato adaptatur, qui tam diu in ea circulatur atque digeritur, donec ad supremæ aeris regionis naturam redigatur, ita vt iam pabulū sit factus, ad leuem pulmonum substantiam nutriēdam paratum, Sinistra vero est in natura sua tam subtilis, atque proprietatis tam mysticæ, vt non modo cum ipso Prometheo ignem cælestem assidue surripere soleat, verum etiam vltra, digestione prius facta, & puro ab impuro separato, ignem hunc vitæ mediantibus arteriis, per vniuersum corpus dispensat, caloremque innatum cuilibet corporis membro impertire videtur, nam læuis huius fornacis duplicis ventriculi officium est, occultos solis & cæli radios, seu inuisibilem Zoroastri & Heraclitii ignem sibi attrahere, attractum præparare, hocque separatione puri ab impuro, vtilis ab inutili, atque denique separatum vniuerso corpori administrare, nam istiusmodi ignis est humidi radicalis pabulum.

In hoc igitur igne aurum tam elementare & grossum, seu terrestre & passiuum, quam illud cæleste, subtile, ignitum, atq; actiuum depuratur, quorum illud ad corporis nutrimentum atq; præseruationem valet, hoc ad spiritus tam animalis quam vitalis rectificationem atq; continuationem ordinatur. Est igitur hic Antenoris seu furni secreti calor, secundus gradus in purificatione sanguinis, seu auri Elementaris, at vero est primus in sanguinis, seu auri cęlestis digestione atq; pręparatione. Hinc igitur videmus quasi vinū prius in ventriculo circulatum, deinde, fæces eiusdem tartareæ per meseraicas separantur, ceu filtro, à puro seu magis liquido, tum postea aqua vitæ cum cæteris Elementis in hepate seu alio vase elicitur. Deinde fit spiritus vini purus, sed visibilis, ac tandem vltimus subtiliationis gradus fit in ventriculis cerebri, vbi spiritus illi tam exacte subtiliantur & rectificantur, vt inuisibiliter transeant in fumum spiritualem, qui ob puritatem suam ipsius rationis, imo vero & intellectus impressiones recipere efficiuntur apti.

Progrediemur ergo ad vltimum digestionis sanguinis gradum, qui fit in Antenore animali hoc est cerebro, quemadmodum medius erat in illo vitali corde scilicet completus. Hic ergo gradus ignis animalis in cerebro, (quem illi supercælesti comparauimus, vt illum medium seu vitalem in corde igni cælesti, & primum gradum seu naturalem in hepate, igni elementari) perficitur in vase triplici ventriculo exornato, in quorum prioribus duobus organa nonnulla ex venulis & arteriis Dædaleo seu Labyrintheo more cōtexta, plexus choroides dicta, humorem in venulis in fumum seu aerem subtilissimum digestione secreta conuertunt, qui est subiectum phantasiæ, in quo animæ rationalis impressiones inseruntur, atque illum in arteriis minusculis contentum, in spiritum inuisibilem, atque intellectualis naturæ lumen in huiusmodi spiritu delitescens mutat, quod non aliter in fumum aereum seu phantasticum agit, quam anima in corpus, aut cælum in terram, aut solis radii in aerem. Sed lucis illius diuinæ agentis vehiculum est spiritus ille vitalis, seu arterialis, quem plexus isti choroidum arte seu proprietate admirabili inuisibilem solent reddere, vt iam sit tā apta in istiusmodi forma subtili atque inuisibili, ad animæ rationalis munera obeunda, quam fuit in forma sua visibili, cum scilicet erat sanguis arterialis, ad officia animę vitalis obeunda. Sic etiam videmus, quod spiritus vini seu eius quinta essentia quam sanguini arteriali comparare possumus, repetitis rectificationibus eiusdem inuisibilis redditur, ita vt totum in aerem seu spiritum inuisibilem conuerti soleat, & in aerem euanescere. Hoc igitur modo præparantur, coquuntur & attenuantur huiusmodi spiritus tam venales quam arteriales, in primis duobus ventriculis existentes, adhuc grossi spiritus animales instar fumorum, priusquam veniunt ad sensum naturalem, atque totius istius operis perfectio, in tertio cerebri, seu Antenoris tertii gradus ventriculo absoluitur, atque tunc spiritus hi inuisibiles facti in quartum migrant ventriculum, vbi rationis voluntatem tam inuisibiliter per sensum scilicet, & imaginationem, quam visibiliter hoc est per motum perficere aggrediuntur. Primus igitur Antenor videlicet Hepar regionem elementarem in microcosmo administrat, & consequenter cælo macrocosmi sublunari respondet, in quo agitur ad vegetationem & generationem. Secundus videlicet Cor, soli in macrocosmo cælesti refertur. Tertius cælum Empyreum seu intellectuale respicit; Taceo ego hoc in loco admirabile chimiæ naturalis artificium, illud quod in vasis seminalibus perficitur, vtpote de quo alibi mentionem mihi facere proposui. Ex his igitur videre licet, quāta chimiæ naturalis mysteria in variis corporis humani dispositionibus & operationibus animaduertantur, quamque subtiliter & sagaciter res suas ad exitum perducere soleat in Microcosmo natura, & consequenter quam sint illi homines odio & contemptu digni, qui Alchimistas in derisione habere solent, cum verus chimicus nihil aggredi conetur quod natura non in corpore humano delinearit, verbi gratia, in medicamentorum confectione & præparatione, docet eum natura inprimis, ea menstruo quodam proprio dissoluere. Deinde fæces impuras à succo puro separare: Tum postea Hepatis naturæ per primū digestionis gradum

dum adaptare. At si velimus ea Cordi administrare tunc per digestionem & præparationem primi gradus iterum rectificetur. Denique quæ cerebro eiusq; morbis præscribere gestis, ea quidem extrema depuratione & rectificatione sumt tractanda. Eodem plane modo ad istiusmodi Naturæ alchimiæ imitationem nutrimenta parare fas est, quę magis huic vel illi membro principali conuenire possunt. Imo vero arcana certe insignia hinc inde elicere possumus, quæ hoc in loco enarrare lectoti fortassis tædium foret, & ad nostrum hoc propositum non pertinens, quare id nunc omittendum censeo.

Caput IV.

De Anatomia sanguinis humani, chimia artificiali dissecti.

Chimiæ naturalis descriptione, sanguinisq; virtute illius variis præparationibus iam peractis, ad illius artificialem, qua sanguinis elementa ab inuicem distinguuntur, explicationem propere accedemus, vt tum postea ad admirabilia sanguinis mysteria arte in lucem producta pergamus.

Multas siquidem in sanguine humano operationes chimicas meo tempore vidi, & de ipsarum effectibus ocularis factus sum testis, tamen reuera fateor me non nisi vnicam solam in pretio habuisse, quam in vsu & praxi posuit quidam Germanus in chimia vulgari peritissimus, atq; mihi familiarissimus nomine La Pierre, qui huiusmodi experimentum multoties Lutetiæ est expertus: Ab Episcopo Noyensi ipse hoc secretum mediante quodam nobili Menanton dicto se accepisse dixit, finemq; eius esse dixit, aut certe existimauit, vti coctione philosophica præeunte ad lapidem Philosophorum (vti à philosophis sophisticis atque spuriis diu quæsitum at nunquam inuentum) tandem perueniret. De effectu istiusmodi secreti optato nihil dicam, nec reuera in animo meo est fidem vllam ei præbere. Hoc in loco intentio mea est declarare elementorum sanguines vulgari modo diuidere; atq; nonnullorum ex iis in medicina mysteria explicare, quod quidem luculentius vt perficiam, huiusmodi amici mei experimentum de hac re sequar.

Sanguinem igitur ex viris à 25. vsq; ad 30. annum vitam ducentibus, corpore sanis, atq; habitu robustis extractum eligebat, putridum in fimo equino, vel loco aliquo calente illum reddidit; Retorta optima ex omni parte, (præterquam in eius vertice, vbi locus quidam orbicularis intrinsecus quandoque speculandi gratia relictus) luto bene temperato, quo ignis violentiam melius sustineret, obduxit, Materiæ prædictę putrefactione ita præparatæ tantum in vas illud infudit, quanto ad medietatem vsq; illud implere potuit. Retortæ lutidæ figura hæc est, ne in arte chimica tyronibus hoc intellectu arduum videatur.



A. Est vitri pars nuda in summitate.
B. Est foramen seu orificium vasis in recipiens indendum.
C. Est signum repletionis Retortæ ad medietatem vsque.

Deinde fornaci cuidam, Antenori vulgariter dictæ, adaptauit retortam hoc modo munitam, ita scilicet vt pars vasis dimidia in potestate seu contactu ignis solummodo remanserit: cui fornaci cum bene fuerit affixa, eiusq; orificio adhibuit vas quoddam recipiens satis vastum atq; amplum, vtpote in quo spiritus à materia sursum exilientes ludere atq; bene circulare queant: cuius, chartis in glutine ex farina & albuminibus ouorum conflato made factis, obturauit iuncturas, illisq; bene exsiccatis, Secunda vice iisdem cartis ita eodem glutine perlitis, inuestiuit, imo vero & vice tertia, Fornacis cum suis vasis iconem sic depinximus.



A.B. Dimensio turris pro carbonibus qui descendunt super craticulam. E.
C. Est vas recipiens.
D. Est locus vbi Retortæ orificium inditur illi Recipientis.
F.F. Sunt foramina profumo.

Ad

Ad distillandi igitur formulam tandem aliquando progressus est, quam (ignem gradatim augendo) per 8.dierum,seu septimanæ integræ spatium protraxit,ac si ipsius naturæ actionem seu operationem hac in re fuisset imitatus.Ad quartum ergo diem vsque calorem calori Solis mense Iunio simillimũ administrauit, ita vt quælibet gutta,guttam,non nisi qualibet horæ quarta est insecuta, & ad huiusmodi operationem duo primi ignis gradus fuerunt requisiti,in quo tempore elementum aquæ ceu phlegma se prodere solebat. Deinde ignem aliquantulum fortiorem virtute tertii ignis gradus agitauit, cuius actione aer quidam nebulosus in vas recipiens ascendere incepit, quo à retorta penitus expirato, & in vase receptaculo contracto, ad quartum ignis gradum est progressus,cuius tandem impulsu Elementum ignis sub forma flaua primum, ac tum postea obscura rubedine tinctum prodibat. Quod etiam elementum propter eius cum spiritu cœlesti condignitatem de ipsa quinta essentia quodammodo participare obseruatum est, quam bene rectificatam iste de veri auri potabilis natura participare affirmauit.At vero hoc in loco obseruandũ est,quod (quoniam essentia illa quinta non nisi vltimo elicitur)omnimodo in die vltimo augeatur ignis,atq; sub ipsa etiam cratícula accendatur, quoniam materia illa glutinosa in qua (vti in panis quinta essentia est dictum) non nisi violentia ignis egreditur,atq; à terra eleuatur:& cum nihil amplius distillare animaduertitur,extinguatur ignis,refrigeratoq; furno,extrahatur retorta; Quod autem ad elementi quarti Terræ scilicet inuestigationẽ attinebat ipsam à capite mortuo in retortæ fundo residente,abstrahendam affirmauit; de quo quidem materiæ sedimento,ipse historiam quidem admirabilem mihi retulit,quam in sequentibus vobis declarare mihi in animo est,quoniam de operationibus naturæ communibus & non miraculosis nunc tractare decreuimus. Atque ita completa est prima huius materiæ præparatio chimica,in qua obseruauit ipse per foramen in summitate retortæ relictum,colores varios in vitri concauitate apparentes. Dixitque se in gradu vltimo foramen hoc cineribus obrexisse,quo ignis calor in sua operatione esset efficacior. Ad secundam autem huius mysterii præparationem seu mundificationem sic pergimus.

Accipiendum est totum illud quod de Retorta in vas recipiens operatione hac prima effluxit: & in Retortam priori similem luto minime obductam reponatur,in ollam cineribus cribratis repletam fornaci prædictæ bene adaptatam indetur,rostroque eiusdem vesica vitrea infra descripta annectetur,cuius aliud orificium in vasis recipientis os ingredi debeat.Luto seu glutine superius descripto imbuantur cartarum portiunculæ, & cum iis bene obturentur iuncturæ,ne materia subtilis egrediatur, vasorum ad inuicem coniungendi ordo atque figura hic sequitur.



A. Retorta.
B. Vesica.
C. Recipiens.
D. Vas terreum cineribus impletum, in quod Retorta A. adaptatur.

Per primum igitur ignis gradum phlegma seu aquæ elementum facillime est eliciendum, sed & lentissimus debet esse hic gradus,ne aer nebulosus simul cum aqua exugatur,extracta igitur aqua seu phlegmate (quod quidem ex eo percipies, quum completo illo opere, aer nebulosus paulatim in recipiente apparebit) mutandum est vas recipiens. Tunc materiam quandam seu aerem quasi inuisibilem ascendere percipiemus,qui paulatim se inspissando,in substantiam seu fumum turbidum & aliquantulum albicantem conuertetur,ac in fine in liquorem citrinum transmutabitur, atque condensabitur; fumo autem iam cessante, iterum mutandum est protinus recipiens.

Tertio autem loco elementum ignis expectabis, quod rubicundum sibi acquiret colorem, eritque illa rubedo obscura.

Denique quinta essentia,seu elementum quintum cum difficultate & diligenti obseruatione assurgit, nam aliter seipsam in Retortæ collo suffocabit,& comburetur.

Notandum est quod ad cuiuslibet elementi productionẽm,requirendum est vnius diei spatium, nam lente debet hæc operatio & pedetentim fieri.

Pro elemento terræ ipsius sanguinis,illud hoc modo à capite mortuo post Retortæ fractionem est eliciendum:in quo prius mirabilia vidit noster autor,vti infra declarabimus:Hoc non modo à Retorta prima, verum etiam ex illa distillationis seu operationis secundæ est accipiendum,& in puluerẽ reducendum,deinde vasi

de vasi fictili commendandum, quo suo cooperculo est optime obturandum, quod cooperculum in eius summitate foramen habere debet, per quod vapor è materia calcinanda exurgés facillime egrediatur, igni violento per spatium 8. vel 10. horarum exponatur, quousq; perfecte calcinetur, deinde extincto igne refrigeratoq; vase extrahatur materia calcinata, in alcool seu puluerem subtilem reducatur, & pro vsu infra descripto reseruetur.

Ad tertiam autem operationem iam accedimus, quæ est nihil aliud quam elementorum antea separatorum rectificatio, inprimis ergo rectificandum est phlegma, idque suaui calore, mediante Balneo Mariæ, illudque ad partem seruabis.

Deinde aere metiam in balneo Mariæ purgabis, & separabis tam ab aqueo quam igneo suo additamento. At ipse noster autor per cartam oleo illitam distillauit istam materiam, & in substantiam niuis seu mannæ purissimæ instar redegit, seruanda est etiam materia hæc pro suo vsu.

Post hæc oleum igni relatum, septies in retortis paruulis est rectificandum, quousq; formam hyacinti acquirat, cum quo etiam essentiam quam quintam vocauit ille, coniunxit, atq; materiam istã sic permistam, ac toties rectificatam aurum suum potabile appellauit, dixitq; hoc morbis periculosis applicatũ seu administratum, stupendam vtilitatem allaturum, quam quidem eius assertionem an sit vera, an falsa, non est meum hoc in loco disceptare, sed solummodo quod ad chimicam sanguinis humani Anatomizationem, & in elementa sua dissectionem, verum inueni, & experientia comprobaui, illud tantum vobis enarrare volui.

Deniq; terram calcitatam accepi, in alembicum satis amplum, imponebam, cui saltem amplam phlegmatis rectificati portionem affundebam, imponebam eius caput, & in Balneo M. suaui, vel cineribus moderate calidis macerabam. At vero in huiusmodi maceratione seu infusione vasculum aliquod recipiés capitis Alembici rostro applicetur, & si in huiusmodi maceratione aliquid in illud distillat illud reaffundendum est super suum totum, ista infusio per tres dies integros est continuanda, & in interstitio multoties remouenda atq; exagitanda est materia. Deniq; completo hoc opere effundenda est materia hæc sic macerata in vas terreum mundum, eiusq; pars clarior à fæcibus turbulentis via filtrationis separata in balneo Mar. est extrahenda, atque ita ego salem in alembici fundo albicantem inueni, quem dissolutione in prædicto liquore recenter extracto, & filtratione & distillatione triplici album reddidi & clarum instar cristalli.

Author ille noster putauit medicamentum quoddam eximium horum elementorum nonnullorum admixtione producere, decoctione prius philosophica semel peracta, quo nõ dubitauit ipsa metalla solummodo impura mundificare, verum etiam corpus humanum ægritudine languens reficere atq; restaurare, quare satis istius portionem vnicam cum partibus auri sui potabilis tribus, aerisq; duabus permiscebat, atq; compositionem hanc calore lampadis moræ Alchymiæ vulgaris diu tractauit, cuius quidẽ operationis effectum non multum credo ab illo chymicorum spuriorum discrepasse, qui semitam rectam relinquentes, naturæ conatus ad phantasticas suas conceptiones & inuentiones distorquere & violẽter cogere somniant. Quod autem ad me attinet, me officium erga vos meum (Lectores Optimi) dextre & vberrime (spero) in eo obiisse, quod elementorum sanguinis humani ab inuicem diuisionem anatomicam artis chymicæ ministerio peractam, oculis vestris intuendam produxi; Et quamuis ab aliquibus fortasse obiici queat, contra assertiones meas prædictas quod per huiusmodi demonstrationem meam minima sanguinis portio reperiatur de elemento aeris participare: tamen tales velim ego esse memores, me sanguinis massam integram non simpliciter esse aeream dixisse, sed ex subtilioribus elementorum portionibus, adhuc post primæ cococtionis fæcum separationem remanentibus, massam illam fuisse compactam; nam quis medicorum aut philosophorum ignorat? minime vnquam serositate sanguinea (quæ est aqua) venam cauam destitutam esse, aut ipsum sanguinem naturaliter suas fibras deficere, aut à materia sua biliosa aut vnctuosa omnino immunem esse, imo vero & *ipsum sanguinem in pinguedinem conuersum facillime* legimus, nam si coquatur, ex eo fæuum seu pinguedo fieri potest; quod etiam sanguis suis fæcibus sit præditus neminem sagaciũ latet. At vero sanguis ideo dicitur aer, quia de aere magis quam de alio aliquo elemento participat, nec quidem medicis & philosophis in natura versatis ignotum est, quibusdam sanguinem adesse puriorem, quibusdam impuriorẽ, quod fit tam secundum hominis complexionem, quam ætatem ipsius. Vnde autor secreti prædicti respectum videtur habere, ad ætatem; Est etiam tempus quoddam in vita in quo temperamentum ad põdus regnare dicitur, in quo procul dubio *sanguis (qui*, teste sacratum scripturarum, *est vitæ & animæ sedes)* est temperatissimus & purissimus in corpore humano. *Arist. lib. 3 anim.*

At nunc ne hoc nostrum experimentum nihil vobis vtilitatis afferre obiiciatis, præter massæ eiusdem anatomizationem (quæ solummodo ad hoc nostrum institutum attinet) nonnullas elementorum ipsius in medicina vtilitates proferre gestio.

Phlegma eius mirabiliter ad pruritum & scabiem conferre dicitur, & ad hoc quidem expertum est.

Elementum aeris atq; etiam ignis mirabiliter, imo vero in ipso momento solet dolores podagræ, gonagræ, sciaticæ & chirogræ mitigare.

Sal etiam suum in liquorem dissolutum, dolores omnes compescere obseruatur, & multa alia præstare, quæ à nobis minime adhuc sunt experta: sed ad podagræ dolores multoties sum expertus.

Atq; ita sanguinem in partes suas elementares diuisum habetis arte chimica. Nunc vero historiam vobis admirabilem, & multorum testimoniis comprobatam de notabili quodam accidente, authori huic nostro in operatione sua prima superuento recitare me accingam. Sed priusquã ad eiusdem declarationem

perueniamus, De mystica aeris dispositione, & de eiusdem in sanguinem conuersione verba nonnulla faciemus, quo facilius ea percipere, & certiorem huic nostræ relationi fidem adhibere possitis.

Caput V.

De mystica & occulta aeris dispositione, & quod sit animarum, dæmonum, Angelorum & multorum aliorum mysteriorum inuisibilium vehiculum atque receptaculum; Similiter quod condensatione in sanguinem conuertatur.

VT spiritus Empireus dicitur medium inter Deum & corpora cœlestia (vnde & *Angeli* illum spiritum incolentes, *dicuntur astare ante faciem Dei*, & alibi. *Ministri Dei validissimi robore, efficientes verbum, auscultantes voci eius*, hoc est sunt mediatores inter Deum & creaturas cælestes, sic etiam spiritus mundi aereus est, medium inter animam cælestem & corpus. Vnde liquet, quod Deus & angeli mediante spiritu Empyreo sunt in anima cælesti, vt anima cælestis mediante spiritu sublunari, est in corpore, ex quibus liquet, quod mediante spiritu aereo, Deus, spiritus intellectualis & anima cælestis insit in nobis, hoc est in nostro homine externo seu corpore: Quod quidem à Mercur. Trismegisto istiusmodi verbis confirmari videtur: *Anima hominis* (inquit) *in hunc vehitur modum, Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, & spiritus in corpore.* Et alibi dicit, *Mentis indumentum esse animam, animæ vero indumentum esse ipsum spiritum.* Et alibi agnoscit *spiritum æthereum esse vehiculū mentis diuinæ.* Cui etiam Proclus astipulari videtur hisce verbis: *Anima descendendo varie vestitur, & tandem purgatur.* Atq; horum contrariorum mentis diuinæ scilicet cum corpore coniungendæ rationem huiusmodi sermone luculenter explicare videtur Merc. Trismeg. *In mole terreæ existere non potest mens diuina, nec valuit terreæ fæx mentem tam diuinam suscipere, aut tantum numen sustinere, Hinc* (inquit) *est, quod mens animam veluti amictum sumit, quia anima diuina vehiculo spiritu vtitur.* Sed ne à quibusdam profanis hæc ideo respuerentur, tanquam à sacris scripturis minime approbata, ipsis vnum vel alterum locum ex illis proferre haud desistam, quibus diuinos philosophos à Dei verbo minime dissentire ostendam, Apud psalmistam regium inuenimus, quod *Deus sit lucernæ hominis illustrator.* Vnde directe inferre possumus, quod, cum per hominis lucernam intelligat eius animam, necesse sit, quod spiritus seu animæ lux omnis à viuifico radio vultus Dei procedat, sine quo anima est tenebrosa, & non anima, sed nihilum. Atq; hinc immediate post infert propheta: Nam *Deus splendentes efficit tenebras.* Vnde liquet quod Dei splendor, qui est mens diuina, illustrare soleat candelam hominis seu animam, sine qua anima non est magis lucida, quam candela sine flamma. Ex quibus sat liquido constat, quod vita animæ, sit mens diuina, & per consequens mens diuina mediante spiritu Empyreo, insit in anima ætherea seu spiritu vitali. Sed & hoc melius confirmatur, ex Iob, qui dicit ad Deum, *Vitæ benignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua conseruauit spiritum meum*, quibus arguere videtur, quod præsentia faciei Iehouæ conseruatus est in homine spiritus vitalis, & per consequens, quod vita maneat in potestate, imo vero in ipso Deo. Et quod Dei splendor viuificans sit verus actor in spiritu cælesti ad vitam hanc temporaneā, & in spiritu supercælesti ad vitam æternam, quippe ex quibus est *fons vitæ & aqua viua* à Christo & Iohan. in Reuel. memorata: Nonne etiam alibi dicitur à Psalmista, quod *Iehoua sit sol dans vitam & gloriam*: apud ipsum etiam Ioh. legimus, quod *sit vita in verbo, & quod in vita sit lux hominum*, non enim ibi loci dicit, quod vita sit lux hominum, sed *in vita*, hoc est in vitali spiritu *sit sol dans vitam & gloriam*, Per vitam intelligit vitā temporaneam, & per lucem seu gloriam vitam æternam, prioris seu momentaneæ vitę vehiculum, est spiritus intermedius, de tenebris mundi inferioris participans, at vitæ æternæ vehiculum, vbi in secula seculorū regnat Sabaoth, est spiritus Empyreus luci æternæ adhærens; Sed & hoc multis aliis in locis explicatur verbi gratia dicitur à Dauide, quod *vita sit beneuolentia Iehouæ*, Et alibi, *Vitæ fons penes Deum est*, Et alibi, *Vitæ restitutor Iehoua*, Et alibi, *Vitæ meæ Deus fortis*, Sed locus ille inter omnes apertissimus est ad hanc rem, *Deo abscondente faciem suam, creaturæ conturbantur, recipiente spiritum eorum, expirant, emittente spiritum suum, recreantur, &c.* His igitur manifeste declaratum est, quod spiritus hic sublunaris seu aereus sit receptaculum Dei, cum eius *tugurium & vehiculum sit densa nubes, cum ipse stet super alas venti*, & tamen proximum suum vehiculum seu vestimentum est lux Empiræa, vt pote quæ vbicunq; in mundo adest, *insedit* enim *cælum cælorum antiquorum*, vnde etiam dicitur, *Iehouæ quis in superiori nube par æstimatur.* Et tamen vbiq; adest & semper; ô quam admirabilis & occultus est literarum sacrarum sensus spiritualis! quam profunde vulnerat eius litera! Est etiam hic spiritus angelorum cœli superioris vehiculum, vnde dicitur, *qui facis angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem*, Et alibi, *Angeli sunt Dei ministri facientes placitum suum*, In quo sensu tam angeli vindicantes & malo persequentes, quam benignitate diuina homines afficientes, intelliguntur, nam teste Iob, *Angeli tam boni quam mali assistunt coram Iehoua*, Sic, *Angelum mittit Deus ante iustos in negotijs suis*, Sic etiam *angelus malus Iob affligebat, & primogenita Ægyptiorum morte affecit*, Et *angelum Iehouæ vidit Dauid sublatis oculis stantem inter cælum & terram cum gladio suo stricto, in manu sua extenso contra Ierusalaima, populum deuastantem, & peste corripientem, ita vt metu deterritus fuerit Dauid.* Sic etiam *angelum suum misit Iehoua qui excidit omnem valentem robore, & antecessorem ac principem in castris Regis Assyriorum.* Quod autem aer sit commune receptaculum animarum cælestium, spiritus ætherei deorsum se inclinantis, influentiarum, stellarum tam fixarum quam erraticarum, quod (inquam) actionum mirabilium

*Tob.*12. 15. *Psal.*103.20.

Piman. 1.

Procl lib. de Anim.

*Pim.*10.

Psalm. 18.

*Iob.*10.12.

*Ioh.*1.

*Psal.*30.6. *Psal.* 36.9. *Psal.* 41.3. *Psalm.*42. *Psal.*104.29 *Psal.*104.3.4 *Psal.*104.3. *Psal.* 68.34. *Psal.* 89.7. *Psal.*103.4

*Iob.*1. *Genes.* 24. 7. & 32.1. *Exod.*14. 1.*Chro.*22. 1. *Chron.* 32.21.

&se-

& secretorum ingentium tam cælorum quam terrarum sit sacrarium atque myrothecium, quod sit spiritus vnus & essentia vnica, vniuersum orbem terrarum & aquarum massam tegens, quæ etiam ab orbe terratum ad summum vsque cælatum cœlum pertingit, atque etiam super illud ascendit, cum æther nihil sit præter aerem mediocriter tenuem, qui verbo Dei (in eius centro, & extra eius periferiam regnante) ducitur & mouetur, in cuius etiam virtute permanebit vsque ad vltimum pereat: quod occulta in se ventorum, fulgurum & tonitruum, simul atque cometarum, pluuiarum, niuis & grandinis mysteria amplectitur, quod sit mare mundanum, in quo formæ rerum omnium inferiorum specificæ, atque humidum cuiuslibet viuentis radicale natant; quod sit spatium illud commune in quod defunctorum animæ seu spiritus reuertuntur, quod denique sit spiritus ille, qui se cum omnibus rebus sublunaribus miscet, & in iis esse spirituum seu formarum tam salutiferarum quam maliguarum, & veneno compositum afficientium vehiculum, neminem quidem in philosophia mediocriter versatum latere existimo. Hinc definitur aer à nonnullis, esse spiritus vitalis, qui omnia quæ sunt penetrat, eaque adinuicem connectit, hic omnia implet, & virtute suæ animæ omnia mouet, & ob hanc causam à nonnullis Doctoribus Hebræis, hic spiritus inter elementa non numeratur, sed ipsum æstimant, tanquam gluten elementa & elementata simul coniungens, illumque vocant spiritum mundi resonantem influentias & spiritus omnes in se recipientem. Hic ergo est spiritus ille, qui seipsum in sanguinem humanum mediante Naturæ adminiculo tanquam alter Protheus transformat, in qua quidem specie visibili, mysteria nihilominus sua inuisibilia comprehendit, vtpote mentem diuinam. (Atque hinc dicitur homo templum spiritus sancti) Angelos bonos, cuiusmodi erat ille de quo sic loquitur Zacharias propli. *Ecce Angelus, qui loquebatur in me egrediebatur &c.* atque huius officium sic describit Iamblicus, *Hic* (inquit) *angelus animam conciliat corpori, communicatam curat, vitam animæ propriam dirigit*, &c. quod etiam sit prauorum spirituum & dæmonum capax, nos docet non modo sacratum scripturarum testimonium, verum etiam experientia quotidiana, in dæmoniacis, & spiritibus diabolicis obsessis, nam prauis spiritibus spiritum mundi infimum inhabitare concessum est, quippe qui spiritum aut æthereum aut Empyreum inhabitare ob suam impuritatem nequeunt. Porro etiam aer in sanguinem contractus est sedes animæ, in cuius centro, (vt superius est declaratum) mens diuina in spiritu suo Empiræo sedem suam habet, Atque hoc multis sacrarum scripturarum locis confirmatur. Hinc enim dixit Deus, *carnem cum sanguine non comedetis, sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis, quicunque effuderit humanum sanguinem, fundatur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo.* Atque hinc est, quod dictum sit Iob. 24.12. quod *anima vulneratorum seu interfectorum vociferetur, & Deus inultum abire non patiatur.* Ac si diceret, Anima pro violatione sui ipsius & tabernaculi sui effusione &c. Quibus liquet inprimis, quod anima seu vita sit in sanguine, deinde, quod similitudo Dei sit in sanguine, vtpote qui stabilitur à verbo in quo est vita, atque hanc ob causam punitio seueriſſima ordinatur pro iis qui templum naturæ atque animæ sacrarium violare aggrediuntur; Nam licet sanguis sit visibilis aer, tamen in eo species inuisibiles inhabitare videntur, vtpote mens, Angelus, anima, & spiritus inuisibilis, horum omnium receptaculum proximum est aer, vt sanguis ab aere procreatus, est eorum vehiculum remotum atque exterius; Sed quod anima sit in sanguine ex hoc sacrarum literatum loco patet, vbi dicitur, *Qui comederit sanguinem, confirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eum de populo suo, quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis vt super altare in eo expiatis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo, Idcirco dixi filijs Israel, non anima ex vobis comedet sanguinem: si igitur in venatione aut aucupio quis ceperit feram vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem, & operiat illam terra, anima enim omnis carnis est in sanguine.* Sed audiamus (obsecro) quid hac in re loquantur philosophi antiqui, diuinitatis titulo insigniti. Alii volunt, quod vitæ vigor præcipue in humoribus choleræ & sanguine consistat: in sanguine inquam vt per vniuersum corpus dispergatur, & in cholera vt in suo actu reddatur viuacior, Mercurius Trismegistus, *Sanguinem esse vitæ seu animæ curriculum, ita vt mouente vita ad eius motum impellatur & vehiculum, at sanguinem fluidum hac vita priuatum, coaguli atque congelari & quasi mortuum existere* dicit. Empedocles *vim vitæ seu animæ præcipuam in corde* posuit, *hocq; per modum sanguinis*, At Epicurei hoc negant, quoniam corde in Crocodilis extracto, vitam nihilominus in iis diu permansisse obseruarunt. Stoici agnoscunt vitam esse in corde, verum omnimodo negant eã cordi adesse ratione sanguinis, sed virtute spiritus, hocq; videtur luculenter Chrysippus demonstrare. Alii cum Moyse in hoc conuenientes, affirmant, ab Oraculis esse prohibitum & vetitum, sanguinem creaturæ comedere, vtpote in quo est eius anima; At vero mea quidem sententia facillimum est pacem atque concordiam inter hos omnes philosophos producere, eosque inuicem conciliare. Nam qui dixit, animam esse in corde mediante sanguine, veritatem dixit, nec quidem qui eam in corde esse ratione spiritus asseuerauit, mentitus est, quia vt spiritus ætherei portio seu anima cœlestis, est in spiritu mundano, sic etiam & ille spiritus inest in sanguine, cuius vasa sunt cor & hepar. Nec quidem sequitur Epicureorum ratio, quod ablato Crocodili corde statim moriatur animal, quoniam vis vitæ per venas & arterias in vniuersum corpus diffunditur, non enim sequitur, quod ideo arbor virescens statim moriatur, quia radice sua priuatur, nam quandiu sanguis in partibus animalis mouere percipitur, tandiu vita in eo permanere dicitur. Concludimus ergo ex his, quæ dicta sunt, quod verbum sit cuiuslibet rei centrum, sine quo perdurare nequit, & quod mens diuina in homine sit in spiritu angelico, & ille spiritus intellectualis est in anima cœlesti, & anima cœlestis est in aere inuisibili, & aer inuisibilis est in aere visibili qui est sanguis,

Zacch. 2 3.

Gen. 9 4.

Leu. 17. 10.

& sanguis est in corde & hepate, atque hac ratione anima potest dici esse in corde tam ratione sanguinis in quo est mediate, quam ratione spiritus, in quo inest immediate. Sic etiam Deus potest dici inesse spiritui humano, sanguini, & cordi, & per consequens tam in Microcosmo vbique esse quam in Macrocosmo. Vnde ab Apostolo haud inconsulte *dictus est homo Templum Spiritus Sancti.*

His igitur ita se habentibus euidens est, quod anima sine spiritu suo æthereo (qui est quasi vitæ humidum radicale) nec ille, nisi in suo curriculo, qui est aer mundanus, neque ille sine suo vehiculo, quod est Humanus visibiliter condensatus, qui est sanguis, neque in corpus ingredi, nec in ipso mouere, nec tandem ab eo mortis violentia discedere possit, quoniam sanguis aeri, & aer ætheri, & æther animæ lucidæ seu vitali vinculis naturæ adinuicem ita adligantur, vt vnum sine altero in hac regione elementari moueri nequeat, imo quælibet pars sanguinis talem habet ad suum totum respectum, dum anima in corpore agat, vt illa etiam respicitur à suo toto, nam spiritus aereus à suo simili (prout sat liquido declaratur in vnguentiarmarii effectu, de quo infra) non minus diuidi potest, quam animæ pars à suo toto, vnde cum dictum est, *quod anima interfectorum vociferetur*, non intelligitur anima manca, sed integra, cum suis vehiculis inuisibilibus tam aereis, quam superlunatibus, quæ quidem vinculo admirabili vltimo suo vehiculo sanguini videlicet adligantur. Atque hinc prouenit, quod si quis transeat per locum in quo homo est interfectus, aut vbi mortui aut interfecti cadauer nouiter occultatur, stupore atque timore nonnunquam afficiatur, quoniam in aere qui est iam vltimum vehiculum, in quo anima interfecti vehitur) huiusmodi cæde perturbatur, & spectris horribilibus & tremendis vndiq; circundatur, & sic cum spiritu interno hominis transeuntis se iungens, ipsum ēt similib⁹ figuris inuisibilib⁹ afficit, vnde timor incutitur, nam tam tener est naturæ spirit⁹, vt impressiones externas etiam inuisibiles, facillime recipiat, atq; hinc oritur, quod si sensus visionis spiritus propter longā ægritudinem, euadat debilis, ēt aer satis densus pro speculo ei inseruiat, ita vt quis suæ faciei imaginē in eo percipere queat, quod quidem non modo ab Aristotele & Alberto scribitur, sed etiam à me ipso quadam febri periculosa laborante compertum est verum. Ex quibus euidenter liquet, quod aer, qui est animæ interfecti sedes, & currus, nexu inseparabili relationem habeat ad sanguinem adhuc in corpore defuncti remanentem. Nonne hoc lucide declaratur in reis, nam cædis conscijs præsentibus cadauer confestim sanguinem recentem emittere solet, at vero si minime sint nocentes, nihil sanguinis è cadauere egredietur, quod quidem, ni spiritus aereus animæ receptaculum ad cadauer huiusmodi relationem haberet, præstaret núquam, nam spiritus hic à cadaueris sanguine minime adhuc totaliter separatus metu quasi perculsus, in corpore mouetur, & motu huiusmodi subitaneo sanguinem congelatum liquefacit calore sui motus. Porro etiam est luctatio quasi atque contentio inter spiritus interfecti & interficientis, qualis erat inter spiritus Eteodis & Polynicis, quibus se inuicem pugna interficientibus, etiam spiritus eorum ignis flamma permisti, flammam à flamma distinguere videbantur. Nam proculdubio ipsa anima defunctorum in aereo spiritu tanquam suo vehiculo, etiam à cadauere separato inhabitare solet. Vnde & passionibus similibus post ipsius à corpore separationem, afficitur, quoniam hominis passiones non à corpore, quod per se est immobile, sed à spiritu sublunari, quo ab anima tanquam passiuo ab agente impulso turbide & peruerse mouetur, & in motu suo passiones exagitat, influentiis fatalibus gubernatas: Nam anima tam pura in se existit, vt nisi ab huiusmodi spiritu rebelli afficiatur, suauiter & benigne agat, est enim spiritus sublunaris, & non æthereus, qui ad spiritus tam malignos quam benefuolos recipiendos paratus est, quibus aut perturbatur, aut pacificatur anima, nam cœlum naturaliter mutationibus non est subiectum, quia elementer agit in suo spiritu, at vbi actiones eius male recipiuntur, peruersi erunt ipsarum effectus, sed vt vlterius adhuc procedamus in inquisitione hac nostra, inquit Merc. Trismeg. *quod anima recurrente in se ipsam, spiritus in sanguinem & anima in spiritum contrahatur.* Porro dicit, *quod anima sit receptaculum mentis, & quod spiritus sit fundamentum animæ, spirituum vero receptaculum facit sanguinem, nam spiritus mediantibus suis internis essentijs, non aliter agit in sanguinem, quam anima in corpus, seu cœlum in terram. Similis etiam respectus habetur inter animam & spiritum, & inter mentem atque animam.* Vnde concludit, *quod spiritus in corpore per venas arterias que sanguinemque diffusus, animal vndique cieat, molemque corporis suspensam sustineat, & circumferat.* Atque alibi concludit, *quod vt anima in corpus penetrare non potuit, nisi mediante spiritu, ita etiam è corpore egredi nequeat nisi mediante eodem spirituali vehiculo, nec quidem potest ille spiritus ita à sanguine separari, quin ad sanguinem cum sit suum vehiculum habeat relationem, quod etiam dissolutione in suam naturam inuisibilem & spiritualem conuertetur.* Atque hæc est ratio quod animæ defunctorum quandoque appareant, hominibus, atque iterum victu quasi oculi euanescant, nam vt nubes visibilis nihil aliud est quam aer condensatus & contractus, quæ iterum dilatata, in suū esse inuisibile, etiam nulla pluuia apparente dissoluta conuertitur, sic etiam spiritus iste animæ vehiculum, cum spiritu sanguinis priori iam putrefactione attenuato, & in aerem inuisibilem redacto, in vasta mundi cauitate coniunctus, & huc atque illuc in spiritu mundano natans, subito se contrahere, & contractione hominibus visibiliter comparere solet, in eadem forma & effigie, qua corpus erat, dum vescali fruebatur aura, cum hoc sit certum, & à philosophis comprobatum, quod nulla figura sit in corporalibus, quæ non erat prius in spiritualibus, nec quidem est aliqua creaturæ effigies hic in terra, quæ in cælis non erat prius reformata: sic etiam spiritus Samuelis verus & non præstigiosus apparebat Saul regi, videlicet condensatione sui spiritus inuisibilis, in speciem visibilem, qui subito per dilatationem iterum inuisibilis erat factus. Sic etiam corpus Eliæ spirituale factum transfiguratione cum illo Moysis Christo & Apostolis apparebat, in monte Tabor. Atque etiam illud

Iob. 24. 12.

Piman. 10.

lud Christi post resurrectionem in medio Apostolorum contrahendo, scilicet speciem suam subtilem, illamque condensatione visibilem reddendo, comparebat; At vero cum euanescere voluerunt hoc quidem dilatatione & subtiliatione subito fecerunt; nam iuxta illud D. Pauli *à corruptione surrexerunt ad incorruptionem, à corporea dispositione ad incorpoream & spiritualem.* Hinc igitur accidit, vt spiritus etiam mortuorum, cadaueribus ceremoniis defunctis conuenientibus destitutis, aut ipsorum sanguine præter modum & violenter tractato nonnunquam visibiliter apparere obseruentur. De huiusmodi apparitionibus innumerabilia exempla hoc in loco allegare possumus, sed quia alia me auocant, historiam hanc vnicam de simili euentu quod autori prædicto nostro secretum antea descriptum quondam operanti accidit, vobis aperiam.

Caput VI.

De historia admirabili mysticum sanguinis post mortem alicuius cum spiritu & anima eiusdem nexum demonstrante.

AN huiusce accidentis constellatio aliqua cęlestis, aut varia operandi ratio aut hora electionis in operis primordio, vel an ratione mortis nonnullorum ipsorum ex quibus sanguis erat prius extractus, aut in longa materiæ sanguineæ putrefactione huius rei iam recitandæ causa esset, prorsus & ipse artifex, & ego, & multi aliitam oculares quam auriculares testes ignoramus & ignorauerunt. Sed autor ille noster antea citatus, in ciuitate Lutetia iuxta locum illum qui dicitur *Le Temple*, multorum amicorum suorum instantiis opus hoc seu sanguinis humani anatomiam chymicam constanter est aggressus, Sanguinem igitur ab amico suo accepit, qui per biennium in olla bene obturata putrefactionem est passus, eratq; sanguis ille ex variarum personarum brachiis emissus atq; extractus; exordium igitur huic suo operi die quodam Saturni, horam circiter nonam, vtpote quæ celebrandæ Missæ communis, fecit. Per integram septimanam varios ignis gradus (vt supra declaratur) obseruando intentionem hanc suam igne continuo persequitur. Interea vero temporis die Veneris sequente, circa mediam noctem, artifice hoc nostro in cubiculo, suo laboratorio contiguo, lecto incumbente inter somnum & vigiliam, dum interea plenilunii splendor cubiculum illustraret, quod & erat in parte domus fere superiori, Ecce, exortus subito mugitus horribilis, boum mugitui, aut Leonis rugitui similis, quo audito artifex ille attonitus in stuporem, & sudore frigido vndiq; perfluens, se in lecto quietum & immobilem retinuit, finitoq; illo sono in laboratorio, subito inter ipsum & fenestram nebulam quandam in forma quali condensatam prospexit, quę paulatim effigiem humanam induere complete videbatur, clamoremq; alium & acutum efficiens subito euanuit. Et certe licet hoc quibusdam incredibile videatur, attamen non modo nobiles in cubiculis proximis, imo vero & hospes ipse cum vxore, in ima regione domus iacens, verum etiam vicini in opposita plateæ parte habitantes, tam rugitum quam vocem distincte audiuerunt, atque etiam nonnulli eorum eiusdem vehementia expergefacti sunt. At vero artifex in hoc se solatium inuenisse dicebat, quod Episcopus ille, à quo sanguinem hunc præparatum, simul atque secretum eiusdem accepit, cum præmonuerat, quod si eorum aliquis à quibus sanguis extrahebatur, tempore putrefactionis moreretur, eius spiritum sæpe in artificis obiecto cum perturbatione comparere solere. Porro etiam die crastino videlicet die Saturni sequenti, Retortam à sua fornace sustulit, leui clauis cuiusdam pulsatione confregit, & in eo caput sanguinis mortuum inuenit, caput (inquam) haud ineptemortuum dicendum, quoniam in re omni videlicet in facie, oculis, naribus, ore & capillis qui erant aliquantulum rari & aurei coloris, caput humanum repræsentabat. Atq; huius etiam rei quamplurimi sunt testes oculares, videlicet amicus meus charissimus, & vir nobilis atque fide dignissimus, Dominus de Bourdalone, primus Ducis Guissiæ secretarius, qui de hac re literas mihi in Angliam mittens fuit in causa, quod partim huius rei certitudinis cognoscendæ causa atque partim aliis negotiis particularibus motus, Lutetiam profectus fuerim, vbi historiam istam à viris grauibus & honestis comprobatam & confirmatam audiui, videlicet à domino Menanton in illa domo tunc temporis viuente, à Doctore quodam in medicina, ab hospite illius, & multis aliis, vnde liquet, quod integer spiritus illius viri mortui, istius sanguinis exigui in vita sua extracti spiritum relatione indiuisibili respexerit, ita vt igne cruciata sanguinis ipsius portione, vna etiam spiritus eius è corpore exhalatus propter continuationem symphoniacam vnius ad alterum perturbatus & vexatus fuerit, sed & hoc experimentis sequentibus optime explicatur.

Caput VII.

De Experimento notabili in quo eximia inter sanguinem & sanguinem diuersorum virorum connexio & sympathia explicatur: quo etiam historiæ præcedentis probabilitas confirmatur.

A Quodam Duce seu Capitaneo magnanimo, natu nobili, belli gnaro, natione Scoto, nomine Hambleton, in rebus occultis cognoscendis studioso, in regionibus exoticis optime versato, vita, conditione & fide honesto, nobilitate & diuitiis satis fausto, fideliter accepi, Italum quendam cui siue in pugna siue accidēte aliquo alio nasus erat excisus, à quodam captiuo, paupertate misero, pretio prius posito, impetrasse,

vt vulnere in magis carnosa brachii sui parte impresso, locus ille ita recenter sauciatus, naso nouiter etiam mutilato seu decurtato applicaretur, hocq; sine vlla separatione, quousq; medicamẽtorum præsidio glutine tandem firmo in vnicam substantiam continuam vnirentur, quo quidem opere temporis diuturnitate, non sine vtriusq; patientis incommodo & tædio ad exitum perducto, offa carnis satis grandis incisione ex brachio dempta est; quæ postea in nasi prioris effigiem reducta est scalpello partim, partim debita tenuissimæ plumbi laminæ applicatione; atque ita nasum satis decentem & ornatum possidebat.

Eueniebat autem, vt lapsis ab eo tempore annis quibusdam miser ille qui carnes suas pretio vendidit, mortem obiret, quo etiam tempore obseruatum est, quod pars illa nasi mutilati, quæ à defuncto dum viueret pecuniis empta est, primum languescere, ac tum postea putrescere atque gangrænare occeperit, ita vt carnem putridam vsq; ad illam sibi propriam perringentem scalpello auferre coactus fuerit. Huiusmodi igitur obseruatione & experientia alii, quibus accidente aliquo decurtati sunt nasi, brachium suum propriũ vulnerare, eiq; nasum mutilatum applicare solebant, & quamuis hoc non nisi extremo labore & tædio summo præstare potuerint, tamen duplicis commoditatis expectatio patientiam ingentem iis impressit, videl. non modo membri defectiui reædificatio & refectio, sed etiam eiusdem in eodem statu vsque ad mortem continuatio. Ex huiusmodi igitur experimento satis luculenter explicatum habemus, quanta sit inter sanguinem vnius & alterius relatio, multo magis inter integram sanguinis eiusdem massam, & portiunculam ab eo diuisam, quemadmodum in vnguenti Armarii seu magnetici mysterio (de quo infra aliquid dicemus) abunde explicatum est. Experimentum ergo hoc inter Italos satis notũ & familiare, erat experimenti alterius momenti haud exigui fundamentum, quod etiam, vt quidam mihi recensuit, apud nonnullos tam Italos quam Germanos hodierno die in vsu habetur: Experimentum autem est huiusmodi.

Caput VIII.

De quodam Experimento ab occulta sanguinis cum suo simili sympathia dependente, mediante quo, duorum hominum per longum interuallum ab inuicem distantium sensus (nullis literis aut nuncijs intermediantibus) facillime discerni possunt.

EXperimentum (dixi) præcedens erat huiusce consequentis fundamentum, nam cum tantam percepissent nonnulli ingenio acutiores sympathiam inter carnes vnius hominis & illas alterius, (quarum origo atq; nutrimentum erat sanguis) hanc ab occulto sanguinis vtriusq; spiritu prouenisse animaduerterunt; Nam si animæ sedes sit spiritus, vt & spiritus sedes seu vehiculum sit sanguis, necesse est quod huiusmodi sympathia in natura à primo actore seu agente inprimis procedat, cuius currus & receptaculum mediatum est sanguis, & immediatum spiritus inuisibiliter per sanguinis massam vagans.

Hinc igitur rem istam hoc modo aggrediuntur, brachium seu locum aliquem alium aut incisione vulnerant, aut cauterizatione perforant, vulnereq; à suo sanguine aut materia mucosa optime expurgato, & incarnare incipiente socius istius viri sic sauciati, vel ex digito vel alio aliquo loco nonnullas sanguinis guttulas vel incisione vel punctione extrahere debet, easq; in alterius vulnus infundere, vt obturato cum emplastro aliquo foramine, sanguis hic infusus cum sanguine viri vulnerati fermentari, & tãdem vniri possit. At si quis obiiciat, sanguinem istum infusum, vtpote extra suum locum proprium, putridum fieri, agnoscimus, quod sanguinis substantia, nihil huic nostro operi Sympathetico conferre possit, sed solummodo occultus in sanguine illo spiritus, mediante quo anima vnius cum anima alterius communicare videtur; Nam spiritus spiritui facillime naturæ glutine coniungitur, quoniam natura naturam lætatur & gaudet. Vt in gutta aquæ seu argenti viui granula videmus, quæ suo toti inseparabiliter coniungi solet. Curato igitur vulnere more solito, secretum in hoc latere dicunt, videlicet quod si cicatrix vulneris acu vel acicula pungatur, locus seu pars alterius, à quo sanguis fuit extractus, longe vtcunq; à vulnerato distantis eandem punctionem statim admirabili spirituum sympathia persentiet. Quod cum ita sit, rem esse facillimam concludunt, mediante Alphabeto quodam, rem aliquam cuiuscunque naturæ aut conditionis, inter se communicare. Verbi gratia pro litera A. punctio vnica sit imprimenda, pro B. duæ, pro C. tres, & sic in cæteris. Imo vero audiui, quod tam fortis sit virtute communicationis istiusmodi sanguinis consensus & nexus, inter spiritum vnius atque illum alterius, vt moriente homine à quo sanguis est extractus, necesse sit, naturam sanguinis in vulnere infusam etiam incisione eradicari, ne locus putrescat, & tunc postea more priori cõsolidandum est vulnus. Deniq; istiusmodi sanguinis cum sanguine consensus, admirabiliter in illa vulneris per vnguentum Magneticum curatione explicatur. de qua *cap. seq.* sufficienter (volente Deo) agemus. Porro etiam sympatheticæ huiusmodi operationis probabilitas, per expertissimam illam de lapide Magnete conclusionem adeo à nonnullis ebuccinatam confirmatur, virtute cuius communicatio inter amicos difficilis locis viuentes est facta. Huius autem rei mysterium (vti mihi à quodam meo amico reuelatum est) sic accipite.

In promptu parandæ sunt duæ tabulæ æqualiter quadratæ, à quarum cuiuslibet centro delineetur circulus æqualium diametrorum atque horum circulorum areæ more instrumenti illius marini nautis per quam necessarii quod Angli vocant *the sea Compas*, Galli *Le Compas marine*, excauari debent: Hi autem circu-

li ca-

li caui per fundum duobus diuidendi sunt diametris, ipsos in partes seu quartas quatuor distinguentibus, quorum diametrorum extremitates super concauitates se extendentes indicare quatuor mundi cardines seu partes solent, videlicet Orientem, Occidentem, Aquilonem, Meridiem, quæ per N.S.E.W. in concauitatis margine notari solent. Tunc supra cauitatem ex vtroque diametri extremitatis latere in angulo orientali per E. signato, quatuor exprimantur literæ primæ, a.b. nempe ex vno latere & c.d. ex alio; Similiter ex vtroque latere extremitatis S. meridiem denotantis, describantur, E.V. & G.H. Atq; etiam ratione præcedenti, in extremitate W. occidentem quartam indicante, collocrdæ sunt literæ I.K.L.M. Deniq; literæ n. o.r.s. in extremitate boreali per N. designata: Denique præparandæ sunt duæ acus eiusdem dimensionis, quæ ambæ cum eadem magnetis portione tangi debent, quę ita præparatæ, concauitatis centro more communi applicandæ sunt. Porro etiam tintinabulum diligens concauitati ita est adaptandum, vt acus pars anterior, contra illud pulsans, vnum vel alium amicum de tempore interlocutionis admoneat. Huius rei descriptio hic sequitur.



Quo facto, in promptu habenda sunt duo instrumenta ferrea, ex ferro sepries vel pluries fuso confecta, quorum dimensio debet esse ad pollicis magnitudinem in rotunditate, & cuiuslibet eorum extremitati vnicæ, ligneum quoddam manubrium applicabis, quo sine manus læsione id in igne calefactum retinere queas: Altera vero eius extremitas ad formam Rhombi seu Adamantis quadrati reduci debet, & supra istius quartas Rhombi scribe secundum mundi positionem, N.S.E.W. id est Septentrio, Meridies, Oriens & Occidens. Itaque diu teneantur huiusmodi extremitates Rhomboidales seu Adamantinæ in igne, & ad metalli fusionē fere. Tunc ferrum ab igne extrahendo, terminumque Rhomboidalem deorsum tenendo, conuertatur quarta eius S. directe ad meridiem; & fortiter cum magnete potentissimo fricetur seu tangatur: Tunc partem eius Boreálem versus Boream directe positam, cum illa magnetis specie Theamedes dicta, (cuius proprietas est, Aquilonis à parte aerem attrahere) perfrices; post hæc applicata, vt antea S. ad Meridiem eleuetur, quarta Rhombi. E. versus Orientem, & cum Adamante etiam permulceatur. Deinde, secūdum eandem stationē (S. scilicet respiciente Meridiem) verte quartam, W. versus occidentem, & fricetur more prædicto, quo facto; suspendantur duo ferrea ista instrumenta, extremitatibus Rhomboidalibus deorsum respicientibus, quousque complete refrigescant. Ac tum postea ex lignis quibusdam bonis, parentur manubria duo, ambabus ipsorum extremitatibus affigenda, Effigies huiusmodi instrumenti est talis.

Nota, quod si acus ex prædictis duabus vnica ab aliquo horum instrumentorum moueatur, tunc actionem habebunt ambæ ad inuicem Sympatheticam, etsi vna ab altera per 40. aut 50. miliaria fuerit distans; nā virtus hæc Sympathetica, eo latius se extendit, quo magis facultate & fortitudine exuberat magnes.

Operatio ergo huiusmodi est.

Duo amici suas tabulas & ferrea instrumenta possidentes, sic inuicem conferre solent, vitrum planum concauitatem circuli atq; acus obtegens, auferre debent, quo facto cum suo instrumento ferreo ad tintinabulum acum attrahunt, atque ita pulsatione acus contra tintinabulum sonus edetur, cui & tintinabulum tabulæ amici absentis resonando etiam respondebit. At si absens non prorsus simili pulsatione ei responderit, reiteretur hæc eius pulsatio tali tempore, quando amicum distantem suæ tabulæ propinquiorem esse imaginatur; habito autem inter ipsos signo, tunc campanellas auferant ambo, (nam tintinabula sunt pro artistarum placito vel auferenda vel addenda.)

Ille qui primā facit motionem, debet conceptionē suam paucis verbis contrahere, atq; etiam verba eius pauciſſimis literis; Tunc eius absens amicus sic cōpellatus, cartā habeat paratā & atramentū, ad literas illas colligendas, quæ per acū assignantur aut demonstrantur, q̄ indicatio fit, ducendo acū ad quartā vbi prima litera est, ac⁹ vero ductio, fit virtute instrumēti ferrei, applicando illā Rhombi superficiem ad acū, q̄ respondet

ad illam quartam, in qua litera ſuppoſita ineſt, Et ſi ſit prima litera in ea quarta acum ducit ad eam non niſi ſemel, ſi ſecunda, acumbis ad eam quartam reducit, ſi tertia, ter, & ſic in cæteris. Sed huiuſmodi acus ductio debet conſequenter & ſine intermiſſione per 2.3. aut 4. vices fieri.

Porro etiam amico abſenti iiſdem mediis reſpondere ad amici præſentis interrogationes & petitiones licet.

Hoc ſecretum ego ipſe me nondum expertum eſſe fateor, eiuſdem tamen probabilitas eſt valida, quoniam per ſpiritus mundani ſympathiam in rebus variis ſitam maiora adhuc longe poſſe præſtari teſtatur experientia, vtcunque mihi hoc ſecretum pro vero & experto ab amico meo docto, & pro fide in exiſtimatione haud exigua habito, datum eſt, quod hoc in loco ideo lectori ſignificare decretum eſt, quia ſimilis eſt iſtius experimenti ratio illi à nobis antea recitatæ, ita vt vnius diſpoſitio diſpoſitionem alterius confirmare videatur. Vt enim ſpiritum in ſanguine ineſſe ſupra affirmauimus, eumque per relationem exactiſſimam, hocque ratione ſpiritus ſui magnetici ad diſtans per medium aerem radios ſuos ad ſuum ſimile transferre, ſic etiam ſpiritus lapidis magnetis perferri poros transfuſi eandem cum ſuo ſimili abſente mediante aere affectionem & ſympathiam habere videtur.

Ego vero de lapide Magnete, candidi coloris, & venis repleto in ciuitate Auegnionenſi, cognoui duo inſtrumenta huiuſmodi, facta findendo magnetem per venam eius albicantem, vnamque eius partem tabulæ vni, alteram vero alteri adaptando, quorum acus vnius intra ciuitatis mœnia mouebat, ad motum illius extra: Sed an vis illa magnetica per longiorem diſtantiam ſe extenderet, hoc neſciebam.

Denique huius operationis magneticæ poſſibilitatem confirmare videtur vnguenti magnetici vis atque potentia toties à multis experta & explorata, de qua cap. hoc ſequenti fuſius tractabimus.

Caput IX.

De varia vnguenti Armarij ſeu Magnetici compoſitione, proprietate, & ſympathetica illius per ſanguinem operatione.

EXimia eſt inter res eiuſdem naturæ ſympathia, quemadmodum diſpoſitionum inter eas contrariarum antipathia admirabilis, quod quidem hominibus inſcitia obrutis impoſſibile prima fronte videretur, niſi infallibiles huiuſmodi naturarum proprietates, in rebus diuerſis ocularis confirmaſſet experientia; Nec quidem extra hominis naturam quicquam inuenitur, quod rerum ſympathiam magis arguat, quam fortiſſima ipſius magnetis ad ferrum relatio, eiuſque ad ſtellam polarem affectio; Nec certe (vt ad hominis regnum perueniamus) eſt quicquam, quod ſympathiam & compaſſionem inter eum atq; partes vitali ſuæ diſpoſitioni appropriatas, luculétius demonſtret, quam manifeſta illa relatio quæ obſeruatur eſſe inter vnguentum ex ſanguine, aliiſque hominis partibus conflatum, ac vulneratum, & inter cruorem à vulnerato effuſum, atque ſanguinis maſſam quæ in ſauciato corpore adhuc reſeruatur, vnde via comparationis inter magnetis effectus & illos iſtiuſmodi vnguenti facta, (vtpote qui ſunt ſimillimi,) vnguentum hoc magneticum appellatur.

Primum igitur compoſitionis eiuſdem ingredientia atque menſuras ipſorum vobis explicabimus, atq; effectus illos quos praxis atq; experient a, etiam ſtultorum magiſtra produxit, deſcribemus, quo facilius de partibus humanis in illud ingredientibus diiudicare poſſitis. Deinde naturales operis iſtius occulti & ſympathetici rationes ex ingenii mei, quale quale illud ſit, ſacrario ſeu myrothecio depromere mihi liceat, quo reuera vobis quænam ſit animi mei hac in re ſententia atq; opinio, breuibus oſtendam.

Compoſitio eſt huiuſmodi.

Rec. Moſcæ ſeu Vineæ ex Caluaria hominis diu ſuſpenſi excreſcentis, vel pro defectu eiuſdem, de oſſibus ſulpenſi & laqueo præfocati, aeri diu expoſitis & concretis, ſimul atq; Axungiæ humanæ an. ℥ij. Mumii, ſanguinis humani, Boli Armenici an. ℥j. Olei lini ℥ij. Terantur omnia in mortario quouſq; in vnguentum reducantur ſubtile, quod in capſulam eſt reponendum, atque ſagaciter pro vſu reſeruandum.

Videmus ergo in huiuſmodi compoſitione, vnguentum hoc ex rebus humanæ naturæ optime conuenientibus eſſe conflatum, & per conſequens, quod magnum ad eius ſanitatem & exiſtentiam reſpectum habeat, quippe ad cuius compoſitionem ſanguis primo loco cõcurrit, in quo ſita eſt vis vitæ. Hic (inquam) adſunt hominis oſſa & eorum eſſentia in forma moſcæ ſeu vſneæ excreſcentis hic ipſius caro in Munio ſcilicet ex carne & balſamo confecto, hic humani corporis pinguedo cum cæteris ad vnguenti iſtiuſmodi perfectionem conuenit, atque cum his omnibus ſanguis (vti dictum eſt) permiſcetur, qui erat prædictorum omnium origo & pabulum, vtpote in quo vitæ ſpiritus, & cum eo ipſa anima lucida deliteſcere & occulto more agere ſolet: Ita vt integra corporis humani perfectio, ad huiusce vnguenti pretioſi confectionem concurrere videatur. Atque hinc eſt quod tantus factus ſit inter hoc vnguentum & corporis vulnerati ſanguinem reſpectus: Nam neceſſe eſt, vt aliquid ſanguinis ſauciati, etiam ex vulneris profunditate eliciatur, quemadmodum ex ſequentibus manifeſte explicatur.

Cum

Cum igitur vulnus alicui infligitur, aut instrumentum vulnerans cruore perlitum est recuperandum, aut pro defectu illius lignum aliquod acutum in profundum patorem, vbi vulnus dehiscit est immittendum quo sanguine intingatur. Illud igitur instrumentum siue sit ensis, cultellus, securis, seu deniq; lignum aliquod ita sanguine infectum, ad locum capsulæ vtcunq; à patiente elongatæ reportari debet, deinde in vnguentum immergatur, & in eo ita ad curationis complementum relinquatur: Interea temporis vulnus singulis matutinis temporibus, recenti panno linteo in proprio patientis lotio madefacto ligari debet. Atque ita (Deo vouente) sine emplastro sanabitur. Est autem hoc in sauciatis expertum, qui abipso vnguento per 10. aut 20. milliaria germanica distabant. Prodest etiam & aliis doloribus, vtpote illis dentium & similibus, qui à praua sanguinis dispositione prouenire obseruantur. Item si clauo equi cuiusdam pes aut per fabri ferrarii negligentiam, aut ab alio quodam accidente vulneretur, ligno in vulneris fundum immerso, & in capsulam seu arculam reposito, vulnus intra paucos dies sanari repertum est.

Inprimis autem in curatione obiter hoc vnum obseruandum est, quod in ea summum & constans regimen sit obseruandum: nam si vnguentum hoc nimis calide custodiatur, & vulnus calore nimio erit affectum, vel si frigore rigeat, de eadem etiam indispositione gustabit & vulnus. Et iam in experientia & cognitione quidem mea historiam vobis recitare mihi liceat. Nobilis quidam & gradu eques auratus, nomine S. Nic. Gilbourne mihi frater, vtpote qui sororem meam natu maximam duxit, vir quidem nemini (vt opinor) ex nobilibus Angliæ doctrina & philosophia postponendus, cum ex officio suo (quod circa naues regias versabatur) naualis Angliæ apparatus ei in cura esset, Hic (inquam) isto vnguento pixideni plenam secum retinens, fabrum quendam lignarium, ad naues reficiendas conductum grauiter securi esse vulneratum audiuit, quo annunciato, securim cuius acies sanguine vulnerati erat perlita, protinus ad se adferri iussit: & vnguento suo securis aciem cruentam perfricans, eamque pannis linteis à frigore muniens, in conclauis sui quendam clauum suspendebat, clausoque ostio discessit, & subito vulneratus ille se solatium sensisse fassus est, & indies magis magisque conualescere perrexit: At vero quodam die de vulnere suo atque de dolore, & intemperie eiusdem conquestus est admodum, astantesque omnes sunt admirati, quod nulla occasione euidenti data, tam repentina inquietudine esset afflictus, ad fratrem meum statim defugiunt, ipseque ad suum conclaue festino gradu properat, inuenitque securim forte fortuna humi prostratam, linteis amiculis destitutam, atque partem vnctam aeris inclementiæ obnoxiam; quare vice secunda ipse instrumenti aciem vnguento illiniuit, eamque linteis tegumentis inuestiit, & immediate vulneris dolor est mitigatus, illudque ad pristinam temperiem redactum, atque ita mox conualuit.

Iam vero ad huiusce curationis sympatheticæ demonstrationem naturalem progrediemur, vt non modo ore experientiæ loquamur, cum hic sit mechanicorum mos atque consuetudo, sed rationibus ab occulto naturæ gremio seu promptuario decerptis, more philosophorum huius actionis mysterium luculenter depingamus.

Cum aer (vti antea est dictum) sit medium seu vehiculum spiritus cuiuslibet rei, qui etiam currus ipsius animæ seu lucis cælestis seu agentis primarij dicitur: Porro etiam cum sanguis sit horum omnium receptaculum, sequitur inde quod sanguinis in vena seu arteria motus sit ab ipsius spiritus impulsu, vt ille iterum à luce seu anima in eo tanquam à vento recta agitatur, quæ & ratione simili in homine à spiritu intellectuali in animæ centro inhabitante incitatur, in cuius etiam meditullio reside mens diuina tanquam princeps, imperator, atque primum internum agens, quod est mundi maioris principium ante omnia factum (iuxta illud Ecclesiastici, *Sapientia ante omnia creata.*) Hæc ergo mens erat primus spiritus mundani in suo organo inflator, primus chordæ Monochordi mundani impulsor, in spiritu lucido seu Empyreo semper ambiens, vt ille in luce seu anima cœlesti, qui etiam cum suo spiritu in aereo spiritu non aliter vehitur, quam ille in sanguine. Hæc ergo est ratio quod sanguis non aliter aeri visibili nexu naturæ concatenetur, quam elementum aquæ terræ, atque iterum aer sanguinis visibilis, aeri inuisibili in eo insito, quam elementum aquæ illi aeris. Atque etiam anima lucida cum suo vehiculo lucido aeri (in quo vehitur) quam elementum aeris igni. Porro etiam se habet spiritus intellectualis ad animam, vt substantia cœlestis seu ætherea ad illam Empyream, seu spiritum intellectualem, vt Deus ad spiritum angeli, cum quo vndique circundatur, (iuxta illud quidem Psalmistæ regii) *Deus est amictus lumine*, hoc est spiritu igneo. Ex quibus manifestum est, quod Sanguis & vita primario mouentur à mente, at secundario ab anima, cuius impulsu prouocatur spiritus, ad cuius nutum sanguis mouetur in sua vena: quod etiam confirmat Mercur. Trismeg. huiusmodi sermone, *Anima humana in hunc vehitur modum, Mens in ratione, ratio in anima, anima in spiritu, & spiritus in corpore, ac tandem spiritus per venas arterias q; sanguinem q; diffusus animal vndiq; ciet, molemq; corporis suspensam sustinet atq; circumfert.*

Cap. 2.

Psal. 104. 2

Pimand. 10.

Ex his ergo liquet, quod quatenus sanguinis substantia suo spiritui nexu quidem inseparabili confungitur, atq; eius spiritus nihil sit aliud quam aer, cui anima cœlestis inest, hocque continuo nexu, non aliter quam æther aeri, inde & sequatur, quod relatio inter sanguinem & suum spiritum sit admirabilis & firma, similiter eius spiritus cũ sit nihil aliud, quã aer in sanguine inclusus ita adhæreat aeri in macrocosmo, vt pars suo toto, vel vt gutta aqua cum suo toto modo inseparabili vnitur. At vero quatenus hic spiritus est sanguini inclusus eique adhæret, non aliter quam aeraquæ, similiter quatenus animæ specificæ huius vel illius hominis factus est custos, eatenus de istius vel illius indiuidui natura participat, quemadmodũ verbi gratia

tia aqua vel croco, vel herbis, vel santalis, aut rubeo tinctorum vel atramento imbuta, si in flumen ex tinctoris officina paulatim effluat, speciem tamen suam tinctam retinebit à limpida fluminis aqua distinctam, quæ in medio illius fluminis lineam quandam in longitudinem protensam designare atque protrahere videbitur, & tamen substantia eius cum illa aquæ fluminis ita adligabitur, vt cum ea continua esse videatur. Sic etiam spiritus hic sanguineus, tametsi ab humano laboratorio effluxerit, tamen naturæ suæ vestigia inuisibilia in suo simili videlicet in aere vbicunque portabitur, relinquet, ita vt à loco vulnerato à quo exiuit, vsque ad locum pixidis seu capsulæ vnguento huiusmodi magnetico repletæ, lineam quandam inuisibilem, de natura sanguinis visibilis, qui per lignum vel arma ad sanitatis arculam transfertur extendere, & in suum simile aerem videlicet imprimere videatur: Nam tametsi omnis aer sit de eiusdem natura atque substantia, tamen est Mercurius ille mundanus cuius partes nonnullæ ab aliis discrepare videntur, non respectu substantiæ, cum in ea conueniant omnes, sed respectu proprietatis loci vel corporis, per quod transiuit aer, quemadmodum aqua non mutatur ab aquea sua dispositione, sed tamen de natura sulphurea, ferrea, aluminosa, simul atque de loci coloribus & qualitatibus participare solet, quibus à natura seu qualitate aquæ dulcis discrepare videtur. Sic etiam obseruatur, quod natura dulcis fluminis Indorum Occidentalium, Amazon dicti, per multa miliaria in mare salsum ingrediatur atque penetret, priusquam aut à figura & motu, aut dispositione sua dulci à natura aquæ marinæ vtcunque immensæ, alteretur aut discrepare videatur. Hic ergo Mercurius mundanus seu sublunaris omnia siue in cælo, seu denique in terris penetrans, more mercurii cœlestis, omnium qualitatum est capax, & tamen in sua substantia aerea (quæ est nihil aliud quam aqua subtilis) est semper constans, cum semel vim animalem induit, eam quidem subito deponere non est facile, nam natura humida formam suam lucidam tam auide appetit, vt eam semel acquisitam non tam cito deponat aut amittat. Vnde liquet, quod linea ista spiritualis inuisibiliter in aere inter vulneratum & capsulæ locum protracta siue extensa, & suam formam animalem secum rapiat, quæ etiam anima à suo toto in corpore vulnerato contento non minus diuiditur quam radius solis à sole, vt igitur radius solis in spiritu mundano natans est quasi nuncius inter cælum & terram, sic etiam radius hic animalis est fidelis conductor naturæ salutiferæ, à Balsami myrotheco, ad corpus læsum atque lanciatum, eiusque medium; seu linea directrix, seu spiritum salutiferum mediante anima dirigens, est spiritus, inuisibiliter in aere porrectus, qui nisi in aere occulto modo esset figuratus, vnguenti virtus huc atque illuc effluere, nihilque proficui ad vulneratum afferret. Simili quidem ratione videmus, quod si in visione optica radius pyramidalis non esset, spiritus quidem visuales ad obiectum egredi, & tum postea regrediendo de obiecti certitudine sensus efficere certiores non possent, acies enim aspectus animæ vulnerati est in capsula, in qua sanitas expectata delitescit, atque magnetica eadem animæ in obiectum intuens vis illius medicamenti vires spirituales attrahit, mediante suo radio in organo spirituali mouente, qui radius est radius pyramidalis aspectus ipsius animæ, atque huiusmodi animæ intuitus est compassione & amore sui subiecti seu tabernaculi plenus, in quo quidem ad se attrahit quæ sunt salutaria, vt eius aspectu antipathet eo seu odio pleno obiecta propulsare atque euitare conatur. Sed vt luculentius adhuc operationem istam mysticam explicemus & demonstremus: Si filum aliquod de vno loco in alium fortiter extendatur, hoc filum occultæ spiritus sanguinei lineæ comparamus, cuius vnam extremitatem si digito percutias, hic anima tua pulsans, animæ vulnerati, radium suum per lineam spiritualem emittentis refertur, radius autem ab anima pulsantis emissus est virtus illa vniuersum filum à termino à quo ad terminum ad quem vibrans atque quatiens, estque nuncius quasi deferens per organon suum spirituale voluntatem sui integri, hoc est animæ quæ est totius & per consequens omnium partium domina. Videmus igitur, quod filum hoc ita protensum, ita in suis partibus sit continuum vt principio eiusdem pulso, integra eius substantia resonare atque vibrare videatur, sic anima pulsante lineæ istius aeream partem vulneri continuam, per multiplicationem vis illa agitans (quam animæ radium supra nuncupauimus) ad aliam lineæ spiritualis extremitatem in capsulæ profunditatem mediante ligno intrusam migrat, atque vi sua attractiua seu magnetica naturam vnguenti facilius ideo ad se trahit, quia naturali quadam sympathia cum ea symbolizare atque conuenire videtur, nam natura lætatur in sua natura, natura naturam sibi similem adiuuat, natura à sua natura simili refici solet. Sic sanguis humanus cum suo simili in ossibus, axungia, mumio, & sanguine (quæ ad vnguenti compositionem concurrunt) facillime sympathetico consensu & symphoniaco amore delectatur, adunatur atque in defectu illius reficitur, nam vis vnita est fortior, & natura naturæ vnita res omnes vtcunque præternaturam se habentes vincere atque superare potest: Hinc ergo oritur secreta illa inter prauos spiritus & cacomagos vnio & combinatio, qua homines inepti à Diabolo turpiter decipiuntur. Vnde Diabolus seu spiritus malignus inuitamento huiusmodi stipis, veneficæ voluntatem atque imperata implere gestit. Vnde sæpicule commercium est factum inter eos, vt spiritus ille quacunque figura indutus, sanguinis portionem sugendo quotidie sibi hauriat, quo spiritus cacomagi in sanguine delitescens, idem cum illo maligni spiritus fiat, atque ita in naturam diabolicam conuertitur, quo à cultu tandem diabolico impossibile est recedere. Imo vero pro defectu sanguinis sortiarii partes hominis à sanguine ortas colligere solebant, videlicet ossa sepulchrorum, crines barbitonsorum, vti in Apuleio legitur. Imo vero & vbi talia deesse obseruant, vel calceos, vel chirothecas, vel res aliquas huiusmodi quę sudore corporis inficiuntur, accipere solent, quemadmodum ex quorundam sortiariorum hic

in An-

in Anglia degentium confessione explicatum est: Tantus inquam est inter spiritum vnius sanguinis, & sui similis concentus atque sympathia, vt vel vnico sanguine, aut ab eo orto male vel bene à mago in dissitis locis tractato, & alter aut vexabitur, aut gaudio & salute afficietur, quibus optime percipitur, quanta sit inter sanguinem vnius & sanguinem alterius compassio, etiam in locis ab inuicem longe distantibus, quæ quidem fit propter occultum spiritum in iis conclusum, cuius actus est animæ radius, at replicare quis possit fortasse, quod linea huiusmodi inuisibilis in aere à vulnerato ad pixidis sedem protracta, motu hominum vel animantium possit rumpi atque in partes diuidi, & quod exinde sequeretur, vt vnguenti virtus in vanum operaretur, vtpote cuius spiritus conducens est interruptus, & hac ratione vim sanatiuam ad optatum portum conducere nequit: cui respondemus, quod eadem sit ratio in aeris diuisione ac ipsius aquæ, nam si pars aquæ in flumine aliquo in longitudine more lineæ tingatur, & cymba per eius medium transiens ipsam lineam sic tinctam diuiderit, eius tamen partes nictu quasi oculi ad inuicem iterum reiungi percipiuntur, nec etiam sequitur quod aer in duas partes ense diuisus in substantiæ vnitatem non reuertatur.

Concludimus ergo, quod admirabiles sint & stupendi spiritus inuisibilis in substantia sanguinis humani occultati effectus, tam sympathetici quam antipathetici, de illis superius iam locuti sumus, de his infetius paucis agemus. Atque hac de causa Arbatel (vir in mysteriis supernaturalibus admodum versatus) tractatum integrum instituit de Magia microcosmica, in qua denotat quid microcosmus per suum spiritum, & sibi à natiuitate additos genios, magice hoc est sapientia spirituali effecerit, & quomodo: atque per sapientiam illam omnium doctricem mentem in anima humana mediante spiritu suo intellectuali vectam, vt animam in spiritu humano intelligimus.

Caput X.

De antipathiæ tam Macrocosmicæ quam Microcosmicæ ratione, Et quomodo spiritus vtriusque interior quandoque ab anima eum inhabitante alienetur, & à spiritibus malignis vsurpetur.

DE sanguinis mediante eius spiritu aereo sympathia cum eius simili etiam in loco dissito disposito, multo magis in eadem vena currente qua vita salubris seu sanitas & temperies ab homine acquiritur, in prædictis abunde satis est tractatum. Iam vero de antipathia inter animam viuentem, & illam malignam corrumpentem, hoc est ei dispositione oppositam, seu malignam mediante eodem spiritu: & quomodo hic spiritus animæ propriæ vehiculum à sua domina & eiusdem cura alienetur, paucis hoc in loco noster instituetur sermo.

Quemadmodum est impossibile vt aliquis concentus Sympatheticus, aut societas symphoniaca possit esse, vbi spiritus aereus est suæ animæ diuersus, aut in dispositione contrarius, (iuxta illud Saluatoris Iesu Christi) *regnum oppositione diuisum diu perdurare non potest*: sic etiam necesse est, vt hæc in spiritu sublunari alienatio, à dæmone naturæ, animæ viuificæ contrario procedat, quoniam ipse aer est humida & passiua natura, & ab interno agente vel naturaliter & à natiuitate ei insito, ducitur, quo factus est regularis in facultate viuendi, vel præternaturaliter ei adueniente, quo contra cursum suum naturalem & ordinarium flectitur, & viuæ animæ rebellis est factus, & more currus Phaetontei extra naturæ semitam vectus mundum minorem aut igne destruere aggreditur, aut Deucaleonis diluuio ipsum humido & frigido exitiali submergere, præceps, & insano more, instar illorum porcorum qui à spiritibus malignis impulsi seipsos precipites in mare dederunt. Tam (inquam) fragilis est hic spiritus inferior, & inquinationibus tam obnoxius, vt more mercurii cœlestis aptus sit ad dispositionem cuiuslibet dæmonis seu malignæ & peregrinæ animæ, vtcunq; suæ dominæ propriæ, seu animæ vitali sit contrarius. Atque hæc est ratio cur spiritus sublunaris tam in Macro quam Microcosmo sit tantis mutationibus & inconstantia imbutus. Vnde fit, vt assiduo nouarum formarum appetitu famescat, priuatione que vtitur loco lenæ, mediante qua nouos assidue amores sibi comparat. Hinc tanta mundi sublunaris incertitudo, hinc generis humani infelicitatis origo, & peccati initium; Nam (vt antea dixi) tametsi aer in humida sua natura patiatur, influentiæ tamen corporum cælestium, in eum impluentes loco agentium seu animarum inseruiunt. At vero quatenus videmus quod influentiæ sint diuersæ, pro varia planetarum in cælo prædominantium ratione, eatenus diuersas in aere & rebus inferioribus impressiones atque alterationes à causarum varietate profluentes produci obseruamus, verbi causa, meteora quandoque ignita nonnunquam aquosa, atque etiam ventosa, pro diuersa influentium cœlestium conditione in hac vel illa regione aeris procreari solent. Ex hoc autem influentiarum cœli varietatem, imo vero & contrarietatem elicere fas est, videlicet quia Iouis aspectus naturæ humanæ vitæ faustus atq; propitius, illi Saturni antipathia quadam à Creatore ordinata summopere opponi animaduertitur; nam aspectus quidam Saturnini vitæ & generi humano sunt infestissimi, vtpote frigidi, & per consequens calido humano contrarii & sicci, qui ideo humido radicali omnimodo

resistunt

resistunt, quod autem ad aspectus planetarii influentias attinet, dicimus eos à spiritu seu dæmone quodam Olympico seu fatali gubernari, & deorsum impelli, qui est ex parte planetæ fortioris in cælo, hoc est illius qui totius schematis cælestis est dominus, atque hic fluxus cum ad regionem sublunarem perueniat, à dæmone seu angelo illius regionis, qui dæmoni prædicto Olympico inseruit, regitur atq; vehitur mediante aere. Quibus sat liquido declaratur, quod dæmones tam naturæ humanæ, & aliis rebus in suis dispositionibus contrarii, quam illi qui vitæ creaturarum sunt propitii in aere comprehendantur, & in aere secundum varias planetarum in cælo prædominationes (à quibus vitam & potestatem hauriunt) vices suas in dominio & actione exercent, vnde fit, vt sanguis ab elemento aereo dæmonibus malignis infecto, facillime morbis contagiosis corrumpatur & contaminetur, quoniam sanguis vitalis subtiliori aeris parte nutritur, imo vero tam per inspirationem quam nutrimentum aer in corpus humanum ingrediens, spiritū nonnunquam malignum atq; vitæ humanæ infensum secum trahit & introducit. Vnde alienatio haud exigua fit inter spiritum aereum, & suam animam hoc in mundo minori, non aliter quam in aere sublunari mundi maioris euenit, cuius præsentia aer quietus, fulmine & fulgore, grandine, pluuiis, cometis, & infinitis aliis impressionibus pertu batur & ægrotare videtur. Atq; ita antipathia incurabilis quandoq; est facta inter hominis genium bonum atq; dæmonem ei cōtrarium, qui aereum spiritum animæ vehiculum polluere, & in malignam suam naturam conuertere omnimo do tentat. Sic quemadmodum Diabolus erat in vento illo Macrocosmi, seu in aere illo à regione deserti irruente, quo mediante, *concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos Iob.* Sic etiam flatus hypochondriaci à maligno spiritu exagitantur, atq; tanto furore impelluntur. Vt etiam ipsum hominis templum visibile quati & nonnunquam corruere faciat, atq; hoc idem affirmare videtur Albotali, *quod melancholia sit à dæmonio, quod etiam dæmonijs affectos viderit quælibet mundi ætas:* De quibus etiam mentionem fecerunt scripturæ sacræ, vnde etiam inuenimus, quod *porcorum spiritus aereus permissione Christi Cacodæmonum vehiculum erat factus, quo à spiritibus malignis violenter agitato, porci illi in mari subito fuerunt submersi.* Porro etiam, vt in Iob dictum est, quod *ex Diaboli malitia ignis ceciderit de cælo, & vaccas, oues, pueros q; consumpserit.* In illo actu certum est ipsum malignum spiritum fuisse, videlicet in aere ignito, Sic etiam (teste Artesio) *Diabolus se iungit infirmitatibus humanis ex Cholera prouenientibus*, vti in sequentibus latius declarabimus. Ex quib. luculenter docetur, quod anima humana in suo spiritu infimo nauigans, per naturarum antipathiā affligetur à dæmone, seu spiritu alieno, atq; genio hominis aduerso, imo vero per huiusmodi spiritus veri infimi possessionem, præstigiis falsis & delusionib. decipitur homo, & morbis corporeis affligitur, & furore pellitur, & falsa pro veris imaginatur; & timore ac tristitia sine causa afficitur. Sed huius rei mysterium obseruate obsecro, cū illud acu vobis attingere me accingā, quo facilius intelligatis, quomodo Deus seu mens, quomodo anima propria, & vitalis dæmon, seu anima aliena, in spiritu humano inhabitare dicatur. Nam vt Mentis sedes est spiritus Empyreus, seu intellectualis, seu Empyreus, in quo nec dæmō nec anima infimi ordinis vnquam inhabitare queat, sic locus animæ vitali proprius est spiritus æthereus, cui ita adnectitur anima, vt forma materię. Ad primum locum ob singularem eius puritatem spiritus malignus penetrare nequit, vtpote à throno & præsentia Dei à mundi primordio in exilium tenebrosum relegatus, & tenebris ob inobedientiam suam obrutus; At hic spiritus seu aer Empyreus est bonorum angelorum sedes, quippe qui coram Deo sunt; Etiam ad spiritum æthereum pertingere nequeunt, istiusmodi spiritus maligni, quoniam ob eorum imperfectionem & impuritatem, ad locū adeo purum, perfectum, & lucidum, accedere non nisi Deo sic volente possunt, quatenus lucifugi & lucis osores nuncupantur. Atq; hinc est quod potestatem non habent in vitam humanam, hoc est in spiritum eius æthereum sine speciali Dei permissione, vnde *dixit ad Diabolum Deus, Ecce in manu tua est, verumtamen animam eius serua*, id est partem eius ætheream ne tangas. At vero cum spiritu mundi sublunari familiares sunt spiritus nocentes seu angeli, & delusionib. homines decipientes, vtpote quibus infima hæc mundi portio, sublunaris scilicet, in primordio post Luciferi lapsum pro habitatione erat destinata. Hinc in Apocalypsi inuenimus, *vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent super terram, neq; mare, neq; vllam arborem, & vidi alterum angelum ascendentem ab Ortu Solis, habentem signum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ neq; mari, neq; arboribus, quousq; signemus seruos Dei in frontibus;* Quibus liquet, quod angeli nocentes potestatem habeant in aerem seu ventos, in terram & in mare, sed quando ad malitiam suam exequendam progrediuntur per ventos seu spiritū aereum mouere solent, nam spiritus pro aere & vento accipitur, in quo *videtur sapiens agnoscere totā vim inferiorum esse*, vnde à Iohanne loco antea citato, *dicuntur huiusmodi angeli ventis præsidere.* Similiter ex loco præcedenti patet, q̄ angeli cælorum superiorū imperentillis mundi sublunaris: Nam superiora semper regunt inferiora, vnde vt cælū immittit influentias suas in aerem, illumq; atq; spiritus in eo conclusos mouere obseruatur; sic etiā & angeli virtutes suas seu vim vitæ è cælo Empyreo per Sephyrotas impluunt in cælum æthereum, quod & actus illos successiue impluit in mundum sublunarem, atque etiam Deus simili ratione tanquam agens primum, deorsum à spiritu suo increato seu fonte lucido impluit omnes cæli Empiræi virtutes, quibus angelicæ creaturæ repletæ, eas liberaliter de suis sphæris lucidis in inferiora tam ætherea quam aerea infundere solent, quemadmodum *in physiologia nostra Cabalistica* satis declaratum est. His igitur declarari videtur, quod facillimum erit spiritui maligno in microcosmi aerem seu sanguinis subtile penetrare, quoniam aer & elementa seu spiritus sublunaris dæmonibus prauis & nocentibus pro sede sua naturali à DEO destinatus est. Vnde fit vt facilis sit eius in aerem humanum introitus, imo vero tam astutus est Diabolus, vt

Iob. c. 1.

Clar. maior. 6. 4.

Iob. 2. 6.

Sap. 7. 20.

etiam

etiam in electorum spiritum externum penetrare nonnunquam permissione diuina assoleat, vnde dictum est: *Surrexit autem Satan contra Israel, & incitauit Dauid vt numeraret Israel.* At vero, ad eius spiritum æthereũ seu vitalem pertingere ne quibat, multo minus ad illum intellectualem contra quem Diabolus necquicquam vnquam aggredi est ausus, vtpote quiest sedes Dei atque angelorum suorum, à quo ab origine per inobedientiam suam est expulsus. Sic etiam *Diabolus in cor Iudæ prõditionem misit*, in cor inquam eius, quippe in quod inspiratione attrahitur aer, & cum aere seu vento spiritus maligni nonnunquam in cor introducuntur, atq; ita spiritus iste deceptus pergit ad spiritus istius introducti exagitationem, ac si esset animæ suæ propriæ, & ei à natiuitate concessæ instinctu, ita vt in huiusmodi dæmonis alieni delusione, quandoq; ea videre, ea tangere, atque ea gustare putant ægroti, quæ reuera non sunt, & aliquando etiam se volare aut natare credunt, cum nihilominus in eorum potestate non sit, aut volare, aut natare. Alii iterum credunt seipsos in asinum aut equum esse cõuersos. Alii se super bestias equitare, & Dianæ splendente Luna sacrificia seu victimas præbere putant, & tamen interea secure dormire obseruantur, quidam se caudam vulpinam in anum innatam, alii nasum admodum ingentem, alii angues in stomacho viuentes habere se falso existimant, atque infinitis huiusmodi vanitatibus hominem fallit eius spiritus sine ratione ductus, & tamen cælestis vitæ spiritus in his non afficitur; quia dæmoni non permittitur, vt animam tangat. At vero nonnunquam & animam permissione tangunt, sed ipsam totaliter extinguere illis non permittitur, iuxta illud Augustini, *Accipiunt sæpe angeli mali potestatem, & morbos immittere & aerem vitiando morbidum reddere, & peruersis malefactaperſuadere*: Et alibi dicit; *Quod ex ineffabili Dei potestate fiat quod possunt mali angeli si permittantur: ideo vero non possunt, quia non permittuntur*: Nam spiritus ille, qui in centro aeris tam macrocosmi quam microcosmi in throno suo empyreo regnat, vel contrahendo se in se permittit dæmones accedere ad margines aereas ipsius animæ, vel extendendo, vultus sui lumine lucifugos & prauos dæmones fugat ab anima exteriori, iuxta illud Prophetæ superius allegatum, *Deo abscondente faciem suam creaturæ conturbantur, emittente spiritum suum recreantur*, Erat enim mediante spiritu lucido Dei *quod Christus spiritus immundos eiecerit*. Quare necesse est vt anima humana in medio inter spiritum diuinum seu empyreum, & mundanum seu aereum natans, Christo seu verbo in cælo intellectuali seu summo regnanti adhæreat, si à prauorum dæmonum insultibus secura esse vult, nam si superiora negligendo ad inferiora seu sublunaria mundana tendat, hoc est, si Elementis seu Elementatis aciem suam affigit, Diabolorum tyrannidis immunis esse nequit, imo vero iis admodum obnoxia, vnde *orauit Dauid vt spiritu suo bono deduceret eum Deus in viam planam*, hoc est in semitam veritatis, quæ est spiritus perfectionis, quẽ admodum via falsitatis est spiritus ille aereus dæmonibus subiectus, nam *Diabolus appellatur mẽdaciorum pater, quia in eo non est veritas*. Hinc inquit Archangelus in Cabalistica Dogm. *Sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ita dissidentibus à Deo, omnia nocent, omnia vergunt in malum: quia contra huiusmodi discolos armat se creatura in vltionem scilicet inimicorum Dei*. Etiam dicit Augustinus *quod omnium malorum causa sit peccatum, quod est deordinatio & distemperamentum animæ*. Et alibi idem Augustinus ait, *De ludificationibus dæmonum quid dicemus, nisi de medio Babylonis esse fugiendum, quanto enim in hac ima maiorem potestatem dæmonum videmus, tanto tenacius mediatori adhærendum, per quem ab imis ad summa conscendimus*. Actiones igitur dæmonum quæ in spiritu tam macro quam microcosmico nobiliori perficiuntur, sunt ideo præstigiosæ, & mendaces, & visus & sensuum humanorum deceptrices, tum quia fiunt in aere, cui præsunt angeli Dei maligni, tum quia Diabolus (qui est eorum pater) est deceptor & mendax ab origine mundi. Vnde euenit, quod sortiarii seu incantatores Ægyptiaci miracula sua fallacia, visionesq; præstigiosas, sensibus Pharaonis obiecerint, vtpote qui sophistice tam in aere medio mundano inconstantiæ pleno, quam in illo animæ Pharaonis atq; astantium egerunt, ita vt nullum phantasiis eorum videretur discrimen inter miracula ipsorum diabolica, & Moysis diuina, at vero cum ad ciniphũ confectionem atq; apparitionem peruenerunt, ipsi qui ranas & serpentes antea fecerunt, ciniphes conflare non potuerunt, quia maior aderat prohibentis Dei dominatio per spiritum sanctum, quod etiam magi confessi sunt dicentes, *Digitus Dei est hic*, Illi enim suæ artis in aere sophistico & fallaci mediantibus dæmonũ apparitionibus fundamenta posuerunt: hic in spiritu diuino & Empyreo, vbi nullæ reperiuntur fallaciæ, vbi sola veritas regnat, vbi omnia infallibilia & permanentia existunt, assistentibus angelis bonis, suæ sapientiæ & operationis bases plantauit. Atq; hinc fit, quod *impius dicitur spiritum suum conuertere contra Deum*, hoc est alienare à Deo, quod fit, vbi anima ad carnem & sanguinis spiritum externum magis prona quam ad mẽtem, se subiicit potestati dæmonum, sic etiam antipathia facta est inter duorum spiritus, vnde in hunc sensum locutus est Iob: *Spiritus meus alienus factus est vxori meæ*; nam anima Iob ad mentem diuinam firmiter adhærens, spiritum suum infimum in legibus suis naturalibus, & in Dei obedientia retinuit, vnde & hic spiritus ab illo vxoris suæ fuit alienatus, quia anima eius inferiora respiciens, spiritum suum à Diabolo decipi, & menti diuinæ rebellem fieri permisit. Vnde tanta erat differentia inter spiritum Iob & Vxoris suæ quanta est inter Deum & Diabolum, quod & directe declarare videtur Iob. vbi dicit, *Spiritus ex intelligentia mea me fecit respondere*, hoc est, spiritus intellectualis seu Empyreus, mediante sapientia diuina: quippe cui eius anima firme vsque ad vltimam tentationem adhærebat: nam anima spiritui aereo adhærens, non differt ab illa bestiæ, humanum enim est illi spiritui adhærere, à quo primordialiter est creata; at in eodem autore legimus, *quod spiritus Dei fortis fecerit hominem*, & à sapiente dicitur, *quod spiritum viri ponderet Iehoua*, Et alibi, *Spiritus Iehouæ perpendit omnes vias hominis*. Et alibi, *Spiritus meus non permanebit in homine semper*; per quem spiritum illum intelligit, qui in anima hominis regnans eius vitam administrat, estque spiritus ille Empyreus dictus, nam respectu spiritus infimi seu aerei seu impuri, hic quidem ab illo bestiarum minime discrepare videtur. Vnde

1. Chron. 21. 1.
Iob. 13. 2.
Lib. de Diuina. dæm. cap. 5
Lib. de Trinit. 3.
Psal. 104. 29
Mat. 12. 28
Psal. 143.
Iob. 8. 44.
Aug. lib. 18 Ciuit. Dei.
Exod.
Iob. 15.
Iob. 20. 3.
Iob. 33. 4.
Prou 16. 2
Gen. 6. 3

Eccles.3.19 de hoc sic loquitur Salomon, *Spiritus hominis & bestiæ idem est, vt moritur hic, sic morietur illa*; Nam est spiritus elementaris qui moritur, at vero ille cœlestis & supercœlestis est immortalis, estque illius elementaris quasi anima & vita, qua dempta mori dicitur.

Concludam igitur quod antipathia tam inter res diuersas, quam in eodem subiecto, in substantia nempe aerea tam macro quam microcosmi consistat in naturarum seu animarū contrarietate & oppositione, atque præcipue vbi dæmon seu spiritus aliquis peruersus hostiliter spiritum alterius aggreditur. Sic etiam Catablephæ aspectus venenosis spiritibus impletus hominem ad distans occidere dicitur, hoc est, spiritus eiusdem malignus illi hominis bono tam est contrarius vt subitò spiritum eius externum in sanguine expansum penetret, inficiat, humidum eius radicale absorbeat, spiritumque vitæ ex corpore euolare cogat. Et tamen nihilominus hic spiritus homini pernicios⁹, Catablephæ est salubris & propitius. Talis etiam est naturæ antipathia inter spiritus lupi & agni, leonis & galli gallinacei, quemadmodum viceuersa talis est sympathiæ ratio, inter magnetem & ferrum, aurum & argentum viuum, electrum & pallias, dux autem & fons Sympathiæ primus, est verbum seu lux summa, quæ est amor igneus & pax sempiterna. Antipathiæ vero origo est Diabolus, qui & Litigium dicitur. Hic de tenebris & morte participat, ille de luce & vita æterna. Ille ad salua-tionem tendit, vt & hic ad destructionem & ruinam. Hic creaturæ morborum atq; perturbationum est occasio, ille sanitatis eiusdem fons, atque ægroti ad sanitatem suam pristinam reducendi author.

Caput XI.

De Antipathia inter sanguinem vnius atque alterius. Vnde procedat.

PEr ea quæ in præcedentibus dicta sunt, manifestum est, quod tanta sit inter rerum sympathiam atque antipathiam discrepantia, quanta est inter harmoniæ consonantiam & dissonantiam, & certe si rem paulo accuratius inspexerimus, percipiemus, eandem esse Antipathiæ atque discordantiæ symphoniacæ rationem, atque ita sympathiæ etiam atque concordantiæ. Vnde fit, vt inter sanguinem bene affectum & sui similem optimus reperiatur concentus. Sic etiam inter sanguinem sanum & venenosum contrarius est respectus atque hostiles inueniuntur esse ipsorum effectus. Verbi gratia, sanguis ille in mulieribus menstruosus dictus, qui nihil est aliud quam pars superflua totius massæ sanguineæ, si præter tempus & consuetudinem in corpore retineatur, ipsum multarum ægritudinum & affectuum præternaturalium esse causam animaduertimus, quoniam non nunquam partes quasi principales suffocare videtur, cachexiam inducit, quam Hydropesia, phrenitis, difficultas respirandi, matricis suffocatio, atque vniuersalis massæ sanguineæ corruptio sequitur. Imo vero tanta est in huiusmodi sanguinis substantia venenositas, vt *teste Isidoro*, Fructus crescentes solo ipsius contactu, suam viriditatem atq; vegetandi facultatem amittant, desiccabitur eorundem humor naturalis atq; tabescere videbitur, similiter, si herbæ cum illo contaminentur, statim vigorem suū perdunt, arbores fructificare desinunt, imo vero & ipsum ferrum ab eo infectum ærugine destruetur, cuprum sibi nigredinem contrahet. Ad cętera vero animalia quod attinet, canes de eo comedentes rabidi deueniunt; imo quidem audiui quod si huius sanguinis portio homini in potione tribuatur, ipsi lepram inducat; Causa autem malignitatis huius sanguinis est malignus quidam spiritus, in eo nimia retentione procreatus, putrefactionis enim effectus mirabilia producunt, quemadmodum videmus in carne quæ putredine in vermes, & animalcula innumerabilia conuertitur, at vero spiritus hic malignus huiusmodi putredine productus, naturam dæmonis infestissimi induit, cum & mulieres in matricum ipsarum præfocatione, non aliter afficiat quam si dæmone aliquo fuissent perturbatæ. Simili plane ratione se habet etiam sperma in corpore vel viduæ vel virginis, vel alicuius alterius fœminæ, atq; etiam virorum à coitu diu abstinentium, nam loco procreationis suæ speciei humanæ, malignam sæpicule producit prolem, suis parentib. inimicissimam, quæ instar dæmonii vtrumq; sexum Epilepsia seu morbo caduco affligit, sexumq; fœmineum passione hysterica, & matricis præfocatione afficere gestit. Atq; hi dæmones seu spiritus maligni videntur esse lunares, vtpote qui nouilunio & plenilunio potestates & malitias suas præcipue exercere atq; huiusmodi miseros inclementer tractare gaudent: Nam videmus, diligenti obseruatione præeunte, quod vt sperma ad essentificæ hominis naturæ productionem confert, ita etiam substantia sanguinis menstrualis ad elemētare corporis subiectum, eiusq; nutritionem in primis conducere videatur, è quibus elicere fas est, quod ambo ad hominis generationem concurrant, semen videlicet, ac eius internum & sperma, ac ipsius externi initium, & sanguis menstrualis ad eiusdem vegetationem & augmentationem in externam fœtus substantiam seu massam. Locus autem generationis istius maligni dæmonis tam in massa spermatica male applicata, quam in ea sanguinis menstrualis, est pars illius sublunaris, quia in parte spermatis cælesti, spiritus nullus malignus aut produci aut in illam regionem penetrare potest, nisi in quantum ad eius vitam attinet. At vero in sanguine menstruali nihil aut certe non multum essentiæ quintæ inest. Vnde fit vt effectus longe deteriores producat quam sperma.

Quod autem ad sanguinum differentium seu variatum personarum antipathiam attinet, ille qui cacodæmonis naturam induit, solet sanguinem quidem sanum, vel ad distans inficere, vel per contactum solum. Qui ad distans transferunt suam contagionē, aere vtuntur pro medio, atq; huiusmodi est ille cuius spiritus elementaris vel seminariis pestiferis, variolosis aut Phtisicis intoxicatur, pestifero autem sanguini spiritus

pestilen-

pestilentialis adest, qui sub angeli maligni dominio est, cui datum est, terræ nocere, *cuiusmodi erat ille angelus, quem Dauid sublatis oculis stantem inter cælum & terram cum gladio stricto in manu extenso contra Ieruschalaima vidit, cum tot millia Israelitarum peste morerentur*; nam cuilibet horum ducum ad vindictam Dei ordinatorum, infinitæ sunt legiones, quæ cum aere hoc vel illo se miscent, secundum Dei voluntatem, qui aer cum ad vitæ pabulum primitus sit ordinatus, necesse est vt ad vitæ creaturæ sustentationem inspiratione ad cor introducatur, quo facto, sequitur etiam vt pesti feri & maligni istiusmodi spiritus cum eo in corpus attrahantur, vnde sanguinis boni spiritus à maligno maligni corrumpitur. 1. Chron. 21

Atque hoc confirmari videtur ab hoc psalmistæ regii sermone, *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per angelos malos.* Et alibi dicit, *In ira & furore tuo turbati sumus, & in ira tua defecimus*, Sic etiam *percussus Iob à Diabolo à planta pedis vsque ad verticem capitis eius, dixit. Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt, oppugnant me.* Vnde patet, quod per sagittas omnipotentis, malignos spiritus sub Diaboli seu angeli nocentis (de quo *in Apocalyp. c. 7.*) conductu & imperio inuadentes intelligat, vnde & eos *conturbationes Dei* quæ acie instructæ sunt appellat. Locum autem vbi maneant in corpore, narrat esse spiritum illius, quem alibi in sanguine esse dixit, quomodo autem affligant, ibi etiam docet, videlicet in consumptione spiritus, atque humidi radicalis diminutione. Vnde dixit, *Virus earum ebibit spiritum meum*, atque hinc sequitur, quod spiritus essent ignei qui afficiebant Iob, nam inter omnia alia elementa, illud ignis maxime est sensibile, & proinde maiorem secum affert dolorem. Sunt autem spiritus maligni in sanguine qui tam grossi & terrestres sunt, vt alterius sanguinem ad distans contaminare nequeant, at vero huiusmodi spiritus per contactum virus suum grauiter in sanguinem sanum effundere solent, cuiusmodi virus lue venerea afflictis inesse animaduertitur, atque etiam tam in viris quam mulieribus gonorrhea virulenta inquinatis, quorum insanus sanam aut vice versa insana sanum grauiter seminis profluuio, vlceribus, atque aliis illius passionis accidentibus, vtpote Bubone, scabie, carie, inflammatione & vrinæ ardore & huiusmodi aliis afficere solet, contactu etiam sanum leprosus inficere gaudet, quæ quidem contagio non nisi solo tactu facienda est. Atque internum huiusmodi contagionis principium in sanguinis spiritu externo delitescere videtur, quoniam natura terrestris in cœlum ascendere nequit. Differunt igitur hæc duo contagionum genera, quoniam quod ad distantiam actiones suas perficit, est magis igneum & aereum. Vnde cum aere interiecto inter inficientem & infectum facillime se miscet, participatque de natura spirituum igneorum, quod autem non nisi per contactum ferit, est magis terrestre cum siccitate, vt lepra, aut aquaticum & graue, vt lues venerea. Vnde in aeris extremi naturam non ita facile se dispergit, atque hoc genus de natura dæmonum tam terrestrium quam aquaticorum participare videtur, imo vero & dæmon seu spiritus malignus aliquis de natura prædictorum elementorum est in causa istiusmodi morbi, vt in cap. seq. fusius habebitis. Psal. 77. 47. Psal. 89. 7. Iob. 6. 4.

CAPVT XII.

De Sanguinis tam cholerici & phlegmatici quam melancholici mysterio antipathetico, & quomodo dæmones seipsos cum ipsorum spiritibus permiscere possint.

VT quatuor à medicis & philosophis recensentur hominis complexiones, ita quidem de illa vere sanguinea hoc in loco non est disputandum, vtpote in qua Antipathia non ineſt, quoniam temperie si non ad pondus, ad iustitiam tamen assidue gaudet, complexiones inquam & eorum elementa, seu elementorum qualitates primas posuerunt medici & philosophi vulgares, vel sanitatis, si in suis limitibus retineantur, causas, vel morborum, si à iustis suarum temperierum limitibus recesserint, atque ita corpus quasi motum pro anima mouente acceperunt; nam vbi morbum à calore, frigore, humido vel sicco ortum dicunt, hic non nisi agentis vel motoris effectum calidum, frigidum, humidum & siccum explicauerunt, at vero interni agētis naturam penitus ignorarunt; sic etiam profundius se adhuc in multitudinem immergentes, dixerunt, causam huius vel illius morbi fuisse, aut non naturalem pituitam, vel vitream seu crudam, vel dulcem, vel acidam vel salsam; aut Bilem vel flauam, vitellinam, porraceam, æruginosam, Isatidem seu cæruleam: aut melancholiam (quam & bilem atram vocant) vel acidam radentem, vel ex adusta pituita ortam, atque ita externum elementum seu humorem, causam morbi faciunt, internum vero agens non, nec eius actus furibundos vel instupore, vel dolore ignorauerunt, atq; hæc est ratio, quod medici hodierno die in curationibus suis tam sint incerti atque ignari, quippe qui ad effectus potius respectum habent, quam ad causam primariam, at vero in huius rei naturam nos paulo profundius & vltra paganorum & Ethnicorum captus respicientes, agnoscimus inprimis, quod vt Deus sit causa primaria vitæ tam mundi quam creaturarum eiusdem, ita etiam rationem habet ad interitum ipsarum, atque ad peccatorum punitionem, morbis eos affligere & punire solet, vt autor primordialis tam vitæ quam mortis, atque in vita tam sanitatis quam morborum & perturbationum viuentium, secundum merita eorum & placitum suum. Quod ex multis sacrarum literarum locis confirmari videtur, quorum vnus supra citatus est huiusmodi, *Creatura Deo abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum eorum expirant, & in pulueremsuum reuertuntur, emittente spiritum suum recreantur.* Porro dicitur, quod *ira tua consummabimur & æstu tuo conturbabimur.* Item in alio loco sic scribitur, *Beatus* Psal. 103. 29. Psal. 90. 5.

Iob. 5.17. *est mortalis quem arguit Deus*, quapropter castigationem omnipotentis ne spernas, quoniam *ipse vulnerat & medetur, percutit & manus eius sanabunt.* Et alibi, *Sagittæ omnipotentis in me grauiores sunt, virus earum ebibit spiritum*
Iob. 6.4. *meum, & conturbationes Dei quæ acie instructæ sunt oppugnant me.* Et alibi, *dolores impertitur Deus ira sua.* Et alibi, *loquitur Deus increpatione per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit, Tabescit caro eius, & omnia ossa quæ tecta*
Iob. 21.17. *sunt nudabuntur. Appropinquabit corruptioni anima eius* &c. Et alibi, *peste & plaga affligebat Iehoua domum Pharaonis, propter vxorem Abrami.* Et alibi, *Ne Iehoua nos cædat peste & gladio.* Et alibi inquit Iehoua, *Ecce manus mea erit supra agros, & super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues, & pestis valde grauis.* Et alibi, *Faciet Iehoua vt adhæreat*
Iob. 33.22. *Gen.* 12.14. *Exod* 5.3. *Exod* 9.3. *Deuter.* 28. 21. *tibi pestis, donec consumpserit te, Iehoua te percutiet tabe, peste calida & æstuante, ac aduerente febre & siccitate, & vrigine, & morbo regio, quæ persequentur te donec pereas: Percutiet de vlcere Ægypti, & Hæmorrhoidibus, & scabie, & prurigine, quibus non poteris sanari, atque etiam amentia & cæcitate, & stupore cordis.* Et alibi, *Iehoua afficit morte & in vitam restituit, demittit in sepulchrum, & reducit.* Item *Hæmorrhoidibus percussit Iehoua Aschodæos &c.* Item *percussit Deus ex*
1. Sam. 2.6. *1. Sam* 5.6. *1. Sam.* 6. 19. *Bet schemeschitis plaga magna*, & Ieremias Deum alloquendo dixit. *Castiga me Iehoua, veruntamen modice, nec castiges in ira tua, vt non comminuas me.* Et alibi, *Dei Iehouæ manus erant contra eum, in malum.* At vero sciendum est,
Ier. 10.24. *Iud.* 2.15. quod Deus operetur, in impiorum punitione non immediate, sed mediate & originaliter; quæ enim siue bona siue mala creaturis accidunt, illa omnia a Deo ordinatione at non executione efficiuntur: quemadmodum regis seu imperatoris est, res omnes secundum mentem & conceptionem suam statuere atque ordinare, postea vero quæ ordinata sunt à ministris & subministris, exequuntur, ita etiam Deus rerum omnium dispositor, ministros suos angelicos habet, qui secundum suam voluntatem, vel bene vel male cum creaturis & præcipue cum hominibus agunt, Deus ergo agere dicitur secundum ordinationem, vt & angeli secundum executionem ordinata à Deo præstare aggrediuntur. Atque hoc etiam in multis tam sacrarum literarum, quam authorum fide dignorum locis confirmatum habemus. Nam apud Psalmistam regium hoc scriptum inuenimus, *Benedicite domino omnes angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendum sermonem eius, Benedicite domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis voluntatem eius.* Et alibi in eo-
Ps. 102.20 dem authore sic habemus, *Qui facis angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem*, quibus colligere fas est,
Ps. 103.4. quod angeli sint ministri, & virtutes Dei, qui vel in forma ventorum, vel ignis vrentis seu fulguris, faciunt voluntatem Dei, sunt enim septem angelorum principes, *teste Daniele & Tobia*, qui astant coram Deo, qui pa-
Exo. 23.20 rati sunt efficere mandata sua, siue ad creaturæ consolationem, siue punitionem, sic Iehouæ angelus in auxilio erat Moysi in itinere suo per desertum: *Ecce* (inquit Iehoua) *ego mitto angelum meum ante te, ad seruandum te*
Gen. 21.17. *in hac via.* Similiter *angelus Iehouæ inseruiebat Agaræ: & in auxilio erat Eliæ cum fame erat in deserto confectus*, porro
1 Reg. 19. *Ps.* 32.7. etiam dicitur, *quod immittat angelus domini in circuitum timentium eum, & eripiat eos.* Et alibi, *Non accedet ad te ma-*
Psal. 91.9. *lum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo, quoniam angelis suis mandauit de te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne fortasse ad lapidem offendas pedem tuum.* Porro quod angeli etiam ad destructionem & punitio-
Ps. 77.47. nem agant, ex his elicere fas est, Inprimis igitur in sacris literis legimus, *quod Deus immiserit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per angelos malos.* Vnde liquet, quod iram & indignationem Deus per angelos
1. Sam. 18. 10. malos exequatur, & alibi, *Inuasit Saul spiritus Dei malus, &c.* Vnde euidens est: quod angelus malus sit spiri-
2. Chron. 18.21. tus Dei vnus ex ministris suis, similiter dictum est, *quod spiritus mendacij constiterit coram Iehoua, quem ipse eligebat, vt prophetas mendacijs seduceret. Diabolus etiam erat Dei instrumentum, quo Iob vlceribus & doloribus afficeret.* Deus
Iob. 1. etiam primogenita Ægyptiorum non per se, sed mediante suo vastatore percussit. Sic *Angelum misit*
Exo 12.23. *Iehoua ad perdendum Ieruschalaima, vt percuteret eam, cumque percuteretur, vidit dominus, & misertus est supra magnitudine mali, & imperauit angelo qui percutiebat, sufficit, iam cesset manus tua, leuansque Dauid oculos suos,*
1. Chron. 21.15. *vidit angelum stantem inter cœlum & terram, cum gladio euaginato:* Sic *Iehoua angelum suum mittens, excidit omnem valentem robore, & anteceſſorem ac principem in castris regis Assyriorum.* Sed quid obsecro est illo Apocalypseos loco clarius, in quo hæc legimus; *Vidi angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ ne flarent, non super terram, neque super mare, neque in vllam arborem; Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu Solis, habentem signum Dei viui, & clamantem voce magna, quatuor angelis quibus datum est nocere terræ & mari, dicens, Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei in fronte.* His igitur ita se habentibus, audiamus nonnullorum in philosophia occulta bene versatorum de hac re sententias, quid etiam de morborum causis primariis iudicent: & an à sacrarum literarum sententia dissentiant nec ne.

Psell. de dæmon. Psellus sex dæmonum agnouit genera, quorum primum *igneum* vocarit, quod circa sublimiorem aerem peruagari dixit, atque huiusmodi procul dubio cum tonitru, fulmine, cometis, & aliis meteoris tam macro quam microcosmicis se permiscet, & in iis agit. Secundum est *aereum*, & huiusmodi dæmones in aere propinquo nobis oberrant, suntque matcororum ventosorum causæ hi dæmones, & in aere more ventorum agitati viuunt & oblectantur. Tertium est *aquatile*, cuiusmodi humoribus & aquis tam marinis quam dulcibus se immergunt, ac libenter circa lacus & fluuios, imo vero & in mari degunt, multosque aquis perdere atque submergere gestiunt. Similiter in mari fluctus excitant ac tempestates, nauigiaque viris onusta funditus submergunt, multosque obruunt vndis. Quartum est *terreum*, quod vtplurimum circa terram versatur, terreniscque aduersatur multis rationibus & machinis. Quintum est *subterraneum*, vtpote quod sub terra latitat, inundatque eos qui puteos effodiunt, & metalla, efficit hiatus terræ, & fundamenta concutit, flammiuomosque ventos suscitat. Sextum autem & vltimum genus facit *lucifugum*, in perscrutabile ac penitus tenebrosum, passionibusque frigidis violenter res atque animalia perdens. Atque hæc omnia dæmonum elementarium genera sic affecta, dicit vt & Deos oderint, & hominibus aduersentur.

tur. Sed aliud alio peius, Nec quidem videtur hæc Pselli assertio à sacrarum literarum sensu discrepare; Nam in loco Apocalypseos supra commemorato dicitur, *quod quatuor angeli stantes super quatuor angulos mundi, teneant quatuor ventos terræ ne flarent.* Vnde liquet, quod hi sint ventorum præsides, vbi etiam explicatur, quod illis detur nocere terræ, atque mari. Borealis autem ventus habet terrestrem naturam, frigidissimam & siccissimam, atque huc referuntur spiritus seu dæmones terrestres, & per consequens, Angelus vento huic præsidens, est dux harum legionum, videlicet dæmonum terrenorum, subterrenorum atque lucifugorum. Meridionalis ventus cum suo præfecto dominium habet in spiritus partim aquaticos, & partim grosso modo aereos: Occidens spirituum aereorum genus respicit, vt & orientalis igneos.

Vt igitur cum spirituum malignorum natura exordium faciamus, quemadmodum in regione Macrocosmi sublimiori meteora ignita producuntur, & nonnunquam cum media aeris regione se miscent, tonitrua & fulgura in ea producentes, sic etiam in microcosmi sanguine cholerico meteora ignita generantur, cuiusmodi sunt febres ardentes, & pestilentiales, ac vt plurimum febres putridæ ex bili & pituita corrupta productæ, atque etiam tertianæ spuriæ cum ventorum rugitu (quas tonitruo fulgorique in media aeris microcosmici regione productis comparamus) ratione spiritus cuiusdam maligni regionem ignis & aeris habitantis: Atque hoc ab istiusmodi Artesii (viri profundissimi & in philosophorum mysteriis versatissimi) statuminari videtur. *Sunt quædam infirmitates, quibus se adiungit diabolus, humore scilicet egrediente à suo temperamento, atque sanitatem ipsam perturbante, & hoc maxime accidit infirmitatibus ex cholera prouenientibus, atque huius rei causa est, quia natura choleræ est calida & sicca vt est ignis: substantia autem Diaboli ex duobus est composita, scilicet ex igne & ex aere, eius ergo apparens est aer, occultum vero ignis. Vnde manifestum est quod in hoc contrarietur, atque opponatur naturæ humanæ, quæ est natura æqualitatis: Cum ergo accidit ægritudo corpori quæ est de natura Choleræ, illud à Diabolo prouenire verisimile est, vtpote cuius occultum est igneum, & cholericum, atque ob hanc causam facillime se iungit per concentum cum cholera, atque ita auget suum dominium in alios humores seu elementa, quæ ad corporis & præcipue ad sanguinis compositionem concurrunt. Vnde factum est, vt ratione huius à temperie naturali recessus, atque choleræ rebellionis contra leges naturæ, anima à corpore recedat, & separetur ab eo.* Hæc ille. Ex quibus sat liquido demonstratur, quod viri illius sapientis opinio sit, quod Diaboli seu spiritus ignei admistio cum sanguine bilioso, (quæ propter naturarum similitudinem frequenter & leuiter fieri assolet) febres cuiuslibet conditionis, secundum dæmonis ignei gradum & virtutem excitare soleat; nam vt cholera de igne & aere participet, ita & Diaboli natura ignea igni, & aerea aeri facillime vniuntur, nam similia similibus aptissime associantur: Hic ergo est modus, hæc inquam ratio, quod meteora qualiacunque ignita in corpore seu sanguine accendantur, atque hinc oritur quod complexiones biliosæ huiusmodi meteororum præternaturalium præsentia magis affligantur. Sed & hoc per experimentum nostrum de elemento ignis in panis Anatomia luculenter demonstratur, vbi indicauimus aptitudinem in ea ad nigredinis & tenebrarum attractionem & ad malignæ Diaboli naturæ susceptionem: atque ob hanc causam probauimus, quod ignis elementaris sit corruptionis causa, vt ille cælestis vitæ & generationis origo: Non igitur criminanda est complexio, quia (vt inquit Ecclesiastes) *Deus fecit hominem rectum & temperatissimum quo ad corpus scilicet & animam, inter quæ duo spiritus aereus est medium, ambo amoris vinculo coniungens:* Nam (vt inquit Salomon) *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum, creauit enim vt essent omnia, & sanabiles fecit nationes orbis terrarum, & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terra, iustitia enim perpetua est, & immortalis, at iniustitia mortis est acquisitio, quæ est à Diabolo.* Nam *Deus creauit hominem inextinguibilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, Inuidia autem Diaboli mors introiuit in mundum.* Sanguinis autem elementum aereum, siue de igne, seu de aqua, seu de terra magis participet, est tam maligni spiritus quam animæ vehiculum; nam (vt *inquit Archang.*) morbi & mortis causa est peccatum, quod est error in parte elementari productus in animali, quæ pars non percipit quæ Dei sunt, non autem ex parte spirituali, quæ iudicat de rebus omnibus: Ratio enim iniustitiæ seu intemperiei est in spiritu externo & aereo animæ qui mortalis est, & non in spiritu animæ interno & æthereo, qui est æternus. Vnde etiam sapiens dicit, *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem.* At vero spiritus hic aereus seu animalis de corpore participat, vtpote qui est medium inter animam & corpus: Est ergo hic spiritus qui à Diabolo deluditur, est hic spiritus qui eius violentias patitur, vnde de eo sic loquitur Dauid, *Spiritus meus consumitur, & similis est descendentibus in sepulchrum*, Et Iob: *Spiritus meus anguſtatur* &c. qui quidem spiritus quatenus à prauis & alienis spiritibus afficitur, eatenus passiones suas dolorosas communicat tam corpori, quod reuera cum eo patitur, quam animæ, quæ passionibus est immunis, & nihilominus tam vehementer carceris sui amore ardet, vt etiam doloribus eiusdem acriter affligi videatur, quæ per se dolere, ac pati ignorat, formidet interitum, quæ interire nescit, timeat defectus, natura cuius diuina deficere reuera nequit; Sed ad rem nostram redeamus & probemus ex sacris scripturis, quod angeli mali se misceant cum sanguine, eumque ignea sua dispositione flagrent, Psalmista inquit, *Immisit in eos iram indignationis suæ, iram & tribulationem per angelos malos*, vbi patet quod per iram intelligat feruorem febrilem & per Angelos malos ministros voluntatem suam in rebelles animos exequentes. De huiusmodi dæmonum genere, aut de eius natura non multum differentes sunt illi de quibus mentionem fecit Alzarabius, cum inquit, *Ægritudines inuadunt homines ex præuaricationibus, & maledictis dæmonibus, qui dicuntur Alhabinabiles, quos per scientias aliquas nunc hominibus occultatas curare consueuerunt, veteres, hi enim subtilitate sua se sanguini immiscent, to-*

Sap. 1.

Sap. 2. 23.

Caball.

Sap. 9. 15.

Psa. 143. 7.

Iob. 21. 4.

tamque massam humoralem, corrumpunt, non aliter quam Diabolus plagam Iob affecit, contra quam nulla medicamenta humana prodesse potuerunt, auxilium enim diuinum ad huiusmodi plagæ curationem requisitum fuit, quo vsus est Christus & Apostoli in suis curationibus.

Genus, inquit Psellus, *aquatile, ex proprietate sua solet hominis spiritum sanguineum ita affectare, vt morbum in eo comitialem, seu Epilepsiam, & dementiam excitare soleat. At vero* dicit, *quod dæmones tam aerei quam terrestres, arte quadam occulta cogitationes falsas in spiritu animali effingere, humanos animos fallere, & ad perturbationes turpissimas, & miquas perniciosasque flectere soleant.* Atque vt mihi videtur, *talis erat spiritus Dei malus, qui inuasit Saul, cuius instigatione misit Saul lanceam, quo configere potuisset Dauid cum pariete.* Imo vero huiusmodi dæmonum effectus optime in Hypochondriacis, atque aliis melancholiæ speciebus exprimuntur. Vnde audacter ausus est Albahati affirmare, quod melancholia sit à dæmone. Denique dæmones subterranei atque etiam lucifugi, sunt in natura sua malefici admodum, atque pernitiosi, hi enim non solum malis phantasiis atque excogitationibus animas hominum deprauant & lædunt, sed etiam ferarum syluestrium more oberrantes, ad perniciem hominum festinant. Porro spiritus aerei non agunt in nobis per dominationem, sed per delusionem: nam spiritui nostro elementari (qui est phantasiæ nostræ organon & medium) à natura sua propinquant, quippe quibus moles corporea inuisibilis est aer microcosmicus. Vnde vt dæmones quidem igneis facillime humoris cholerici spiritui adhærent per concentum, sic etiam aer aeri naturali quodam instinctu se coniungit, atque hoc in causa est, quod huiusmodi dæmones spiritum in homine variis afficiant dispositionibus, tam ad ipsius perturbationem tendentibus, quam ad voluptates & lætitiam eiusdem; nam si prauis influentiis, veluti Saturninis aut Martialibus vrgeantur, aut tristitia, timore, aut vexationibus afficiuntur, aut ad iracundiam, furorem & rixas ab illis incitantur, regnante vero Mercurio, flatibus vexant variis, secundum planetæ naturam cui applicat Mercurii aspectus, quem pro ipsorum patrono præcipuo habent: At viceuersa si Mercurius planetas tales aspiciat, qui boni vitæ humanæ planetæ, quales sunt Iupiter & Venus, tunc magis sunt spiritui humano propitii, atque susurratione quadam insensibili voluptatis, lætitiæ aut gaudii carnalis insonant; nam susurro & sono quidem illi soli proprio, cuius spiritui insunt, & ab alieno spiritu inperceptibili verba & voces suas producere solent, quoniam spiritualia corporeis sensibus minime aut difficulter subiiciuntur Sed quia istiusmodi soni occulti vox, cum animæ spiritu copulatur, ipsa anima eum statim capit, vt vnus vocem alterius susurrando loquentis inscientibus astantibus capere soleat; Hinc ergo est, quod bellum hostile huiusmodi dæmonibus infertur, contentionis vero huiusmodi autores penitus ignoramus, quod quidem arguere videtur sapiens hisce verbis: *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, & difficile æstimamus quæ in terra sunt, & quæ in conspectu sunt inuenimus cum labore, quæ autem in cœlis sunt quis inuestigabit? sensum autem tuum quis sciet nisi tu dederis sapientiam;* nam reuera ob animæ in carcere opaco inclusionem, nihil fere eorum intelligere videtur quæ spiritualia & inuisibilia sunt, & *nisi Deus aperuisset oculos Dauidis, non vidisset angelum malum domui stricto ense Israelitas persequentem, quem nemo præter ipsum intueri potuit,* Sed pergamus ad spirituum aereorum actum, rationesque ostendamus, quomodo fictas rerum effigies, seu icones & simulachra in spiritum humanum inprimere soleant. Videmus, quod si ensis vel pugio moueatur versus speculum concauum probe politum, ensis seu pugio videbitur extra speculum in motoris oculum reuerberatione quadam tendere, imo vero tam apparens erit ficta illius pugionis vel brachii in aere imago, ac si vera esset vtriusq; substantia, & non similitudo, ita vt fatear me primo intuitu timore pauxillo fuisse perculsum, quo subito retrogredi fui coactus. In huiusmodi ergo conclusione perspectiua, hæcc quatuor reperiuntur, videlicet obiectum, quod reuera videtur, videl. pugio, & oculus videntis, & speculum, fallax rei veræ idcam recipiens, eamque in aereum medium emittens, ac tandem medium aereum, quod falsum obiectum in speculo procreatum in se recipiens, illud oculo videntis pro vero obiicit. Oculo ergo aeri contiguo, animæ hominis delusi aciem comparamus, cui aer sanguineus eum immediate concludens atque circumeunt, falsum suum simulachrum a dæmone compactum aereo & in eo tanquam in speculo polito impressum proponere gestit, speculum ex aere conflatum est spiritus seu dæmonis aerei corpus: nam vt angeli Dei boni à Dionysio *Agalmata* vocantur clarissima specula rerum, lumen Dei susciptentia, eiusque imaginem repræsentantia, ita dæmones mali & nocentes sunt specula, in quibus falsitas & præstigiæ, & illa quæ videntur esse & non sunt, imprimuntur. At horum princeps fuit spiritus ille mendax, de quo mentio facta 2. Chron. 18. 18. *Vidi dominum sedentem in solio suo, & omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris & à sinistris. Et dixit dominus, quis decipiet regem Achab vt ascendat & corruat in Rameth Galad, cumque diceret vnus hoc modo & alius alio modo, processit spiritus & stetit coram domino, dixitque, Ego decipiam eum, egrediar enim, & ero spiritus mendax in in ore omnium suorum prophetarum.* Huiusmodi enim spiritus vtpote ex aere denso seu ventoso conflati, suscipiunt colores, & figuras phantasticas rei cuiusque, easque in ipsum spiritum animalem seu aereum in sanguine situm reflectunt, & transmittunt, ita vt visibiliter oculis animæ appareant huiusmodi figmenta, vt ipsa ea credat vera & essentialia; atque ita negotia quidem multa sed vana ei præbent, cõsilia suggerunt imaginaria, figuras indicant præstigiosas, voluptatum ideas offerunt, simulachra passionum, vel ad iram & vindictam, vel ad timorem & tristitiam, & terrorem vanum repræsentant. Huiusmodi erat spiritus ille de quo sic dictum est: *Ecce ego indam ei spiritum vt audito rumore reuertatur in terram suam,* &c. Nam horum spirituum natura est animam, pro possibili, arte quadam sophistica & fraudulenta perturbare atque deludere, medium in quod huiusmodi simulachra ficta porriguntur ex

Sam. 8. 11.

Sap. 9. 15.

1. Chron. 21. 15.

2. Chron. 18. 18.

2. Reg. 19.

specu-

speculis illis dæmoniacis est spiritus aereus in sanguine humano, mediante quo anima cum corpore coniungitur; atque hic spiritus in se est phantasticus,& more mercurii cœlestis capax est cuiusliber impressionis vtcunque leuis,nam aeri mundano omnes insunt rerum impressiones. Porro, propter propinquam naturæ eiusdem cum illa dispositionem dæmonum, aptus est aer sanguineus (quem & *animalem* alibi vocauimus) omnes sui similes impressiones suscipere. Has ergo impressiones falsas animæ tam sani,quam ægroti,tum in somnis,tum etiam in vigiliis, iudicare solet spiritus eius, in quo ipsa immediate vehitur, quæ hac de causa ea tam vera & infallibilia existimat, propter propinquum illum respectum, qui fit inter animam,& spiritum hunc suum,vt pessimi & stupendi exinde producantur effectus, quales in dementia, delirio,hypochondriaca passione, mania, & cæteris melancholiæ speciebus luculenter exprimit experientia: Imo vero me ipsum pestilentiali febri lethaliter fere affectum,huiusmodi spirituum malignorum effectus, expertum fuisse fateor,in qua vigiliis perpetuis per 7.vel 8.dies oppressus fui,& cum sæpicule me somno reponere pertentaram, subito tintinabulorum plurium clangorem seu pulsationem audiui expresse, qua semper omnis impedita erat dormiendi potestas, coactaque mihi vigiliarum societas per totum illud spatium aderat,atque etiam musica ex instrumentis ventosis conflata,tam exacte aures meas ex pluribus partibus tempore vigiliarum penetrauit,vt etiam in potestate mea erat, partem quamlibet symphoniacam etiam calamo & atramento excipere. Porro etiam effigies turpissimas hominum monstrosorum coram oculis meis repræsentabant,ac si veræ & viuæ essent,atque etiam homunciones equitantes mihi comparuerunt,serio inter se de re aliqua secreta communicantes, ita vt nisi Deus mentem mihi sanam ex gratia sua (cui etiam sint gratiæ immortales dictæ) adhibuisset,in desperationem,ac denique in furorem me perduxissent: sed cognoui spirituum horum fraudes, eorumque delusiones esse vanas, & nullius momenti seu periculi,reipsa expertus sum,atque ita diuina bonitate in pristinam redactus sum sanitatem. Sed hoc in loco vobis obiter significare volo, quod vbi flatus melancholicus se iungit cum Causonide, ibi etiam huiusmodi spiritus cum ignitis adesse solent;nam vt ignis & aer naturæ Sympathia vniuntur & ad inuicem connectuntur;ita etiam spiritus vtriusque simul conueniunt,& pacis vinculis coniunguntur, vt in tonitru & fulmine videtur,quo tempore turbones venti sunt frequentissimi.

Quod deniq; ad dæmones inferiorum orbium attinet,videl.aquaticos,terrestres, subterraneos & lucifugos,*hi* (inquit Marcus Psellum alloquendo) *nihil excogitant sapienter, nec quicquam astu aut sophistice aggrediũtur,quia tanta subtilitas ijs non inest,quare magis sunt turpes & viles,atque sensui magis obnoxij,& consequenter more magis aperto,& visibilius lædunt,at maligniter agunt in corpora humana,cuius quidem rei ratio in promptu est,quoniam eorum corpora magis de aqua & terra,quæ sunt elementa visibilia,participant, quam de aere & igne,quæ sunt inuisibilia elementa.* Vt ergo ab illis aquaticis exordiar,Hi sanguinis pituitosi seu complexionis phlegmaticæ spiritum occupare solent,& humorem aquaticum cæteris dominio eminentiorem reddunt. Et quoniã huiusmodi dæmonum corpora sunt illis aereorum magis grossa,& aquatica,igitur vt primum in sanguinis pituitosi spiritum aereum(qui est illo sanguinis veri dẽsior)irrepserint,meatus inter naturales facultates & vitales, atq; etiam inter eas & animales opplere atq; obturare solent,nam spiritum aereum seu animalem (qui per se est dens, & aquaticæ cõditionis)incrassant sua præsentia,quia *(teste Psello)* spiritus animalis dæmoniorum huiusmodi corporum crassitudine cogitur,quo fit vt vires corporis magis principales funct. onib. seu actionib. non fungantur suis,vnde motiones sunt tardæ,stupidæ,atq; nonnunquam penitus interruptæ ; nam in hoc genere est primus frigoris gradus,cuius est incrassare & congelare humores. Vnde hi spiritus præcipue sunt in causa Epilepsiæ seu morbi Comitialis,qui accidit propter obstructionem meatuum cerebri quę fit à pituita præsentia maligni spiritus condensata.Sed ne aliqui scrupulosi istã meam opinionem deridcant,affirmantẽ dæmonium esse occultam Epilepsiæ causam,audiamus Christum ipsum loquentem.*Domine*(dixit ei quidã) *Mat.17. 15*
miserere filij mei,quia lunaticus est,& male patitur,nam sæpe cadit in ignem,& crebro in aquam,Et Christus dixit,adferte illum ad me,quo facto,increpauit illum,& exijt ab eo dæmonium,& curatus est puer ab illa hora. Luna dominiũ habet super huiusmodi spiritus,vnde fit,vt in plenilunio & nouilunio crebrius afficiantur obsessi, atq; etiam vt spumam atq; viscidam pituitam reddant.Sunt etiam spiritus meridionales qui catarrhos & defluxiones,atque etiam morbos aquaticos ad caliditatem & saltedinem tendentes producunt.Sed cum his in hoc casu se iungunt spiritus aerei,dum scilicet mercurius lunam respic t,nam vt regalis mercurii angelus est spirituum aereorum præses,qui versipellis est , & se mutat secundum planetæ naturam cui applicat , ita etiam princeps Gabriel Lunæ angelus,pro sui planetæ applicationibus,permittit spiritus sibi in mundo sublunari subditos, actiones suas mutare & variare.

Ad dæmones vero terrestres accedamus iam, quibus præest Saturni angelus , atq; proinde huiusmodi summopere malefici & pernitiosi esse obseruantur : & naturæ vitali quam oppositissimi , atque horum tria sunt genera: quorum inferius est superiori peius,omniumq; pessimum est illud lucifugorũ, horum natura est spiritui aereo sanguinis melancholici adhærere,atque horum summũ genus est illud terrestrium,qui ex terrenis sunt viuaciores , & proinde magis vigiles sunt quam cæteri,atque melancholiam primæ speciei exagitant,fatuos faciunt, & multas huiusmodi infirmitates producunt, secundum Saturni applicationes cum cæteris planetis. Subterraneorum autem dæmonum natura est , Hypochondriacos atque maniacos reddere, atque hi maxime vires suas exercent , dum Saturnus à Marte recipitur , aurradiatio aliqua infausta facta est inter hos: Nam quemadmodum hi spiritus solent perturbationes horribiles in terra producere, vtpote qui faciunt hiatus terræ, eiusque fundamenta concutiunt, & flammiuomos

ventos ſuſcitant,qui inde Typhones ſunt dicti, ſic etiam in microcoſmi terra totam fabricam quatiunt aliquando, & flatus hypochondriacos à Lienis ſeu terræ microcoſmicæ centro excitatos cum igneo ardore mixtos procreare ſolent, vnde maniam & Lycanthropiam excitant,in quibus morbis vruntur hi obſeſſi ſeu patientes ſpiritu velut proprio inſtrumento, & per illum clamant , & linguis quandoque à patiente haud intellectis loquuntur. Omnium autem horum generum peſſimum eſt illud lucifugorum, vtpote qui ſegnitiem & torporem corpori adducunt , cohibentque vocem , *(vti Marcus nos docuit)* hominemque obſeſſum quaſi mortuum reddunt,atque huius rei ratio eſt,quoniam hoc genus cæteris eſt terreſtrius,& per conſequens frigiditate & ſiccitate cæteris præcellit,atq; omnimodo Saturni, generi humano infeſtiſſimi,naturam induit.Vnde factum eſt,vt cuicunque hoc genus irrepſerit,eius vim animalem vt plurimum obtundat,hebetet,obfuſcet,& deleat. Atq; huiuſmodi dæmonum ſpecies ideo ſurdæ & mutæ non modo à Marco ipſo,verum etiam à ſacris literis dictitatur,quoniam homines ab iis obſeſſi tales efficiuntur, vtpote quorum ratio penitus priuatur.Hos ergo dæmones in cauſa Apoplexiæ,Paralyſis,Stuporis,Catalepſis,Lethargiæ,Caros,atque huiuſmodi aliorum morborum eſſe credimus , inter quos Apoplexia eſt omnium peſſima.

Mihi veniam concedat lector humaniſſimus , ſi prima fronte hæc ei dura atque impoſſibilia videntur, at vero rem ſenſu paulo accuratiori inquirat velim,& videat inprimis, an aliquis ſit in crudo humore actus per ſe,vel in mera intemperie ex ſola qualitate,quæ tantam naturæ humanæ (quæ in ſua æqualitate eſt fortiſſima)iniuriam & violentiam inferre queat? Videlicet in cruda pituita, vel cholera præter naturam calefacta,vim tantam non inuenimus per ſe,quæ naturæ tam viriliter reſiſtere , aut in 4.7. vel pluribus diebus tantam victoriam in humanæ vitæ præſides obtinere,aut trophæa tãti ſpolii erigere atque figere poſſit , neceſſe eſt igitur,quod iſtius actionis præternaturalis principium ſit internum naturæ animalis vel animantis quo animæ vitalis vigorem obtundere atque deſtruere poteſt.Cum igitur omnis actionis origo ſit lux,quæ eſt principium caloris,vt ille actus,ſic etiam Deus eſt fons lucis,qui actus ſuos mediante ſpiritu humano,primum in Angelos ad voluntatem ſuam, vel ad benedictionem , vel ad punitionem impluit, deinde ab iis ad cæliatherei ſtellas mediantibus angelis primi gradus , actum creaturis ſublunaribus omnibus:vnde liquet,quod omnis victoria à fortiori obtineatur,at angeli gubernationem habent in inferiora , atque Dei ordinationes in ea exequuntur, vtpote qui ſunt eius miniſtri , parati ad voluntatem ſuam in creaturæ bono vel malo præſtandam : Non igitur credamus humanam vitam à re ignobiliori poſſe extingui:ſed à fortiori tantum & potentiori quam illa eſt.

At ſcio multos reſpondere,hanc eſſe Hippocratis & Galeni ſententiam , quos ad hoc vſq; tempus veridicos experti ſumus: Illi nos docent,morborum cauſas eſſe intemperies calidas,frigidas,humidas,ſiccas, vel humorum rebellionem atq; ſuperabundantiam,vel ipſorum prauitatem , vel flatuũ & ventorum multitudinem. At ego iam audacter dicam,ipſos falſitatem hac in re non produxiſſe , ſed improprie tamen eſt hoc dictum,quod candela illuminet cubiculum,non enim eſt candela , ſed flamma eiuſdem , nec quidem quicquam mali poteſt bombarda, vbi non adeſt puluis in quo eſt eius actus , nec proprie dicitur enſis hominem interfeciſſe,ſed homo tanquam primus agens,ipſi ſiquidem medici antiqui elementa reſpexerunt, at prima ipſorum agentia aut ignorarunt,aut mundo propalare noluerunt,aut ſaltẽ pauciſſimis. Nos Chriſtiani dicimus,ſi aliquid proſperi vel aduerſi nobis accidat,(etiam neglecto inſtrumento externo)Deus nobis hoc fecit,Imo vero tam in morborum principiorum inquiſitione,quam in ſanitatis originis indagatione,à Deo qui eſt ens entium,& actus actuum,deorſum gradatim tendendo progrediendum. Ad virtutes ſecundarias Angelos ſcilicet,reſpiciendum,actum poſtea ad creaturas ab angelis , & ipſorum influentiis gubernatas deſcendendum,ac denique ad res ſenſibiles ſubiectas,vt qualitates, humores, & huiuſmodi alia tanquam paſſiua procedamus. Sed audiamus quod Pſellus Marcum alloquendo dicit,poſtquam de dæmonum diſpoſitionibus præternaturalibus in humano ſpiritu mentionem feciſſet: Pſellus ſic replicare videtur;*O Marce recentiora quædam ſapere nos medicorum ſectatores adducunt,aſſerentes,paſſiones eiuſmodi, non eſſe effectus dæmonum,ſed humorum vaporumque & ventorum male ſeſe habentium , itaque pharmacis & diæta,non carminibus aut incantationum expiationibus hæc aggredi ſolent.* Cui Marcus : *Nihil mirum eſt hoc medicos dicere , qui nihil nouerunt præter ſenſum,& corporibus tantum incubuerunt cognoſcendis.Illa fortaſſe decebat malorum humorum putare incommoda, capitis ſomnoriferam grauitatem , atræ bilis anguſtias , phreneſin,deliramenta , quæ lauacris potionibusque vel euacuationibus vel emplaſtris ſedare conſueuerunt , inſpirationes autem occupationeſque , quibus qui obſeſſus eſt , agere nihil poteſt,non intellectu,non ratione,non phantaſia,non ſenſu,Aliud vero eſt quod mouet atque ducit,* dicitque inſuper , *quæ non nouerit occupatus , & futura nonnunquam prædicit , quo (inquam) pacto dicemus, has eſſe erraticas materiæ motiones.* Hæc ille. Et reuera ego ipſe multos noui febri ardente laborantes,quorum alii delirio præeunte de die & hora mortis diuinabant. Et quidam peſte laborans per viſionem intellexit ſe breuiter moriturum , atque viſum eſt ei quod poſt mortem ſuam ipſe cum alio contenderet,quis per viam quandam anguſtam primus ingrederetur,& in contentione hac ſua duo viri honeſtæ grauitatis ſuperueniebant , quorum arbitrio controuerſia hæc recommendata , & ſic primo ingrediendi priuilegium ipſi erat conceſſum. Moriente autem poſtea intra paucos dies hoc ægroto , & ad ſepulchrum ducto,contentio orta eſt inter amicos eius , atque illos alterius cuiuſdam mortui pro ſepulchro,itaq; tandem à duob.parochię S.Andreæ ſeniorib.dirempta lis fuit,ſepulchrumq; ſomnianti adiudicatũ. Alzarabius ẽt hanc Marci opinionẽ loco antea citato confirmare vide-

videtur, vbi asserit, *quod ægritudines inuadant homines, & præuaricationibus & maledictis dæmonibus, quos per scientias antiquas nunc hominibus occultatas curare consueuerunt, subtilitate enim sua se sanguini humano immiscent, totam massam humoralem corrumpendo, sicut ex sæuissima plaga Diaboli Iob inflicta apparet, vbi nulla remedia humana profuerunt*, hæc ille. Interdum vero accidit, vt spiritus malignus in sanguinem irrepens atque totam massam perturbans, sanguinis missione exeat, cum spiritu sanguinis egredientis, atque ita subito conualescat patiens. At si adhuc in sanguinis massa permanear, illa sanguinis missio, nihil proficui seu leuaminis afferre solet. Porro etiam Augustinum audiamus hac in re loquentem. *Prorsus quod scriptum est Eccles. 4. c. Graue iugum super filios Adam à die exitus de matris eorum ventre, vsque in diem sepulturæ, matrem omnium, vsque adeo impleri necesse est, vt ipsi parauli per lauacrum regenerationis ab originalis peccati quo solo tenebantur vinculo, iam soluti, multa patientes, nonnulli incursus spirituum malignorum patiantur:* Atque Hieronymus super obitum Blesillæ in epistola ad Paulum ait. *Quid causæ est vt vbera maternalactantes à dæmonio corrumpantur.* Etiam de spiritibus aereis & de subtili eorummodo operandi in nobis aperte & luculenter loquitur in Decreto posito in cap. sciendum 36. quæst. 4. Vbi postquam de ipsorum excellentia super homines & alias creaturas, propter subtilem atque aeream eorum compositionem aliquid verborum fecisset, sic pergit; *Accipiunt sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aerem vitiando morbidum reddere & peruersis & amatoribus terrenorum commodorum malefacta suadere: suadentibus miris & inuisibilibus modis per illam subtilitatem corpora hominum non sentientium penetrando, & se cogitationibus eorum per quædam imaginaria iussa miscendo, siue vigilantium siue dormientium.* Et alibi dicit: *Accipiunt autem sæpe potestatem & morbos immittere, & aerem vitiando morbidum reddere, & peruersis malefacta suadere.* Similiter Iohan. Chrysost. ait, *Homines non quantum vult tentat, Diabolus, quoniam quantum ad se nunquam cessaret à temptatione, neque enim habet alium actum, non enim manducat, nec dormit, aut aliud operatur, nisi vt tentet, fallat, subuertat: hic cibus illius est.* Denique ex Apocalypsi loco supra citato colligimus; *quod dæmonibus conceßa est potestas & permissio nocere terræ, & hominibus, ac subuertere aerem & aquas.* Vnde neminem sapientem latere posse existimo, omnes morbos procedere ab illis quatuor angelis, in quorum potestate commissa est ventorum gubernatio. Atque hoc etiam medici Ethnici diligenti obseruatione perceperunt per demonstrationem à posteriori, hoc est, ab effectu, & non à priori, vtpote qui ad internum morbi agens penetrare non potuerunt, Hinc inquit Hippocr. *Mutationes temporum potissimum pariunt morbos, & in quibusdam temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut caloris.*

De Ciuit. Dei. lib. 21.

Aug. de Diuina. dæm.

Super Mat. lib. 1.

Aphor. lib. 3. 1.

Hic vidit ipse temporum mutationes in calore & frigore esse in causa morborum, aut vero angelos igneos aut terrestres esse harum alterationum principia, in ventis agentes ignorauerunt, ergo effectum pro causa efficiente posuerunt. Et alibi: *In temporibus, quando eodem die modo calor, modo frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.*

Aphor. lib. 3. 4.

Nam conflictu dæmonum contrariarum conditionum, contentionis seminaria in aere relinquuntur, quæ in corpora per inspirationem vel nutritionem ingredientia, per oppositionem occultam febres spurias & putridas producunt, quarum causas ideo pituitam corruptam seu pituitam patientem & bilem agentem posuerunt. Et alibi: *In siccitatibus febres acutæ fiunt. & si annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit constitutionem, tales vt plurimum morbos oportet expectare.* Et alibi: *De temporibus siquidem hyems ficca & Aquilonia fuerit, ver vero pluuiosum & Australe, necesse est æstate febres acutas & lippitudines, & intestinorum difficultates &c.*

Aphor. lib. 3. 7.

Aphoris. 3. 11.

Hic autem ventos facit horum morborum causas; & tamen Angelos ventorum procreatores ignorauit, de quibus *in Apocalypsi* mentio facta est: Atq; ita totus ille liber de morbis à ventorum flatibus, & aeris constitutionibus vanis prouenientibus mentionem vbique facit. Quibus euidens est, quod si Angeli qui vim habent vel ad cohibendos vel emittendos ventos, sint maligni & nocentes tam terræ quam creaturis eiusdem, mediantibus ventorum flatibus, quibus infinitæ subditæ sunt ministrorum nocentium legiones, qui iussui eorum obedientes ventis sese immiscent, & in aere se vndique dispergunt, illumque suis flatibus venenosis polluunt & contaminant, & cum eo etiam cordis humani penetralia permissione diuina peruadere gestiunt, atque ita dispositionem sanam in morbidam transferunt; si inquam isti angeli vim habent aerem suis instrumentis perturbandi, atque mutandi, in deterius à meliori, atque etiam nonnunquam coactione diuina à deteriori in melius, melius esset, vt medici isti Ethnici angelorum illorum naturas arcanas perscrutati fuissent, atque modum nodorum illorum solutionis, vtpote primorum in morbis agentium, quam vt instar cæcorum ipsa elementa & humores vano modo crucient; ac si quis insanus (nulla ad ignem agentem seu comburentem habita ratione) flagello ideo ligneam verberare aut ense vel securi percutere vellet, quod in flammam est redacta, existimando, se hac via ipsum ignis nocumentum, seu damnum ablaturum; cum tamen per hoc nihil impediatur ignis violentia, & in actione sua nihilominus continuet: Simili ratione medici sensibilia passiua nominant & respiciunt, internas vero essentias agentes nesciunt & negligunt. Hinc igitur vt plurimum in vanum purgant, in vanum sanguinem emittunt, in vanum potiones alterantes administrant, ita vt plures sub eorum manibus mori, & extremam passionem perpeti obseruentur, quam ad sanitatis pristinæ limites medicamenti vulgaris virtute reuerti. Ac si nonnulli ad pristinum statum reducuntur, plus vt plurimum vtilitatis attulit ipsius naturæ vigor, qui habilis est crisis expectatæ examen perdurare, quam ipsius medicamenti facultas, atque hoc quidem euenit quoniam herbarum & animalium proprietates occultæ, quibus datum est, hoc vel illud dæmonium expellere, eiusque in corpore malignitatem supprimere, à vulgo sunt reconditæ,

ditæ, atque veterum inuidia in multorum hominum obliuionem relegatæ. Est autem vnicum medicamentum solum cælitus demissum, cui datum est omnia hæc dæmonia in momento quasi à spiritu humano diuidere, ac funditus inde extirpare, verbum videlicet Dei sanans omnia, de quo sic loquitur sapiens, *Misericordia tua sanauit illos, Etenim neque herba neque malegma sanauit illos, sed tuum verbum domine, quod sanat omnia*; cuiusmodi medicinæ possessores erant Elias, Elisha, Christus & Apostoli, qui mediante verbo dæmonia omnia eiiciebant, atque morbos ex corpore expellebant; Sed quoniam huiusmodi medicinæ inuentio ob hominum huius ætatis indignitatem difficilis est, ideo docemur à quodam patre grauissimo, quod, cum infirmitas corporalis sit ex peccato, vt medici, cum ad huiusmodi infirmos vocari eos contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, vt medicos animarum aduocent, vt postquam fuerit homini de spirituali remedio prouisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedat, cum *cessante causa cesset effectus*. De magno sanguinis Christi mysterio per quem omnia tam in cælo quam in terra ad intimam reducuntur munditiem, hoc in discursu mystico omittam, vtpote quod à Theologis magis quam à Philosophis est disceptandum. At vero de reliquis simul atque de hoc in Tomi mei secundi tractatu tertio (vbi de supernaturalibus morborum causis agetur, atque etiam de bonis spiritibus, naturæ humanæ amicis, & præcipue de Amore, quem Philosophi magnum dæmonem, omnia creata concordi pace ligantem vocant, à quo vitam & sanitatem habemus, vt in Cabalistico nostro tractatu iam dictum est, atque etiam à prauorum dæmonum inuasionibus defendimur) verba quidem vberrima Deo volente faciemus.

Sap. 16. 10.

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARTIS III.
LIBER TERTIVS.

IN QVO OCCIDENTIS MICRO-COSMICI SEV SPERMATIS materia pertractatur.

CAPVT I.

In quo probatur, quod vasa spermatica quartæ cæli Occidentalis respondeant. Similiter variæ de spermatis & seminis origine opiniones explicantur.

AD punctum iam tandem Occidentalem acus seu stili nostri magnetico animæ desiderio contacti aciem conuertimus, & de solis microcosmici occasu verba licet pauca, perspicua tamen satis proferre in animum venit. Vt igitur in præcedentium parte prima de polis septentrionali & meridionali microcosmi, deinde in parte secunda de eius aere sanguineo in genere cum mysteriis eiusdem mentionem fecimus: sic iam ad eiusdem angulum seu cardinem occidentalem accedemus; Nam vt in arcanis cordis, hominis ortum seu plagam orientalem infra describemus, sic vasa seminaria puncto occidentis hoc in loco comparamus, vt & sperma seu semen in iis contentum soli Occidenti, & viscera ea abscondétia terræ. Nam quid obsecro aliud est semen, quam vitæ quinta essentia, à loco solis seu corde vbi oritur in microcosmo descendens in vasa hæc: & semen in iis contentum, est quasi sol descendens seu occidens, paratum, pro sepulchro vterino in quo moritur, vel saltem mutari videtur, quousque iterum resurgat & nouam producat creaturam, priori similem. Sic & Sol occidens videtur nobis mori, & vitam seu lucem suam perdere, noctemque quæ corruptioni assimilatur, superuenire, quousque sol iterum resurgat in oriente sicut antea. Eodem plane modo semen (quod est vitæ & generationis Sol) quod in corde prius exurgebat, ad vitam & terram humanam illustrandam, iam occidit in vasis seminalibus, vbi in vterum descendens mori videtur, & tamen viuit secrete, agitque continue ad nouam creaturam producendam, in cuius corde nòn aliter oriri videtur ad terram suam illuminandam, quam sol macrocosmicus ad suam; Sed quoniam hoc à vulgo bene considerari nequit, quoniam difficillimum est, arcanam seminis generationem pèrscrutari atque enucleare, (tam incerta est philosophorum atque medicorum etiam omnium fere, de eo opinio, in iudiciis suis tam instabilium, atque inconstantium,) operæ pretium fore existimaui, opiniones illorum nonnullas in primo loco explicare, cum argumentis nonnullis iis repugnantibus, ac tum postea animi mei sententiam explicabo. quam licet nouam & minime vsque ad hunc diem (quod sciam) auditam, certam tamen esse, & citra vllam controuersiam recipiendam intemeratæ veritatis documentis perlucidis probabo.

Albertus Magnus in mulierum secretis, *sperma nihil aliud esse* ait, *quam superfluum alimenti, quod in substantiam rei non alendæ recedit.* Vir quidem in philosophia prudentissimus, at in definitione hac sua minime (vti mihi videtur) iustus, & sibi ipsi inconstans, qui rei tam diuinæ (qualis est semen, in quo tot cælorum dotes, tantus spirituum vigor latet) alimenti superfluitati, assignare ausus est ortum, ita vt illud vile (quod in sanguinis naturam reduci nequit,) illud inquam in pretiosum sperma cuius anima est semen reduci inconsulte credat, ac si tota fætùs vis, eiusdem anima viuens, & virtus specifica in ciborum & potulentorum superfluitate consisteret; Sunt etiam alii qui in seminis procreationis censura magis sunt dementes, voluntque *ipsum cerebri substantia fieri:* quod quidem si esset verisimile, sequeretur, quod multum cocuntibus parum esset

cerebri,

cerebri,porro quod assertio hæc minime sit congrua,ex eo liquet,quia corporis vniuersi proportio, & signa paterna omnibus patris vel matris membris impressa à cerebro prouenire nequeunt. Denique quis tam in philosophiæ speculatione debilis est,qui spiritus vitales atque naturales ab illis animalibus (qui in cerebro abundant) situ & natura discrepare ignoret? at cum similia similibus procreari soleant, ipse procul dubio qui à spermate ex solo cerebro scaturiente generatur,non (vti loquuntur) cordatus est homo,sed intellectualis valde,vtpote à substantia totaliter cerebrali genitus atque conflatus. Alii (inter quos Galenum nomino,in libello suo vel saltem ei attributo,de spermate,) affirmant, *quod sperma ab omni corporis humore qui sit ex subtiliori natura quatuor humorum descendat.* Et quidem spermatis visibile, seu massæ corpus hi denotare videntur,cæleste vero eius animam seu internum & inuisibile,quod semẽ vocamus, ne excogitarunt quidem,cum de humoribus solummodo sublunaribus hoc in loco verba facere videantur. Alii in philosophia bene versati,agnoscunt *in sperma te causam internam agentem, quam fatentur esse qualitatem & vim quandam occultam,seminiper naturam inditam,quam à partibus corporis principalibus ortam dicunt,atque hanc vim materiam animatorum corporum informare volunt,forma & specie simili*, (Velcurium enim inter cæteros hoc allegantem legi,) qua quidem confessione ignotum per ignotius colligitur, nam quis est tam absurdus qui nesciat formam in re omni esse illud agens internum quo pellitur & mouetur externum, aut rem esse aliquam occultam & formalem,quæ essentiam specificam creaturæ visibili attribuat? Porro etiam hi in eandem, quam illi, absurditatem incidunt, volentes formam specificam (quæ est de substantia cælesti,) posse à corporis partibus (quæ sunt elementa seu ex elementis conflatæ) deriuari, Aristoteles etiam ex philosophis,& Fernelius ex medicis, sperma definitione cationi & latiori declarant, *Semen illud esse ex quo oriuntur primo ea quæ secundum naturam constituuntur.* Hi ergo ab effectu illud definiunt,& non in sua essentia. At vero nos quidem methodo clariori,atque stilo paulo elatiore,non modo spermatis, verum etiam seminis in eo delitescentis originem tam cælestem quam elementarem, cum ipsorum ad inuicem mixtionis atque præparationis ratione explicabimus, atque *illud nihil esse aliud præter spiritum aereum in formam nubis macrocosmicæ vi spiritus, seu venti cælestis (qui & suum dæmonem seu genium internum lucidum, illud instinctu Dei ipsi præsidentis mouentem habet) ab omnibus microcosmi quartis afflatibus impulsam,* demonstrabimus. Et *quod sit compositum respectu externi ab elementari,interni ro à cœlesti.* Sic etiam in Ezechiele est dictum, *Dixit dominus,Ecce ego mittam in vos spiritum, & viuetis, & dabo super vos neruos,& succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem,& dabo vobis spiritum & viuetis. Et (inquit dominus) à quatuor ventis insuffla super interfectos istos,vt reuiuiscant,& ingressus est in ea spiritus & reuixerunt.* Ex quibus euidens est,ipsum sperma esse nubem seu aerem ab omnibus ventis naturaliter collectum, & condensatum,cuius internum est angelus à Deo constitutus,qui vitæ habet præsidium: Imo vero angeli tres ad spermatis esse concurrunt,quorum vnus est ventus seu spiritus intellectualis, qui vim habet in spiritum animalem à cælo empyreo emissus,alter est afflatus æthereus,qui præsidet spiritui vitali,& vltimus est elementaris,qui est ventus seu spiritus virtutem habens in facultatem naturalem. Vnde & tres bullæ in sperma, postquam per sex dies in matrice remanserit,apparere solent.

Ezech. 37. 5.

Caput II.

Quod sperma ex duobus componatur,& quod à spiritu, seu vento in corpore naturali in formam nubis contrahatur,& de ratione generationis spermatis.

VT certum & omnibus notum est,hominem ex corpore & anima componi, sic etiam & peritos minime latet, quod sperma ex duobus confletur videlicet externo & visibili, quod ex puriori elementorum substantia elicitur,atque hoc loco corporis illius est,& proprio nomine sperma nuncupatur, & interno seu inuisibili,quod ex cælo descendit mediante aere,de quo inferius verba proferemus.

Sed priusquam de origine harum humoris in generatione radicatiui partium, & coniungendi ratione loquamur,necesse est in primis,vt vasa spermatis præparantia quatuor consideremus, quorum duo ex vtroque latere testiculos versus descendunt,vena scilicet & arteria,atque istorum in latere sinistro,à vena sinistra emulgente,descendit aliud,arteria nempe seu aorta,seu arteria magna, prope renem sinistrum progrediẽs, deorsum itidem tendit; Etiam in latere dextro vnum vas videlicet vena à trunco venæ cauæ deorsum se porrigit,at arteria ab eodem trunci aortæ loco egreditur,quo & sinistra,atque itidem more sinistræ versus testiculos se inclinat. Sciendum autem est,quod quodlibet cuiusque lateris vas ex vena & arteria conflatum,(vti dictum est) in suo versus testes descensu admirabili vnione seu plexu in forma telæ seraceæ se inuicem contexit & implicat,atque hanc texturam inseparabilem Græci *Anastomesin* vocant,atque huiusmodi venæ & arteriæ implicatio durat,à mediæ quasi viæ descensu,vsque ad ipsos testiculos,quas vasa expurgantia superius in anatomia vulgari dictitauimus. His igitur recte consideratis ad sequentia pergemus.

Incertus author in manuscripto quodam de spermatis natura tractante reliquit, *quod sperma sit hominis semen ex principaliori omnium membrorum substantia compactum atque deriuatum*: & recte quidem: si de spermatis externo mentionem fecisset,at vero irregulariter,quatenus sperma semen vocauit, ac si quis formam cum materia confunderet,est enim sperma illud in succo generatiuo visibile, quod ex puriori quatuor elementorum

torum membra corporis componentium substantia actione naturæ occultissima dicitur, at semen (quod est centrale ac formale quiddam, atque inuisibile in spermate) se habens ad illud, vt anima ad corpus, non ex elementari materia, sed ex substantia cælesti atque ætherea, cum luce eiusdem, imo vero & essentia supercælesti conformatur, quare incongrue prolata est illa definitio, materiam elementarem cum sua forma confundens, videlicet sperma cum semine, vtpote quæ ambo non aliter differunt, quam materia & forma, quarum vna agit, & altera patitur. Dicimus igitur *quod sperma, hoc est massa visibilis, sit quasi nubes seu aer, afflatu, secundum naturam afflatus spirituum seu ventorum tam supercœlestium & cœlestium quam elementariorum ab omnibus microcosmi angulis seu plagis spirantium, in formam visibilem nubeculæ albæ & fœcundæ condensatus*, nam vt in aere macrocosmico videmus, nubes propter maiorem substantiæ suæ puritatem mutare colorem, cum secundum philosophorum antiquorum sententias si nubis vel nubeculæ substantia, ex vapore subtiliori, & non adeo cõdensato fuerit procreata, tunc colore erit alba, & substantia magis rara, & diaphona, & lucida, hinc inde puritatem aeream denotando, at si fuerit densior, & fumorum terrestrium seu aquarum multitudinem arguat, tunc erit atra seu nigra, ita vt radii solares eam penetrare nequeant. Quare hæc vltima species præternaturaliter videtur se in mundo habere, & magnas pluuias seu inundationes inducere. Prior vero nubium species secundum naturam videtur existere, & inclinant ad naturam illarum nebularum fertilium quæ dicuntur in principio antequam vlla nubes in cœlo appareret ascendisse a terra, ad eius superficiem irrigandam, quo fertilis fieret, atq; plantarum incrementum & vegetationem magis apta & commoda. Sic etiam nebula huiusmodi alba à corporis seu terræ quartis expirat, & vi spiritus interni eam rapientis & condensantis in nubeculam albam, in vasa seminaria venalia tanquam occidentis angulum introducitur. substantia ergo manifesta est quasi quatuor elementorum membra terræ microcosmicæ constituentium essentia pura, quæ prius in membris seu vasis suis elixatur atq; præparatur in substantia subtilissima aeris, quæ vim quatuor elementorum & consequenter quatuor humorum in se retinet, ex quibus corpus ipsorum proles cõflatur, non aliter quam ex semine quod à corde prius emanat, eius anima diuina; Quod autem sperma hoc elementare & visibile ex omnibus corporis membris tanquam essentia rei compositæ ex sua massa vi chymica, ad corporis nati compositionem & non ab aliqua eius parte particulari extrahatur, tribus argumentis colligimus, quorum prius est, quod post multum coitum omnia corporis membra defessa, & torpore quodam consopita quasi & defatigata videmus, cerebri spiritus obtusos, pedes atq; etiam brachiorum lacertos aggrauatos, & vniuersam deniq; massam segnem, & fere inanimatam animaduertimus, imo vero & si podagra, chiragra, flatu hypochondriaco præteritis temporibus affectus fuit qui nimium coit, tametsi iam quasi complete curatus, tamen post multum coitum dolores statim & lassitudinem in illis membris præ cæteris sentiet, quod quidem est indicium (vt mihi videtur) certissimum quod purum membrorum tractum seu quatuor elementorum essentia vi & spiritu seu vento quodam magnetico eliciatur ab illis & per venularum orificia in venam cauam introducatur, & per massam sanguineam effluens, deorsum in venas seminales seu vasa introducatur, & effundatur, & vi spiritus elementaris nouam formam appetentis, ibi ad completã præparationem contineatur, quo suæ formæ seminalis à corde per arteriam magnam influentis impressiones melius accipiat. Secundum est, quod experientia comprobatum sit, quod filius participet de morbis incurabilibus parentum, ita vt si membrum aliquod tali informitate in patre aut matre afficiatur, illud etiam in nato sæpicule taliter affectum obseruemus: videlicet podagra in pedibus, chiragra in manibus, calculus indorso vel vesica &c. cuius rei ratio est, quoniam *natura similia ex similibus procreare gaudet & gestit*. Tertium & certissimum est, quod filius vel filia suorum parentum species & effigies vt plurimum præ se ferunt, videl. in vultu similitudinem, in membrorum dispositione symmetriam, imo & corporis vniuersi gestum atq; iconem. Cõcludimus ergo quod sperma, seu visibilior humoris generatiui portio, sit essentia quatuor illorum elementorum quæ membra corporis constituunt, membra sunt vasa in quibus elixatur & præparatur in formam fumi nebulosi, flatus seu spiritus elementaris nouam formam appetens, fumum istum successiuo motu pellit ante se vt ventus aerem fumosum à partibus carnosis primum in massam sanguineam venæ cauæ per orificia venularum ex trunco cauæ exturgentium, ac tum postea in venas spermaticas, in quibus fumus ille in nubeculam albam paulatim se coagulat: Vnde manifestum est quod sperma hoc loco corporis se habens, sit corporis etiam fœtus, origo & initium, & licet viscus seu materia spissa & nuda videatur, tamen inuisibiles in se continet partes totius rei gignendæ, quæ ex parentis corporis membris fructus est, non aliter quã pomum arboris pomi, vel vua vitis, qui fructus, licet à suo arbore decerpatur, non tamen moritur arbor sed nouam sibi generandi virtutem quotidie ab Elementis rapit. Atque hoc est, quod Philosophi volunt, videlicet, *quod semina omnium rerum lateant in elementis*. Modus autem immediatus quo iste spiritus elementaris (qui immediate volat à membris extremis, post spermatis emissionem in matricem, vt spermatis emissi locum succedens suppleat) nutritur atque reficitur, est per sanguinem, qui & à chilo so nutrimenti succo procreatur: Quod autem ad spermatis huiusce cum semine suo mixtionem attinet punctim agemus capite sequenti, vbi prius de seminis seu spermatis forma egerimus.

Gen. 2. 5.

Caput III.

De seminis seu Spermatis formæ occultæ procreatione mystica: & quomodo sit verum vitæ aurum à cœlis emissum: Similiter quod sit essentia prolis.

QVAM stupenda & admiranda sit creatura aer, quam referta influentiis tam vitæ quam mortis, similiter quod sit vegetationis & seminariorum formalium generationis, imo vero tam Dei quam angelorum & dæmonum receptaculum, in præcedentibus satis luculenter à nobis demonstratum est: At vero quatenus in eo solo videlicet spiritu aereo natant vitæ & generationis scintillæ, sine quibus ne momentum quidem temporis viuere possunt creaturæ (inter quas hominem vt principem præcipue intelligimus) ideo necesse est vt inspiratio eiusdem omni temporis minuto fiat, cum sine ea confestim præfocetur animal, cum ablato spititu aereo auferatur & eius anima, quæ est lux ætherea cum spiritu tali, quorum illo nutritur & refocillatur calidum vitæ in natum, hoc, humidum radicale decrescens successiue restauratur: Hunc igitur spiritum animal sed magis efficaciter homo inspirat in læuum cordis thalamum: ratione à nobis in nostra anatomia vulgari explicata, videlicet fibratum cordis rectarum contractione, & per consequens obliquarum & transuersalium dilatatione, atque hic motus dicitur *Diastole*, cuius interuallo cor aerem ex pulmone per arteriam venosam in sinistrum eius ventriculum ad spirituum vitalium, atque generabilium, nutritionem introducit, non aliter quam hepar ad suam cauitatem alimenti succum attrahere obseruatur, ad spiritus naturales ad vegetationem destinatos regenerandos, in hoc igitur microcosmi laboratorio natura perfecta aeris anatomiam perficere, eumque in partes suas æquali partitione diuidere aggreditur: hic enim substantiam cœli igneam, atque spiritum æthereum qui est eius vehiculum à fuliginosa & morbida aeris heterogeneitate distinguit, quorum cœlestia in suo sacrario aorta dicto recondit, elementaria vero à vitæ negotio (vtpote mutationi & corruptioni obnoxio) illa in fumum conuertendo, per illam viam qua introducta sunt, emittit, tanquam superflua, & ad vitæ opus minime necessaria, sunt aũt atomi lucidi in spiritu æthereo more inuisibili natantes, & in myrothecio microcosmico reseruati. Phœbea seminaria à solis fonte influentia, q̃ à solis natura atq; essentia non aliter distare dicuntur, q̃ radius illius à suo toto; At vero inquit psalmista regius, *Deus posuit tabernaculũ in sole*, h.e. inest cẽtraliter in sole, vnde rectissime dicitur à Platone, *Sol mundi inuisibilis, vt Sol qui videtur, dicitur visibilis.* Vnde à Propheta *vocatur Deus lux & salus iustorũ, & robur vitæ.* Et alibi, *Iehoua est sol gratiam & gloriam dans.* Et Psal. 103.1. & 104.2. lux, dicitur Dei amictus seu vestimentum, & Iohannes dicit, *quod illa lux esset vita, & illa vita esset in ipso verbo.* Sed & hoc optime explicatur à rege Dauide in illo loco vbi dicit, *quod Deo dante creaturis, colligant,* (hoc est cum vitam suo spiritu iis det, viuant) *at recipiente spiritum eorum, expirent*, recte igitur dixit alibi, *Deum esse lucem, à qua vita*, hoc est, spiraculum vitæ: Nonne etiam hoc idem confirmare videtur Diuus Augustinus *super Genes.* affirmans, quod quanto plus lucis aliquid in se habeat, tanto magis Deum sibi vendicare videatur, in hoc igitur igne cælesti, in aere occultato, qui est de essentia Solis, qui est fons vitæ, in quo anima mundi primariam possidet sedem, quam quidem animam Rabi seu Doctores Hebræorum & Ægyptiorum dicunt esse emanationem illam, quæ à Tetragrammato primum ad mundi creationem effulsit; Non enim dicimus ipsum solem esse diuinum aut Deiforme cum sit creatura Dei, sed dicimus spiritum diuinum & reuera lucidum ei inesse, qui est eius actus primus, & anima diuina seu sapientia primitus creata: sed de hoc subiecto in mystica corporis dissectione ipsius cordis, plura Deo volente disceptabimus hic autem ad spiritus istius solaris, ad vitæ actus in microcosmo expandenti formulam, atque iterum ad eiusdem in generationis progressu contrahendi rationem præcipue me conuertam.

Psal. 27.1. Psal. 84.12. Iohan.1. Psal. 104.28

Vt primum igitur materia ista in nobilissimo suo microcosmi laboratorio, seu officina chimica, sinistro videlicet cordis thalamo, erat ab aeris sublunaris impuritate separata, per tres valuas Semilunares intra apertas, extra occlusas, in arteriam magnam seu aortam tanquam in naturæ microcosmicæ sacrarium introducitur, mediante cuius trunco, in ramulos infinitos vndique per vniuersum corpus dispergitur, videlicet per carotides ad cerebrum, per quas supercœlestior operis chimici, seu substantiæ solaris pars vtpote totius fontis vitalis dignitate superexcellens ad cœlum cerebrale, seu cælum microcosmi Empyreum eleuatur, quippe quod est intellectus atque animæ rationalis sedes. Deinde illæ cerui cales, Humerariæ & Thoracis partibus illis vitam præbentes, impressionem vitæ spiritualem illarum partium secum rapiunt, Coronariæ, internam cordis spirituſque eiusdem effigiem præ se ferunt, atque sic de cæteris, ita vt spiritus inuisibilis hic in tenuissima spiritus aerei substantia natans, non modo se expandat ad membrorum corporis viuificationem, verum etiam contractione sui ipsius (quæ in actione coitus vi quadam magnetica, & amoris diuini plena fieri solet) spiritus hic deorsum in arterias seminarias seu seminales ex omnibus corporis membris, sed præcipue à principalioribus allicitur, qui quidem spiritus inuisibilis, ad exemplar illius archetypici, in quo omnia creanda erant prius designata, (quemadmodum etiam gloriatur regius propheta Dauid, *quod imaginem templi totaliter acceperit ex manu DEI*,) inuisibilem corporis humani depingendi figuram in se continet, hoc est hominis

inter-

interni & spiritualis effigiem, vt illa spermatis visibilis iconem occultum hominis externi, & ex quatuor elementis conflati. Sed & hoc ex verbis his prophetæ regii Dauidis luculentius explicatur. *Tu possides renes meos ex quo obtegebar in vtero matris meæ, Non celata est vis mea tibi ex quo factus sum, in abdito artificiose confectus, velut in imis partibus terræ, Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo membra omnia sunt scripta, ex quibus diebus formabantur, cum nondum vllum ex iis extaret.* Ex quibus patet, quod homo sit spiritualiter à Deo descriptus & depictus, priusquam in actum visibilem deducatur. Atque hinc dicit Iob: *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Et sapiens in hæc verba loquitur, *Vt ignoras quæ sit via spiritus, & quomodo ossa pingantur in ventre prægnantis: Sic nescis opera Dei qui est fabricator omnium.* Similiter dicit Ezechiel: *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes.* Hic ergo est spiritus ille vitæ è cœlis à Deo emissus, quo viuat & informetur homo: Atque hoc modo concurrunt ad hominis generationem, spiritus cælestis qui est inuisibilis, ex quo conflatur eius internum, & dicitur semen, quod in illis vasis duobus includitur, quæ arteriæ seminales dicuntur, & essentia elementaris visibilis, quæ in illis vasis reconduntur, quæ venæ spermaticæ nuncupantur, ex quo hominis externum fabricatur, & dicitur sperma. Vnde factum est, quod cœlum & pura terra chimia naturali extructa sint humanæ structuræ materialia, vnde philosophus (ignorans spiritum diuinum increatum in illo solari creato inhabitasse, sed omnia naturæ attribuens) agnoscit, *quod sol & homo generent hominem*, ac si dixisset, seminaria solaria mediante aere per inspirationem attracta, & essentia membrorum hominis seu patris conflatorum, generant hominem, sed artifex in huiusmodi mixtione occultus est ipse Deus, qui in centro mouens agit ad hominis compositionem vnde cantat Dauid: *Tu possides renes meos ex quo obtegebas me in vtero matris meæ*, Et Iob: *Nonne sicut lac fudisti me.* Iam vero tandem ad perfectam seminis vasorum arterialium, cum spermate vasorum venalium mixtionem & occultam secundum suæ speciei symetriam, reductionem progrediemur.

Ps. 139. 13.
Iob. 33. 4.
Eccles. 9. 5.
Ezech. 37. 5
Iob. 10. 9.

Caput IV.

De exacta seminis cum sperm ate commiscendi ratione, mediante plexu illo admirabili, quem Græci Anastomosin vocant.

IN anatomia mea vulgari declaratum est, quod duo ex quatuor vasis seminariis præparantibus sint venæ, quarum dextra à vena caua sub emulgente pullulat, sinistra vero ab ipsamet emulgente deducitur; aliæ vero duę arteriæ existunt à magnæ arteriæ trunco, & sub emulgentibus egrediuntur, atque harum alia in partem sinistram vergit, & cum sua deorsum tendens se iungit, vt & dextra in parte dextra venali illi occurrit: nam tametsi quatuor hæc vasa in par dextrum & sinistrum diuisa (nam vna se habet ad arteriam in vtroque latere vt fœmina ad marem) primo aliquantulum distent vena & arteria ab inuicem, postmodum vero ita implicantur, vt vena arteriam, & arteria venam plexu admirabili ingrediantur, fitque præclara illa ac aspectu delectabilis & iucunda mixtio, quam Græci ἀναστόμωσιν vocauerunt; qui quidem implexus summo naturæ artificio præparatur non solummodo (vt Anatomistæ volunt) quod semen rubeum (vt dicunt) in albicantem colorem conuertant, sed primum vt spermaticam in vasis venalibus, & seminalem in illis arterialibus, substantiam diuideret à massa sanguinis tam naturali ab hepate scaturiente, quam vitali, qua ortum suum à corde habet: ac tum postea vt formam seminalem cum materia spermatica, secundum speciei similitudinem permiscerent, non aliter quam formam rei per vniuersam suam substantiam elementarem mixtione naturali perfusam animaduertimus, estque hic plexus seu Anastomosis fabrica talis, vt impressio alicuius sigilli notabilis, quæ in homine est humana, in leone leonina, in aquila aquilina &c. & secundum impressionem istam vix perceptibilem sperma vt argilla formatur, & suo spiritu seminali tanquam aqua irrigatur, & virtute diuina in spiritu illo delitescente, in animam viuentem reducitur. Atque ita contemperantur ad inuicem, secundum naturæ leges sperma & eius semen, & semen à virtute diuina abscondita in eo exagitatur, more spiraculi à spiratore, ad sperma secundum speciei suæ creatæ imaginem formandum, ac si talpa quædam domum sibi propriam & commodam in terræ gremio condere atque fabricare aggrederetur: Sed huius operis internum agens est Deus seu spiritus diuinus, vnde recte dixit propheta regius, *Verbo domini firmati sunt cœli, & spiritu ab ore eius omnis virtus illorum*: Ita vt spiritus hominis (qui est eius virtus sensifica,) formatus est originaliter à spiritu diuino, atque ab eodem commotus atque gubernatus secundum voluntatem eius, *qui spirat vbi vult*, vt testatur Iohannes. Atque hinc dictum est à sapiente, *quod spiritui suo nullus homo dominetur.* Hinc igitur dixit Iob. *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis intelligere facit eum*, ac si dixisset, in spiritu hominis creato inest & spiritus increatus, qui est eius actus primus. Vnde haud inconsulte concludit Diuus Paulus, *ipsum esse templum Spiritus Sancti.* Dicimus igitur quod mixtio formæ cœlestis (quæ est mentis vehiculum) cum essentia elementari (qua spiritus generatiuus fit vtriusque sexus particeps,) fiat in huiusmodi plexu admirabili, in quo spiritus tam aereus antea minime perceptibilis, aut à sanguine venali distinguendus, quam ille æthereus, à sanguine arteriali extractione seu chimia naturæ non selectus, in formam nebulæ, seu nebeculæ albicantis redigitur, quæ quidem spiritus generatiui à massa sanguinis diuisio, atque spermatis cum sua anima seu spiritu viuificante

Eccles. 8. 7.

permixtio, vt fiat exactior atque exquisitior, ordinauit natura voluntate diuina, vt huiusmodi implicatio deorsum vsque ad testes descendat, perforatoque epididymo ad ipsam testium substantiam penetret, ita vt purificato optime, & per minimum mixto huiusmodi nebula, ventum suum habeat in se, vt illa mundi maioris vi spirata ad motum principii interni, vt angeli mouere dicuntur ad nutum Dei, cuius sunt ministri; atque ita ad testes descendit à quibus serosa & aliena illa substantia, quæ per diapedesim cum spiritu generatiuo à massa sanguinea exudabat à nebula seu massa generationi dicata expurgatur & separatur; ita vt iamiam paratus sit homo potentialis, vt in vas suum naturale seu ouum suum philosophicum, vterum scilicet muliebrem eiaculatione à vasis suis præparantibus emittatur, & in eo vsque ad perfectam maturitatem includatur hoc est quousque in hominis actum deducatur.

Caput V.

Quid de spermatis in vterum immittendi ratione, illiusque sic immissi operatione seu progressu sentiant philosophi: ac tum postea autoris de eo sententia, tam philosophorum atque Theosophorum, quam sacrorum bibliorum testimonijs nixa explicatur.

Quod autem ad sperma suum semen includens, ipsiusque in vuluam immissionem, seu eiaculationem attinet, intelligendum est duas ad hoc opus requiri actiones, videlicet spiritualem, quæ circa intellectum atque eius famulos seu ancillas videlicet memoriam atque phantasiam, siue imaginationem versatur, atque corporalem, quæ per contactum operatur, Actio prior videlicet spiritualis versatur circa spermatis animam seu semen. Vnde vel per sensum visus, vel per imaginationem agit spiritus rationalis, in obiecti desiderati seu amati consideratione, nam impressio rei amatæ seu simulachrum eiusdem in phantasia depingitur, quæ quidem phantastica facultas à rationali dirigitur, tam ante actum generationis quam in ipso, atque in huiusmodi animi operatione præparatur semen æthereum, cuius fons est ipsum cor, quod illud à mari aereo inspiratione prius in læuum suum ventriculum more supradicto introduxit, per fortem igitur imaginationem fit virgæ virilis erectio in hunc modum, vitæ cum spiritibus animales se mediantibus carotidibus se miscent, ignis cælestis amoris excitat flammam in imaginatione prius conceptam, quæ per arteriæ magnæ truncum, deorsum in pudendi membrum seu penem fumum suum magicum impluens capillares eiusdem arterias suo halitu implet, atque ita membrum hoc virtute spirituum animalium in vitalibus vndique per illud diffusorum erigitur strenue, qua erectione mediante sperma à testibus per vasa deferentia, in vasa illa prostates, seu glandulosi præsides dicta, allicitur. Actio secunda corporalis seu elementaris procedit à materiali contactu videlicet ex motu seu fricatione, quæ fit in copulatione mutua, in qua delectatio & iucunditas excitatur in corpore vniuerso, ac interea elementorum medulla purissima à suis fundamentis exilire solet & in vasa spermatica præcipitatur, atque etiam spiritus seminales gradatim à corporis partibus descendentes illi permiscentur. Vnde fit, vt sperma bene præparatum & temperatum iis nouiter succedentibus locum dare vrgeatur, tum etiam vt in matricis profundum, aut in aeris lucem, frictione forti calorem excitante egredi pelliceatur, non aliter quam ignis ex silice ipsius ferri seu calibis cum eo collisione, in qua quidem actione reciproce etiam spiritus cœlestis agit, atque sympathia admirabili delectatur. Vnde liquet quod in huiusmodi actione duplici spiritualis se habet ad materialem, vt anima ad corpus aut cælum ad terram.

Spermate igitur cum sua anima cœlesti in vterum iniecto, necesse (vt nonnulli volunt) vt & sperma muliebre huic iniecto spermati in ipso instante occurrat, quod ni fit, concludunt generationem nullam posse fieri. Vt igitur in spermate masculino semen inuisibile erat quasi anima ad sperma visibile, sic etiam tota massa spermatis viri est quasi forma ad illam fœminæ, atque in hoc generatio hæc humana, cum mundi maioris creatione conuenit; nam anima mundi cœlestis est spiritus lucidus cæli supercælestis, in quo ignis seu lux abundat in spiritu simplicissimo, sic enim semen viri quod est purus ignis in spiritu limpidissimo, cum natura spermatis, seu partis humoris generatiui visibilis in viro comparatur, similiter vt substantia cæli informata; seu spiritus æthereus est mundo elementari anima, ita etiam sperma viri se habet ad illud mulieris, Denique vt Deus in mundi centro adest vnitas, à qua tam materia aquea, quam forma lucida, hoc est dualitas & ternitas procedunt.

Sic etiam in spermate humano se habet res, videlicet actus tam interni sui formalis, quam externi elementaris, in eius centro seu vnitate consistit, quia est spiraculum omnipotentis, vt testantur sacræ literæ: similiter eandem proportionem obseruat sanguis menstrualis ad respectum spermatis viri & mulieris, quam terræ ad elementa liquidiora & spiritum cœlestem. Hinc igitur est, quod philosophi agnouerint sperma muliebre esse crassius & humidius illo viri, vnde se habent in matrice vt mas & fœmina, quum illud viri formam nato imprimat, ac hoc mulieris formam illam suscipiat, non aliter

quam

quam cera seu lutum sigilli impressionem. Massa autem menstrualis terrestrem administrat vtrique soliditatem & vegetationis pabulum diligenter præbet, cuius imperfectione & impuritate, corpus quod ipsa ædificat, tantis mutationibus obnoxium, tot morbis subiectum, & ad mortem immaturam tam pronum efficitur.

Quod autem ad apparationes spermatis in vtero condensatione & maturatione factas attinet, Galenus vult, *quod in principio post spermatum in vase seu ouo suo philosophico mixtionem completam, spuma quædam oriatur.* Vnde arguere videtur, *quod spiritus secretus in spermate conclusus, sit ventus quidam lente operans ad perfectionem.* Deinde narrat, *virtute istiusmodi venti triplicis naturæ inclusi, tres vesiculas eminentes ex dicta spuma conflari, in quarum qualibet spiritus diuersus est inclusus, quo moles seu materia quolibet motus genere moueatur:* aitque, *quod horum spirituum quilibet ad propriæ causæ materialis generationem intendat, videlicet medius, qui est vitalis, ad cordis generationem, infimus, qui est naturalis, ad hepatis complementum, atque summus qui est animalis, ad cerebri procreationem:* Concludit ergo, *quod subintrante in profundum spermatis ventositate, actione trium spirituum in medio nascatur vesica quædam, superius propealia vesicula latere iuxta inferiorem alia: ex prima vesicula formatur cor, ex secunda superius posita cerebrum ex tertia hepar.* Hæc ille. Ex quibus euidens est, quod internus spiritus sit nihil aliud, quam ventus triformis, qui impellitur à triplici interno agente, qui omnes relationem habent ad vnitatem vitæ, cui omnes tres venti cum suis agentibus obedire videntur. At iste Galenus noster alibi describit tempus apparationis tam spumæ quam ambullarum in huiusmodi verbis. *Per sex primos dies in illa materia apparet spuma in fine, quorum tres ampullæ membris principalibus prælatæ. postea per tres dies sequentes inchoantur interius delineationes & punctationes aliorum membrorum. Per primos sex dies nihil attrahitur à matrice, quia parum aut nihil deperditur de illa materia, per sex autem dies sequentes penetrante ventositate, & spiritibus ad exteriora tendentibus, perficiuntur venarum & arteriarum ramificationes. Per duodecim sequentes subintrat sanguis per vniuersa membra carnea, vnde in abortu tunc temporis apparent frusta carnea: & in hoc etiam spatio diuiditur spinalis medulla in cerebro per spinam dorsi. Item per nouem dies sequentes distinguuntur membra à se inuicem, videlicet latera à collo, collum a cerebro & capite, coxæ à natibus & ita in singulis alijs, atq; ita vniuersim erunt 35. dies, vt plurimum, tametsi quandoque tardius videlicet 40. diebus, quandoque celerius nempe 30. diebus, ita vt quinque dies semper intercedant. At vero tarditatis ratio est caloris remissio, festinationis vero ipsius intentio.* Huc vsque ille. Alii vero volunt, quod semine in matricem recepto, matrix protinus occludatur, & abhinc in spatio 7. dierum aiunt tres ampullas satis manifestas eleuari atque formari ex quibus tria corporis membra principalia oriuntur, Cor scilicet, cerebrum, & Hepar, postea agnoscunt dicta membra adhuc in potentia, quindecim dierum spatio in actum visibilem, & figuras suas naturales satis euidenter reduci, ita vt venæ ab Hepate, & arteriæ à Corde, neruique à cerebro scaturientes quodammodo animaduertantur, & tum postea calore interno operante, pulmo, ventriculus, intestina, vesica, ac denique omnia alia corporis membra per diem trigesimum in homine, & trigesimum septimum in muliere in lucem proferuntur, atque ita fœtus retinens omnia sua organa ad maturationis complementum, nouem menses in vtero manere solet, recipiens nutrimentum suum per venam vmbilicalem à matris suæ hepate descendentem: At vero quoniam fœtus peracto illo temporis nouimestris spatio, latiorem aeris distantiam atque cibum copiosiorem appetere solet, à tenebris vterinis in lucem mundanam egredi naturali quodam instinctu gestit, atque ad libertatem suam comparandam summo conatu tendit, quod quidem Astrologi ob Lunæ in illo partus mense prædominationem prouenire autumant. Concludentes ipsum mense octauo non posse viuere ob Saturni gubernationem, nec mense sexto vtpote in quo Mars suum habet dominium. At vero septimus mensis, quippe cui Iupiter præsidet, vitam ei concedit. Ex his igitur secundum omnium fere philosophorum, & anatomistarum sententias patet, quod spiritus triplex vnius essentiæ sed proprietate diuersus, ad modum trinitatis diuinæ sit operator & fabricator in machina mundi microcosmica. At vero de spermatis in vtero actione & incremento, atque etiam de ordine, & partium producendarum apparatione, verba iam pauca secundum sententiam nostram faciemus. Inprimis ergo dicimus sperma hoc spiritu triplici vestiri, ad mundi maioris repræsentationem, in quo tres reperiuntur spiritus, situ, natura, & dignitate discrepantes, videlicet intellectualis seu supercælestis, qui naturam habet angelicam & discursiuam, æthereus siue cœlestis in quo eius anima vitalis residet in sole videlicet, & aereus seu elementaris, vbi alterabilium vegetandi & nutriendi facultas prædominatur, his igitur in homine referuntur ventus seu spiritus ille rationalis seu animalis cerebri regionem sufflando eleuans, vitalis cuius spiritu cor impletur & fabricatur, & naturalis, cuius spiratione hepar conditur: Dicimus etiam, quod cuilibet horum spirituum angelus seu dæmon præsit, quorum quilibet cuilibet dignitate & officio præcellit, non aliter quam angeli spiritus in mundo dignioris, in illos dæmones spirituum inferiorum habere dominium obseruantur. Videlicet Michael Archangelus Cœli Empirei ætherei in dæmones solares, vt & hi iterum in dæmones elementares, qui à plaga orientali in mundo elementari flare solent, nam *angeli sunt ministri DEI, qui perficiunt illud omne quod à DEO ordinatum est.* At inquit DEVS, *Ecce ego intromittam in vos spiritum & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes &c. Et inquit dominus, A quatuor ventis veni spiritus & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant, & regressus est in eos spiritus, & reuixerunt.* Vnde patet, quod spiritus hic naturam multorum spirituum habuerit. Et tamen dixit Iob. *Spiritus DEI fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificat me,* hoc est mediantibus angelis suis, qui sunt ventosi

Gal. in libel. de Sper.

Gal de Anato. uiua.

Ex Iosepho Rosaccio Italo.

Ezech. 37. 5

Iob 33. 4.

*Pſ.*103.4. eius miniſtri iuxta illud Pſalmiſtæ regii, *Qui facis angelos tuos ventos & miniſtros tuos ignem vrentem.* Et alibi:
*Pſ.*103.20. *Angeli DEI validiſſimi robore, efficientes verbum eius, auſcultantes voci eius, miniſtri eius, facientes placitum eius.* Vnde liquet, quod vt Deus agit ordinatione, ita etiam angeli qui ſunt ſpiritus ſeu venti perficiunt & exequuntur ordinata eius, vnde licet dictum ſit, Deum hoc vel illud feciſſe, tamen intelligendum eſt illum hoc feciſſe mediantibus ſuis miniſtris, quorum varii ſunt ordines dignitate ab inuicem differentes; Atque hinc ait Iſidorus, *quod archangeli digniores ſint angelis inferioribus, vtpote quorum diligentia angeli inferiores informantur de voluntate Dei.* Et iterum dicitur; *quod Archangeli capiant ſuas illuminationes à ſuperioribus angelis, atque iterum illuminationes has infundunt angelis inferioribus.*

Barthol. de variet. rerum. Doctores Hebræi nouem angelorum ordines ponentes, eorum primum Haioth Kadosch, id eſt, animalia ſanctitatis ſeu vitas vocauerunt, per quos angelos Elieh eſſendi munus largitur, Tertium Arælim dixerunt, hoc eſt angelos magnos, fortes & robuſtos, per quos Tetragrammaton Elohim ſeu יהוה pronuntiatus cum hac coniunctione אדר formam fluxæ materiæ miniſtrat. Per quartum ordinem Chaschmalim dictum Eloe Deus corporum finxit effigies. Vnde videmus quod ab vnico prioris ordinis ſecundum Hebræos deiforme ſpiraculum præbeatur, ab vno ordinis tertii ſperma ſeu materia fluxilis cum ſemine ſeu forma permiſceatur ad vitæ perfectionem, & ab vno vltimi ordinis corporis effigies in vtero delineatur.

Archang. in dogm. Caball. Hi ergo angeli ad mentem, ſpiritum vitalem ex materia ſubtili, formaque viuifica conſiſtentem & ſpiritum naturalem, qui agit ad corporis nutritionem & complementum effigiei ipſius præbent, Chaldæi & Ægyptii videntur diſtinguere dæmones in ſacros, & dæmones ſtellarum, ſeu genituræ, ſeu natiuitatis, qui ſunt ex ſtella in natiuitate prædominante, & elementares, qui omnium peſſimi exiſtimantur: Sacros volunt eſſe illos, qui ab ipſo dæmonum Deo deſcendentes animabus rationalibus aſſignantur, atque horum officium eſſe dicunt, vitam animæ dirigere, cogitationes bonas ſemper menti adhibere, aſſidua illuminatione in nobis agere, quantumuis illam actionem in anima non ſemper animaduertamus, niſi quando purgati ſumus, & tranquille viuimus, tunc à nobis percipitur iſte dæmon, & quaſi nobiſcum loqui videtur, & vocem ſuam manifeſte nobiſcum communicat, qui antea ſilentio nobis aderat: ſtudetque
Iamblicus. hic aſſidue nos ad ſacram ducere perfectionem: talem ferunt dæmonis Socratici fuiſſe perfectionem, virtute cuius illum fati malignitatem euitaſſe legimus. Et de huiuſmodi dæmone loquitur Iamblicus in hæc verba: *Hic animam conciliat corpori, communicatam curat, vitam animæ propriam dirigit, cogitationi aſſidue principia exhibet, noſque agimus talia qualia hic adducit in mentem.* De hoc etiam angelo ſenſit Iacob loquens ad filios
*Gen.*48.15. ſuos in teſtamento ſuo, *Angelus ille qui me vendicat ab omni malo benedicat pueris iſtis.* Atque Chriſtus ipſe agnouit huiuſmodi angelum cuilibet homini eſſe deſtinatum vti ex ſermone ſuo luculenter percipitur,
Matth. 18. quando inquit, *Videte ne contemnatis vnum ex his puſillis, Dico enim vobis, quia angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei qui eſt in cœlis*, ac ſi dixiſſet, quemlibet hominem habere pro ſuo duce ſpirituali vnum ex ſeptem illis angelis, qui aſtant coram facie Dei, de quibus ſic dicitur in Apocalypſi, *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* Et apud
Tob. 12,15. Tobiam. *Ego ſum Raphael angelus vnus ex ſeptem qui aſtamus Iehoua*, Et apud Lucam, *Ego ſum Gabriel qui aſto ante*
*Luc.*1.9. *Deum*, Effectus etiam iſtiuſmodi angeli apparebat prophetæ Zachariæ, vtpote quem familiariter alloque-
*Zach.*2.3. batur, videlicet quia erat homo purgatus, De quo dictum eſt, *Angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum, Curre, Curre, loquere ad puerum iſtum dicens* &c. Vnde manifeſtum eſt, primum, quod angelus vnus imperet alteri etiam in corpore humano; Secundo euidens etiam eſt, quod duo angeli ſe manifeſtent in homine vno, quorum vnus alteri præeſt dominio & dignitate, ſic enim hic imperat dicendo, *Curre, Curre, loquere* &c.

Hinc igitur habemus primum in vento ſeu ſpiritu illo motorem ſeu internum agentem, qui tabernaculum in microcoſmo cerebrum inquam cum ſuis organis ſpiritu ſuo occulto immediate à Deo accepto inſpirat, ſpirituque ſuo non aliter implet, quam ventus veſicam, atque hic tandem ventus aſtilatu boreali induratur, & in ſubſtantiam cerebri ſolidam congelatur, & mediate alimenti ſucceſſione creſcit, ad perfectam fœtus magnitudinem: Non aliter etiam videmus ſpiritum diuini artificii in aranea telam eius Labyrintheam ex materia inuiſibili paulatim atque gradatim in figuram exactiſſimam pertexere.

Iam vero ad ſpiritum medii cæli ſeu dęmonis Olympici, ſeu fatalitii Ægyptio ſummo illi angelo ſubiectũ deſcendamus, qui immediatam habet vitæ gubernationẽ, qui, quatenus in medio dominiũ habet, eatenus participat tam de bono q̃ de malo, nam fatum Olympicum impluit in inferiora influentias tam propitias quam aduerſas, propitias inquam operante ſummo angelo, at vero aduerſas ceſſante ipſo ab opere ſuo. Atque hic angelus ſeu ventus æthereus, eſt quaſi vehiculũ illius ſupremi cui inſeruit, vnde dixit Merc. Triſm. *Aſſumpſit mens in ſuo deſcenſu animam velut amictum, quia etiam anima exiſtens diuina vehiculo ſpiritus vtitur, ſpiritus autem animal totum percurrit.* Cabaliſtæ autem mundi animam angelum Metattron fecerunt, inde arguentes formam mundi lucidam à tali Archangelo gubernari. Vt peculiares animæ ab angelis inferioribus

influitis

infinitis ei subiectis. Atque huiusmodi sunt dæmones illi, quos Ægyptij *stellares* dixerunt, & etiam genius nuncupatur quisque horum dæmonum, quia est genituræ dæmon, qui testibus multo præstantioribus à mundi dispositione, syderumque circuitibus, qui in generatione versantur, descendit, vitæque functiones præcipue curat, atque hic ventus cœlestis cordis tabernaculum præparat, eiusque massam suo afflatu elevat, & spiritui boreali condensat, & nutrimentum vitæ proprium per inspirationem à cœlo continue allicit.

Denique tertium nati dæmonem esse elementarem volunt, qui supremi angeli permissione curam habet in membra elementaria, & ad vegetationem & nutritionem illorum tendit, atque etiam nisi operetur mens, & eiusdem angelus, animam allicit à cœlestium contemplatione, ad elementares delitias, & terrestria blandimenta. Ab huiusmodi igitur spiritu inflatur vesicula spermatis infima, seu naturalis, quæ afflatu venti congelantis in hepar condensatur. Proclus etiam est in huiusmodi sententia, putans, *alium dæmonem corpus, alium animam, alium mentem regere*; Et Platonici omnes similiter tria posuerunt in homine, quæ vocant, *supremum, medium, & infimum.* Per supremum intelligunt mentem seu intellectum illustratum, quem Moyses vitæ spiraculum dictitauit, à Deo, vel à Spiritu ipsius in hominem spiratum, per infimam animam, seu spiritum infimum, seu elementarem intellexerunt, qui carnes circa, & mundana versatur: atque hunc Paulus *hominem animalem* nuncupat: spiritus autem medius est ille æthereus & vitalis de vtroque extremo participans, & vtraque illa simul connectens, videlicet mentem cum spiritu corporali. Vnde fit, vt naturam vtriusque extremorum sapiat; concludunt igitur, quod sicut portio illa extrema nunquam peccat, nunquam malo consentit, semperque errori resistit, & ad optima hortatur, sic inferior illa portio, & anima animalis seu carnalis in malo & peccato & concupiscentia semper demergitur, & trahit ad pessima, de qua sic loquitur Paulus: *Video aliam legem in membris meis, & captiuantem me in lege peccati.* At spiritus medius, cum natura sit liber, vtrique ad libitum adhærere potest, si igitur superiori portioni constanter adhæreat, illi tandem vnitur, & beatificatur, donec assumatur ad Deum: at si spiritui carnali adhæreat, deprauatur, donec efficiatur malus dæmon. Quo quidem opiniones antecedentes confirmare videntur Platonici: sed quoniam de angelis in superioribus mentionem fecimus, quid Rabi Moyses & Rabi Breseth de ipsis cogitet, paucis ostendam: Rabi Moyses vocat intellectum agentem, angelum, à quo formæ influunt, quem etiam Metattron vocat, qui est præfectus vniuersalitati, à quo quidem omnes virtutes singulares humanæ gubernantur, tam scilicet animales & vitales, quam naturales, quæ patiter & angeli vocantur, quorum multitudo est infinita: Nam (inquit Rabi Breseth) creator quotidie creat cœtum angelorum, quas alij vocant formas, vtpote qui sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero plena est. Quod quidem & Hesiodus Poëta ille diuinus agnoscere videtur, qui in huiusmodi sensu loquitur: *Ter decem mille sunt supra terram multos pascentes immortales Iouis custodes hominum mortalium, qui vtique obseruant & iustitias & miseranda facta, aere induti, vbique euntes super terram.* Porro etiam duæ voluntatis potentiæ in homine à sapientibus angeli dicuntur, hoc est, autor boni, & autor mali, quemadmodum testatur Rabi Asse. *in sua collectura.* Suntque hi Hesiodi custodes ante dicti, qui Latine spiritus dicuntur, quorum quiuis solicitudini negotiorum inferiorum destinatus est. Porro, *iuxta Reuchlinum*, Angeli seu dæmones spiritus dicuntur, vtpote qui quasi venti sunt: vnde Rabi Tedacus Leui *lib de 10. numerationibus*, post explanatos quatuor ventos, Aquilonarem, Meridionalem, Orientalem, & Occidentalem, tandem sic scribit: *Et illis quatuor ventis creauit quatuor angelos, qui præfecti sunt super iis in die & in nocte*, concluditque, quod ipsis plurimæ subiiciantur species. Imo vero *in Portalucis* legitur, quod à terra vsque ad firmamentum non sit locus vacuus, sed omne plenum formis, quarum aliæ sunt puræ, & capaces gratiæ, & aliæ fœdæ, noxiæ, atque tentatrices. Atque hoc etiam testatur *Iosephus Castalienſis.* Vnde ex his colligere possumus, rationem varietatis actionis cuiuslibet ampullarum in sperimate à spirituum seu ventorum formalium naturis variis profluere, qui nihilominus sibi inuicem correspondent, & inferiores superioribus quo ad vitæ actionem obediunt, non aliter, quam dæmones elementares cœlestibus, atque itidem cœlestes supercœlestibus, qui omnes sunt eiusdem regni & dominij. Verbi gratia, septem spiritus, qui astant coram throno Dei, principes illi sunt, qui dominium habent in spiritus septem Planetarum, quibus effundunt illas illuminationes, quas à Deo immediate acceperunt, qui iterum illas in dæmonum elementarium turbas eidem Planetæ subiectas impluunt, qui denique eas virtute ventorum, imo vero in forma ventorum in executionem ponunt; Verbi gratia, Saturni præses seu Archangelus dominans est Sabathiel, Iouis Zedekiel, Martis Samael, Solis Michael, Veneris Anael, Mercurij Raphael, & Lunæ Gabriel: Si Michael sit temporis dominus, voluntatem DEI in hora natiuitatis in spiritus Solares impluit, & iterum spiritus Solares ad ventos seu spiritus Orientales influentias suas emittunt, à quibus denique spermatis exteriotis cura habetur, vti spiritus Solaris curam habebit vitæ & spiritus ætherei, atque ipse Michael erit custos animæ, & dominium habebit in spiritus tam vitales, vtpote à Sole descendentes, & naturales seu elementares, quippe ab Oriente spirantes, cui mundi plagæ & ventis eiusdem præsidet Michael. atque ita in cæteris. Vnde liquet, quod, tametsi vita humana esse Deiforme spiraculum dicatur, & homo à Deo in matrice formatus dicatur, nihilominus Deus in hæc inferiora neque naturaliter neque miraculose quicquam agat, ni-

si mediantibus angelis seu ventis suis formalibus, quod etiam ex eo apparet, quod tametsi ita, & misericordia & tutela Israelitarum in deserto Iehouæ attributæ sunt, tamen fuerit angelus eius qui omnia vel ad punitionem, vel ad misericordiam & benedictionem operatus est in castris Israelitarum. na m dixit Iehoua, *Ecce ego mitto angelum ante te, ad seruandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparaui, Caue tibi à facie eius & ausculta voci eius, ne acerbes eum, quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo.* Ex.23.20. Patet igitur, quod vbi angelus princeps agit, ibi etiam diuina essentia adsit, & per consequens sic dicitur DEVS hoc vel illud perfecisse, cum DEVS sit nomine suo præsens tam in executione, qua funguntur angeli, quam in eiusdem ordinatione, in consilio suo Archetypico decreta; nam angelus est tanquam virtus inter Deum & naturam media, à qua fiunt operationes in rebus quas natura earum sine ea facere non potuisset, atque huius actus est splendor voluntatis diuinæ qui ipsum angelum seu ventum non aliter pellit & agitat ad metam à Deo propositam, quam ventus nubem à mundi plaga in partem oppositam ciere obseruatur. Quod autem ad ordinem partium seu membrorum in vtero diuino huiusmodi instinctu ordinatum & productum attinet, atque de ratione inflationis cuiuslibet eorum in speciem humanam, non opus est autores Ethnicos pro eo inspicere, cum in sacris literis ipsis hoc sit exactissime declaratum: *Iob.10.9. qui formauit hominis membra cum nullum ex ijs extaret adhuc, Nonne sicut lac fudisti me, & tanquam caseum coagulasti me: cute & carne induisti me, ossibusque & neruis compegisti me, cum vita benignitatem exercuisti erga me, & visitatio tua præseruat spiritum meum. At ista recondisti in animo tuo, non hæc apud te esse:* Porro etiam alibi dicitur: *Intromittam in vos spiritum & viuetis, & dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vos cutem, & dabo vobis spiritum vt viuatis.* Ezec.37.5. Quibus bibliorum sacrorum locis, docemur primum structuræ humanæ authorem esse Deum, eius instrumenta agentia, sunt duplex ventus seu spiritus, quorum prior agit ad corporis & organorum eiusdem complementum, estque creatus de natura angelica trium mundi regionum, vltimus vero est Deiforme vitæ spiraculum, vnde dixit Iob loco supra allegato, *corporis sui membris iam peractis & formatis, cum vita exercuisti benignitatem erga me.* Et Ezechiel, *post corporis complementum, Dabo vobis spiritum vt viuatis.* Ezec.37.5. Sed & in Ezech sequela hæc luculentius declaratur, nam postquam huiusmodi verba concluisset: *Factus est autem sonitus prophetizante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iunctu ram suam, & ecce super ea nerui & carnes ascenderunt, & extensa est in ijs cutis desuper, & spiritum non habebant, & inquit dominus, dices ad spiritum, A quatuor ventis, veni spiritus, & insla super interfectos istos, vt reuiuiscant, & ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, & steterunt super pedes suos.* Vnde liquet, quod vitæ spiritus a quatuor ventis seu virtute Dei vniuersum mundum implente, in hominem ex spermate lutoso sic factum, & organis omnibus ornatum ingressus, videlicet post eius fabricam, sic etiam in Adami perfectione dictum est *eius externum prius ex terra luto efformatū fuisse à Deo.* Genes.2.7. Et Iob dixit: *Memento quæso, quod sicut argillam fecisti me.* At vero tum postea dictum est, *quod Deus inspirauerit in faciem hominis, & factus est homo in animam viuentem* Vnde patet, ventum diuina agitatione fuisse informatione spermatis in fabricam & effigiem humanam, sed in viuificatione eiusdem aderat Deiforme spiraculum, sed & hoc luculenter declaratur huiusmodi viri patientis sermone, *In homine est spiritus, sed inspiratio omnipotentis intelligere facit eum.* Iob. Et alibi adhuc melius, *Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.* Iob.33.4. Spiritus igitur prioris officio, corpus seu homo externus cum suis organis fabricatus est, ratione cuius *dicitur homo caro spiritus seu ventus, vadens & non rediens.* Psal.77 39 Et alibi; *homo quid est vt eum agnoscas, filius mortalis, vt rationem habeas eius, Homo vanitati similis est,* &c. Ps. 144. 3. Et alibi; *Homo nudus exiuit ex vtero matris suæ & nudus redibit illuc.* Iob.7.17. Et alibi. *Homo miserabilis est & abiectissimus;* Iob.14.1. Et alibi, *homo velut putredo veterascit, vt vestis quam edit tinea* Et: *Homo natus muliere, breuis ætatis, & satur commotione,* Gen.1.27. Similiter *homo* alibi *dicitur infirmus, & vitæ brevis.* Spiritus autem posterioris respectu *dicitur homo ad imaginem Dei creari,* Et alibi asseritur *ille ipsis angelis paulo esse minor, & quod eum gloria ac decore decorauerit Deus, & quod do minum ipsum fecerit in opera manuum suarum, & quod omnia posuerit sub pedes ipsius.* Psal.8.5. Virtute ergo prioris, corporis membra virtute occulta seu spiratione occulta, in huiusmodi methodo ex spermate virili conflauit.

Primum ergo occultam & latentem hominis externi speciem sicut lac fudit, hoc est in naturam spermaticam lacti similem redegit. Deinde illam substantiam tanquam caseum in spumosam substantiam coagulauit, quem, neruis & venis & arteriis prius succrescentibus, tum demum in carnes condensauit, eumque cute cooperuit. Deinde partes & membra carnosa ossibus & ligamentis distinxit, atque stabiliuit. Denique membris hominis externi sic productis, inspirauit dominus in huiusmodi massam vitæ spiritum, quo non modo in animam viuentem reductus est homo, verum etiam ratione inspirationis omnipotentis intellectu & ratione est præditus, quemadmodum ex locis antea à sacro scripto prolatis confirmatum est.

Rationem instigationis hominis ad talem actum, atq; ēt tempus maturationis spermatis in vtero materno sic nobis descripsit sapiens. *Homo ex vtero matris figuratus est caro tēpore decē mensium coagulatus cū sanguine, ex semine viri idq; per voluptatem coniuncto somno, & hic factus traxit aerem communē* &c. Sap.7.2. quo quidē sermone agnoscit causam coitus esse voluptatem coniuncto somno, effectum esse semen in vterū iniectum, qđ in carnem perfectam spatio decem mensium redigitur. Deniq; (qđquidem & notatu dignum est) spiritus vitæ conseruandæ cibum denotat, quem ipse sibi incessanter attrahit, videlicet aerem communem, in quem vitæ dores à

Deo

Deo assidue impluuntur, eorum præsidio creaturæ in suo esse & vita continentur. Vnde dixit & Iob. *Tanquam caseum coagulasti me, cute & carne induisti me, &c. cum vita benignitatem exercuisti erga me; & visitatio tua præseruauit spiritum meum.* Hoc est, pane tuo quotidiano seu manna in aere abdito, mediante inspiratione, reficis spiritum meum esurientem, & sine huiusmodi tua benignitate languescentem: Atque hoc modo videmus, quomodo Deus mediantibus ventis seu ministris suis, agat tam ad procreationem hominis, quam ad ipsius procreati conseruationem.

CAPVT VI.

In quo declaratur, quod sperma sit aer in meteoro, seu nubecula, aut nebula densa à ventis duobus salutiferis oppositis inspissata, & quod (contra nonnullorum opiniones) à sanguine menstruo non nutriatur in vtero materno.

VENTI Occidentalis temperies à philosophis tempori vernali assimilatur, est enim temperatus, & in sua natura fertilis, quare & herbas facillime suo flatu producit, & flores, ideoque *Fauonius* appellatur, vtpote qui naturis rerum naturalium viuificis fauet, atque ob hanc causam eiusdem flatu constanti, omnes animalium species se applicant atque addictant ad generationem & procreationem suorum similium. Vnde & hic ventus ab æquinoctio occidentali flans vocatur *Zephyrus*, ac si quis diceret, vitam & vigorem secum ferens. Atque hinc ventus hic attribuitur domino ex spiritibus Raphaeli, qui interpretatur medicina Dei, & ex planetis Veneri qui fertilis & naturæ vitali gratiosus est. Porro etiam ventus Orientalis subsolanus, dictus est ventus ille, cui res omnes temperatæ attribuuntur; nam eius spiritus seu afflatus est suauis, purus, subtilis & sanus, hocque præcipue matutino tempore, vtpote quod venenosos spiritus non suffert, vnde fit, quod hic flat proprie tam corporibus quam spiritibus vti in tractatu nostro de sanitatis causis latius discurremus. Nam vt dicit Tedacus Leui, *Michael qui est spiritus Orientales ventos gubernans, est ex parte clementiæ, & Sol qui est eius planeta est ex parte vitæ:* Hos ergo duos ventos oppositos clementes & vitæ atque generationi propitios faciunt Doctores non modo Hebræorum sed etiam Philosophorum præstantiores: Hi ergo venti simul spirantes agunt in aerem intermedium, vt spiritus masculus cum illo fœminæ in matrice, ad meteori generationi dicati, videlicet humoris spermatici productionem, atque ita producuntur nubeculæ illæ subflauæ aeris sereni argumenta, quæ sæpicule ab occasu ortum versus, & viceuersa, hocque vi spiritus in aere prædominantis pelluntur, nam venti contrarii vigore in æquali simul flantes, aerem intermedium partium scilicet appositione continua condensant in dispositionem talem qualem venti flantes habent, at venti prædominantis natura magis præualebit in illo meteoro aereo, quam illa ei oppositi, verbi gratia: si Occidens validius spiret, nubeculæ natura erit mediocriter frigida & humida more spermatis muliebris, cuiusmodi est Veneris temperies, & tunc Orientem versus migrabit meteoron, at vero si ventus Orientalis validius spirer, nubeculæ natura de venti illius dispositione magis participabit, atque sic consequenter aer illo modo condensatus erit calidus & siccus magis hoc est de viuifica solis dispositione participans, eritque spermatis masculini instar, sed tamen & oppositi venti natura in illo habebit forte dominium etiam. Meteoron ergo ex huiusmodi ventorum salubrium flatibus procreatum ad generationem tam in macro quam microcosmo conducit, in quo spiritus orientalis se habet vt occultum in semine agens, & spiritus occidentalis vt occultum eiusdem patiens, quorum matrix communis est aer lacteus seu nebulosus, in qua ventorum horum mysteria includuntur. Hinc igitur in macrocosmo nubeculæ seu nebulæ tales in terram incidentes sperma administrant plantis, & vegetabilibus eiusdem mediantibus quibus crescunt, & sibi similia producunt, & semina eorum ad nouam generationem imprægnantur.

Lib. de Nutrim.

In microcosmo vero atque etiam cæteris animalibus, huiusmodi meteora prolifica in spiritu sanguineo seu aereo proferuntur occultissimo horum spirituum afflatu, quæ in terram microcosmicam, hoc est in vasa seminaria, & viscera bus abscondita, cadentia, & deinde ab iis in vteros fæmineos exilientia, in suis speciebus similia procreare gestiunt. Sunt enim duo venti directi in cælo qui ad generationem flant, videlicet hi duo, quatenus ex parte vitæ & clementiæ sunt: At venti alii duo directi videlicet borealis & australis, vtpote ex parte seueritatis & morborum, ad corruptionem tendunt vtplurimum, nisi ab aliis ventis temperentur, vnde *iuxta Rabi Tedacum loco supra citato*, Gabriel in virtute iudicii & seueritatis præsidet septentrioni, vti Noriel seu Vriel Meridiei, in qua plaga etiam dæmonum magnum Meririm furere & æstuare dicitur, infirmitates fere omnes corruptas & putridas producens. A corde igitur in homine tanquam à Solis ortu spiratur halitus generatiuus & salutaris occidentem versus, hoc est, in vasa seminaria, qui etiam suo afflatu aerem ceu elementorum subtile, ab vniuerso corpore in vasa spermatica venalia attractum condensat, postquam à vento subsolano seu à Corde spirante est inspiratus, atque ita productum est generationis meteoron, ad cuius coagulationem in ossa & carnes requiritur spiritus borealis, cuius flatu

sperma

ſperma ſicut caſeus coagulatur, nam Saturnus qui ibi dominatur, eſt frigidus & ſiccus, vt & ad ipſius irrigationem & vegetationem pluuia ſanguinea ab hepate deſcendit, atque ita ſpiritus omnium ventorum concurrunt ad fœtus compoſitionem, atque hoc modo fit, quod ex quatuor complexionibus ſeu elementis componi dicatur. Duo igitur ventus ſani ad fœtus generationem & ſalutem concurrunt, & in ſuo eſſe illum conſeruant, & duo cæteri morbis & corruptione eum affligunt.

Incluſo igitur ſpermate in vtero, neceſſe eſt intelligere, quo nutrimento illud nutriatur, vt ad fœtus complementum perueniat. At vero in huius dubii reſolutione diſcrepare videntur philoſophi, & medici nonnulli, quod ſubſtantia menſtruorum retentorum concurrat ad prolis externum ſeu corporeum componendum, quod quidem eo magis credunt, quod menſtrua deficere ſolent in grauidis, at vero alii ratione iſtam reſpuunt duplici reſpectu, primo videlicet, quoniam non veriſimile eſt, rem tam venenoſam, qualis eſt menſtruum muliebre, poſſe carnes tam teneras atque recentes conſtruere, & non ipſas potius deſtruere atque corrumpere, *cum* (ita teſtatur Plinius) *tanta malignitate ſint menſtrua prædita, vt eorum contactu ſolo vrticæ ſiccentur, ſemina fiant ſterilia, ſpeculum ſplendorem ſuum amittat, cultelli acies obtundatur, & canes de illis guſtantes rabidi deueniant*: quare non fas eſt credere, quod fœtus ſtructura ſana, atque eius incrementum à re tam impura oriatur. Secundo quia (inquiunt) in prægnantibus calor, reſpectu creaturæ animantis in generatione exiſtentis augetur, & conſequenter menſtrua ab eo deſtruuntur, & conſumuntur. At vero ego exiſtimo menſtrua eo tempore minime apparere, quia ipſorum ſubtile ad ſanguinis incrementum trāſit, quod ille ſanguis bonus qui ad fœtus nutritionem concurrit continuo ſuppleri queat, porro etiam portio illius multis cribrationibus à venenoſa & terreſtri ſua fœce diuiſa aliquid ad lactis generationem conferre poteſt, nam in ſanguine menſtruali eſt portio ſanguinis boni cum malo & venenoſo ſanguine miſta. Partes vero fœminalis poſt in partium expurgatione, fæcales, eiiciuntur è corpore ac emanant; Quod tamen principale fœtus nutrimentum ab hepate mediante vena vmbilicali deducatur, fatentur medici: Sed & hoc luculenter nos docent ſcripturæ ſacræ, in quibus hoc legimus: *Homo ex vtero matris figuratus eſt caro tempore decem menſium coagulata cum ſanguine ex ſemine viri*, vbi non dicitur, Sperma coagulatum eſſe in carnes, ſed ſperma cum ſanguine, & non ſanguine menſtruali, quippe reſpectu cuius ſcribitur, *Mulier, cum edito ſemine peperit maſculum immunda eſſe ſolet per ſeptem dies.* Et alibi; *triginta dies manere ſolet in ſanguinis purgatione poſt partum: quo tempore non debet tangere rem ſacram, nec ad ſanctuarium venire. Etiam in tempore profluuij immundi ſeu menſtruorum. Videlicet cum profluuium eſſet in carne eius ſeptem dies, eſto in ſeparatione ſua, & quisquis tetigerit eam immundus eſto vſq; ad veſperam.* De bono vero ſanguine (cuius hic meminit ſapiens) intelligitur, vbi dicitur *quod ſanguis ſit animarum ſedes*, Ex huiuſmodi ergo ſanguine cum ſpermate miſto fabricatur infantis ſubſtantia, ſecundum Salomonis ſententiam ſupra allegatam.

Sap.7.2.

Leuit.12.2

Leu.15.20.

Geneſ.9.4.

Caput VII.

De ſpermatis inficiendi & corrumpendi ratione, qua Gonorrhea purulenta procreatur, ſimiliter, quod ſperma in vaſis ſuis nimis diu retentum diſpoſitionem dæmoniacam quandoque contrahat.

VT ſperma igitur hoc eſt res pretioſiſſima in ſua natura pura & impollura, quatenus ad creaturæ rationalis perfectionem ſe porrigit, & via generationis naturali pergit, ſic etiam via contraria ſi ratione præternaturali polluatur, & à forma aliena & ſuæ naturæ contraria pollutione inficiatur, non ad generationem, ſed viceuerſa ad corruptionem tendit, hoc eſt à medio meteorologico non ad terminum ad quem, hoc eſt generationem, ſed ad terminum à quo, videlicet in illud quod fuit antea à natura deſtructiua, redigitur: Nōne pari etiam ratione obſeruamus, nubes à vento meridionali cōgregatas, aut aerē eiuſdem ſpiratione condenſatum, à flatu ei oppoſiti dæmonibus ſeu formis diſſipari & in nihilum quaſi, nempe in aerem tenuem, quales in primordio ſui motus fuerunt, reduci, ita vt ſpiritus meridionales ad nubium & pluuiarum generationem parati, ab eorum progreſſu, ſpiritibus ſeptentrionalibus fortiter reſiſtentibus impediantur, & ad antra ſua ventoſa, videlicet plagam meridionalem propulſentur. Atque eadem etiam eſt ratio contrariorum, nam ſi ſpiritus boreales antea prædominantes, & niues atque grandines producentes à vento ei oppoſito iam prædominante ſuperentur, meteora illa, quæ erant in via ad generationem, videlicet in progreſſione à termino à quo ſeu aere ſimplici ad medium, & tum poſtea à medio meteorologico, ad perfecte miſtum, ſubito afflatu meridionali diſſoluuntur à duritie terreſtri grandinis aut ſiccitate niuis primum in ſpiſſum aerem, & tum poſtea à vento Orientali in illam rem conuertuntur, quæ fuerunt antea, hoc eſt retrorſum reducuntur à generationis motu ad illum corruptionis. Dicimus igitur, ſi dæmonium deprauans dominium habuerit in maſſam ſpermaticam, pellit ab eo genitales ſuos dæmones, à vitæ fonte ei immiſſos, & deſtruit etiam opera illius corrumpendo. Nam vt videmus aerem mundum & ſalubrem, pernitioſorum dæmonum ſeu ſpirituum frequentia à ſalubri ſua diſpoſitione ad venenoſam ſeu contagioſam naturam inclinare, atque non ad vitam ſed ad mortem tendere, ita etiam ſperma ab halitu inquinato ſeu peſtifero læditur atque deſtruitur, neque vlterius ad ſemitam generationis progredi poteſt, ſed defluit in ſua ſubſtantia non aliter

quam

quàm nubes à Borealibus ventis congelata, à flatu meridionali defluit & dispergitur: mundus igitur spermati proprius est ouum muliebre, seu matricis concauitas, cuius aer ipsum more vesicæ implens, si spiritibus seu formis benignis iungatur, propitie cum spermate aget, & ipsum ad generationis metam conducet. At vero si formæ præternaturales in eo natant, quæ aut ab vlceribus gallicis, aut à substantia contagiosa, aut venenosa exilierunt, non modo sperma salubre in locum illum coniectum destruit & corrumpit, verum etiam aer ille contagiosus momento emissionis spermatis à viro in vterum fæmineum, in vasa eius seminaria loco seminis eiecti (ne vacuum in iis admittatur) allectus, corrumpit assidue spermatis materiam, ita ergo successiuo motu in vasa illa à corpore descendit, & venenoso suo spiritu solida dissoluit spermata, partes eiusdem salubres corrumpit, & quando suo flatu intoxicato vniuersum inuadit spiritum sanguinis, atque lue venerea dicta integram hominis machinam inficere, & interficere infectione gestit. Quandoque etiam substantia hæc spermatica in via sui motus siue progressionis naturalis diu nimis & vltra naturæ statuta manes, hoc est post exactam eiusdem præparationem, à loco ei ab ipsa natura ad generationem assignato, matrice scilicet, detenta, nouam solet sæpicule naturam induere, sibique alienum contrahit spiritum, quem induit, qui naturæ parentum est oppositissimus; imo vero dæmonium eius naturam generatiuam in ruinam conuertens, monstrum inquam spirituale (appetitu vesano aliquid procreare sitiens) sibi attrahere gaudet, cuius dispositione tempestuosa, spiritus parentum connaturales opprimuntur, imo vero quandoque præfocari videntur, quemadmodum in largioris seu prouectioris ætatis virginibus, atque etiam viduis & aliis fæminis à coitu diu abstinentibus videre licet, vtpote quæ cachexia & suffocationibus tremendis matricis ac si à dæmonio fuissent obsessæ affliguntur, quemadmodum & viri qui vitæ continentia vtuntur infirmitatibus non paucis vexari percipiuntur, (in quibus etiam dæmonia suas portiones habere videntur) videlicet Epilepsia, morbo Hereos dicto, melancholia furibunda, aut mania, aut solitaria, infirmos ab hominum societate seducente, & huiusmodi aliis, de quibus alibi abundantius.

CONCLVSIO.

EX his igitur quæ dicta sunt, habemus reuelata non modo interna spermatis agentia, verum etiam & externa eiusdem patientia, quæ ab elementorum puritate seu subtili deriuantur, internos quidem actus à regionibus cælestibus descendere, externam vero substantiam à sublunaribus scaturire demonstrauimus, quæ omnia Mercur. Trism. paucis sic luculenter depingit, *Fæmina, aer & aqua coeundi compos, ex igne maturitatem, ex aere sumpsit spiritum, conglutinauitq; natura ad hominis speciem fingendam*: Nos vero paulo altius contemplantes agentia supercælestia tam in elementis, quam in æthere, illa explicare tentauimus, videlicet angelorum tam bonorum quam malignorum virtutes & efficacias, quæ sunt instrumenta media inter Deum & hominem, seu ministri velocissimi ad Dei mandata in creaturas vtriusque mundi visibilis, videlicet tam cœlestis quam terrestris exequenda semper parati, qui quidem angeli seu venti formales non aliter delitescunt in spermatis spiritu, quam ventus actuosissimus in nube, qui se habet vt anima ad corpus. Atque ita venti in microcosmo occidentalis descriptionem breuiter perfecimus. *Pimand.* 1.

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARTIS III.

LIBER QVARTVS.

IN QVO VENTI ORIENTALIS IN MICROCOSMO AFFLATVS, SEV vitalis in Corde ſpiritus myſteria enucleantur.

CAPVT I.

De cordis humani cum ſole mundano relatione, & quomodo Cor ſit ſol microcoſmi, non aliter quam ſol macrocoſmi cor.

QVEMADMODVM Phæbus aurea coma fulgens, & mundi ſceptrum tenens, tanquam rex & Imperator in cœli quaſi meditullio conſidere obſeruatur, omnia vitæ ſuæ ſpiraculo regens atque gubernans, vtpote *cui*, teſtantibus Iamblico & multis aliis, *omnes cœleſtium inſunt virtutes*; nam Proclus aſſerere haud dubitauit, *quod ad ſolis aſpectum omnes omnium cœleſtium vires in vnum congregentur, quæ tandem in mundū hunc inferiorē per eius ignea ſpiracula diſſeminantur*: ſic etiam in mundo minori cor ſe habere cernimus, atque hanc quidem comparationem luculenter nobis explicare videtur Heraclitus, in hunc ſermonem volens incidens, *Si ſolem* (inquit ille) *è mundo ſuſtuleris, Quid eſt noſtrum corpuſculum ſi deſit animæ? Nulla ibi contractatur vena pulſatilis, ſentiendum nullum meſt iudicium; nullus in eo vitalis halitus, aut vlla reſpiratio*: quare nonnullis haud inconſulte viſum eſt *Solem cor cæli nuncupare*, quoniam ſicut in corde viuus ſanguinis fons atque ſcaturigo inuenitur, cætera corporis humani membra clementer madefaciens atque irrigans, actumque vitæ vndique tam ſurſum quam deorſum effundens, ſic etiam in ſole videtur omnium rerum tam ſuperiorum quam inferiorum vegetandi atque conſeruandi facultas, tanquam in ſacrario vitæ includi, vtpote à quo vitæ ſeu calor innatus inferioribus, imo vero & ſuperioribus mediante ſuo lumine inſpiratur: Pari ſiquidem ratione cor à ſuo myrothecio, mediantibus radiis ſuis vndique in corpore humano tam ſurſum quam deorſum per aortæ ramos eiaculatis, vitæ ſpiritum diſpergit, iuxta illud Merc. Triſmeg. *Spiritus per venas arteriaſq; & ſanguinem diffuſus, animal vndique ciet; molemq; corporis ſuſpenſam ſuſtinet*: Videmus etiam, quod vt ſol motu ſuo & vitali ſpiraculo res omnes in mundo viſibili inſpirat atque viuificat, ſimiliter pari reſpectu cor hominis actu ſuo mediante vitali ſpiritu, partes corporis omnes mediantibus arteriis perfundat atque inſpiret: Si ſol eſt ſalutaris caloris & ſpirituum vitalium ſcaturigo relatione etiam ſimili Cor caloris innati atque benefici fons eſt, refertiſſimus. Porro etiam vt actio calidi ſolaris rebus terræ & aeris atque aquarum eſt grata atque propitia. Sic etiam cordis calor humani corporis rebus gratioſe adeſt. Videmus etiam quod vt ſol cæleſtis, aliorum ſiderum intemperie atque laboribus, videlicet Eclipſibus & coniunctionibus præpediri vel ſaltem perturbari nonnunquam ſoleat, ſic etiam cor humanum aliorum viſcerum intemperie & affectionibus perturbetur & affligatur, imo vero vti ſolis impedimenta & labores terræ nocumenta inferre ſolent, ſic etiam & cordis perturbationes rebus quidem corporeis damnum ſemper afferre non deſiſtunt, ita vt laborante ſole, laboret & machina mundana, corde vero laborante, & integra humani corporis fabrica ægrotet, porro ſol motum ſuum naturalem nunquam intermittere obſeruatur, & cor etiam humanum in ſuo motu conſtans hoc eſt ab intermiſſione immune ſe præbet, quod etiam in Thoracis meditullio non aliter eſt ſitum, quam ſol in cœli centro, vnde exertiſſime liquet, quod cor in microcoſmo hoc idem officium præſtare ſoleat, quod ſol quidem in mundo maiori. Vt igitur *homo* quam rectiſſime

Pimand. 10

ctissime à Merc. Trismeg. *filius mundi dicitur*, vnde & microcosmus appellatur, quippe cuius omnia membra ab illis mundi maioris in sua creatione fuerunt deriuata, non aliter quam illa infantis in generatione ab illis parentum in spermate occultis oriuntur: Sequitur inde quod cor sit solis mundani filius, quod etiam in eo cõfirmatur, quod eum in omnibus actionibus & functionibus suis imitari videtur, & præcipue in actione sua primaria; nam vt Solis radij se habent ad spiritum aereum tanquam mas ad fœminam, ita etiam actio vitalis cuius fons est cor, in simili ratione adaptatur ad spiritus naturales in homine, quorum scaturigo videlicet hepar non aliter diuiditur à regione cordis per diaphragma, quam aeris moles, & eius miniana (quę in media eiusdem regione sita est) diuiditur à suo marito Solari à Cribro Lunæ per quod impluit liberaliter spermata sua solaria in aerem, non aliter quam masculus spermata sua in vuluam mulieris.

Caput II.

Quod cor sit plaga microcosmi Orientalis, & quomodo relationem habeat ad macrocosmi Orientem.

In primo huius tractatus libro, vbi microcosmum in suas quartas ad macrocosmi imitationem distinximus, atque etiam cuilibet earum proprium suum ventum seu flatum attribuimus, partem eius orientalem cordi non inconsulte applicauimus, quemadmodum puncto ei oppositio vasa spermatica & locos ei adiacentes propter rationes à nobis libro hoc tertio productas retulimus, quod autem microcosmi quarta seu plaga à corde assignata in omnibus cum Orientis mundani dispositioni cõueniat, rationibus perspicuis hoc in loco declarare aggrediemur.

Imprimis igitur ex iis quæ capite præcedenti relata sunt, colligere possumus, quanta sit inter corpus solare, atq; illud cordis animalis relatio, quam vicina sit inter hæc corpora in vtroq; mundo maxime principalia amicitia & consanguinitas, cum hoc sit quasi illius filius vt & Sol pro cordis patre more reciproco sit habendus. Nam vt Sol in macrocosmo est vitæ fons atq; origo, sic etiam in microcosmo vitæ dotes à cordis sacrario scaturire obseruantur. At vero Solem in Oriente ortum suum quotidianum habere obseruamus, quæ ideo plaga ab Astrologis vitę nati attribuitur; nam primã Hæmisphęrij domum vocant angulũ orientis, videl. locum illum, in quo tam Sol quam reliqui planetæ instante natiuitatis in horizontem nostrum assurgentes, genituræ & vitæ nati dominorum nomina sibi vendicant; nam prima domus Horoscopus dicta (testãte tota Astrologorum turba,) vitam corpusq; nati, atq; etiam vitæ & natiuitatis principium significat, vnde & ipsam vitam vocant. Huic igitur domui triplicitates, & cuilibet eorum dominos totidem assignãt, quorum primum vitam & naturam nati, videl. quid dilecturus aut quid ei aduenturum sit in vitæ suę exordio, secundum corporis fortitudinem & vitę statum in media ætate, & tertium vitę finem arguere affirmãt. Hinc ergo euidens est, quanta sit vitæ vis in hoc angulo, & proinde Cardo seu quarta hæc, est vitæ præsidiũ, vitæ flabellum, à quo eius anima Solis videl. virtus in mundi hæmisphęrium inspiratur, vnde in naturæ mysteriis bene versati Michaeli (qui est Anchaugelus Solaris) angulum orientalem attribuunt, cuius officium est prauorum dæmonum malitiæ resistere, & consequenter creaturarum vitę & sanitatib. diligenter præesse & fæliciter, vt iin capite sequenti latius declarabimus. Vnde igitur videmus, quod post intensam noctis caliginem, & hæmisphęrij quasi mortem, seu formæ lucidæ & quasi vitæ seu diei præcedentis priuationem, Sol vitæ sacrarium, nouo vitæ lumine resurgens, deformem quasi & tenebris obrutũ spiritum mundanum regeneret & resuscitet. Vnde etiam vitæ & lucis resurgentis originem in angulo orientis existere obseruamus. Simili plane modo in hominis procreatione videmus, quod corrupto semine, seu post formæ prioris seminalis ablationem, noua vitæ & formæ lux in obscura fœtus massa, resurgere, eiusq; deformitatem tollere, formamq; nouam humanam restituere soleat, ita vt post noctem in spermate priuatiuam, Sol vitę in cordis angulo (qui est orientalis) seu microcosmi horoscopo resurgens, nouam vitam, nouum diem, nouã formam & esse, & nouum hominem producere gestiat, vnde liquet, ꝙ cor sit hominis initium, fons vitæ, & diei microcosmici Ortus, non aliter q̃ Sol ab oriente macrocosmi vitam, lucem, & quasi regenerationẽ mundo nouam afferre videtur, quemadmodũ viceuersa in plaga mundi orienti opposita vbi sole occidente, mundi hæmisphęrium eiusdem occasu occidi videtur, hoc est tenebris & formæ quasi diurnæ priuatione deprimi. Ita etiam pari ratione obseruamus, ꝙ viuificus cordis effluxus (radiis & spiritibus vitæ plenissimus, & generationi aptissimus) à cordis sinu sinistro exiliens, in oppositum ei situm, vbi viscera stercorea & tenebrosa (terræ occidentali comparata) à natura collocantur, videl. in vasa spermatica occidat, & deinde in vuluam præcipitetur, & tunc Solis occasui assimilatur. Vnde in nõnullis sacrarum literarum locis sepulchrum abyssо, & inferno diuersorio comparatur. Sic enim granum tritici in terram esse proiectum, & in eius profundo superficiali debere mori animaduertimus, priusquam eius spiritus ad vitam resurgere potest. Pari etiam ratione dicimus, quod solis cœlestis ortus in mundo faciat quasi noui diei regenerationem, solis animalis ortus ex spermate in matrice, & vegetabilis in terra, faciunt nouum etiam diem seu vitam, ita vt hoc Philosophorum axioma in hoc optime verificetur, *quod scil. corruptio vnius sit generatio alterius, atq; consequenter corruptionem generationem sequi.* Harum autem in mundo mutationum oppositarum ratio est actio & resistentia illa, quæ inter formam & materiam est facta, ita vt materiam dominium integrum habentem in formam se-

quatur priuatio seu nocturna quies, hoc est cessatio à formæ actionibus; at vero superante forma, iterum informationis dies & sol informans resurgit. Sed & hoc à sapiente luculenter in his verbis confirmari videtur, *Generatio,* (inquit ille) *vna abit, & altera aduenit, quamuis terra in seculum permaneat, ortus q; sol postquam occiderit Sol iterum ad locum suum aspirat, vbi oriatur*, quo quidem innuere videtur, quod generatio & corruptio relationem habeant ad ortum & occasum solis. A solis igitur seu cordis mundani ortu seu vita succedit vita hominis, vtpote qui est filius mundi, & vt in primordio mundi Sol ab Astrologis dicitur motum suum fecisse ab ortu, tanquam à termino à quo, quemadmodum etiam & Sol spiritualis dicitur ab ortu die vltimo venturus, sic etiam probabile est, quod vita humana suum ortum habuerit à plaga microcosmi Orientali ad imitationem principij vitæ macrocosmicæ, quæ ab angulo Orientali occipit, &, consequenter quod cor sit angulus seu cardo ille Orientalis, quippe à quo vitæ lux primum in embrione effulsit.

Caput III.

Quod vitæ flatus procedat ab oriente tam in macro quam microcosmo, & de metaphysica vitæ & animarum vtriusque mundi ratione.

CVm igitur cor sit microcosmo plaga orientalis non aliter quam locus ortus solis, angulus orientalis, horoscopus dictus, sequitur, quod ventus similis ab huiusmodi cardine in homine spiret: Atq; hic ventus spirat vitæ animam vniuerso spiritui humano, non aliter quam ille macrocosmicus vitã dicitur dare & motum spiritui, seu aeri, seu vento humano. Vnde dicit Sapiens, *quod postquam occiderit Sol, iterum ad locum suum aspiret, vbi oriatur, properet ad meridiem, & circumeat Aquilonem*; Ex quibus verbis liquet, *quod Sol, in quo,* (iuxta Platonicos) *est mundi anima sita* (ac etiam Psalmist. dicit, *quod Deus posuerit Tabernaculum suum in Sole*) sit principalis ventorum motor atque incitator, atq; hinc pergit Sapiens subnectendo istiusmodi sermonem præcedenti; *Conuersione sua circumiens properet aer,* (vel, vt Hieronym. interpretatur, *spiritus*) *& secundum circuitus suos reuertatur aer,* quod Pagninus sic interpretatur, *subinde circumeundo pergit ventus, & ad circuitus suos reuertitur ventus.* Hieronymus ait: *Lustrans in circuitu suo pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur*: quo quidem sermone sat luculenter arguit Sapiens, quod aeris dispositio à motu solari dependeat, vtpote cuius radij sunt quasi anima ad eum. Vnde non aliter mouetur aer naturaliter, quam ad motum solis, cuius actione agitatur motu circulari. Hinc igitur est quod venti dicantur infantes Titanis, Astreæ, & Aurora, quatenus à calore Solis geniti, vt ait Aristot. qui aerem reddunt subtilem & tarum, hocq; præcipue in Aurora: At vero dicuntur mandatis Iunonis obedire quatenus non flant nisi in aere qui dicitur Iuno. Pari ratione videmus spiritum vitæ ab oriente microcosmi, hoc est à cordis Thalamo tanquam Æoli microcosmici, capsula spirare, atque afflatu suo omnem sanguinis spiritum aereum secum in gyrum quasi rapere, mediantibus cuius radiis viuit ille spiritus, & motu viuifico venti tam aquilonares & meridionales, hoc est lienales & hepatici, quam occidentales in microcosmo excitantur; nam vt in superiori Sapientis sermone dictum est: *Ortus Sol postquam occiderit iterum ad locum suum aspirat vbi oriatur, properat ad meridiem & circumit aquilonem, conuersione sua properat aer, &c.* Sic etiam in microcosmo ad imitationem macrocosmi dicere possumus, Ortus solis viuifici seu caloris vitalis postquam occiderit, in vasa spermatica, & tum postea subtus in vuluam seu terræ meridiem descenderit, iterum ad nouum quasi ortum aspirat, & properat per ramos aortæ, ad meridiem hepaticam, & septentrionem lienalem, & in iis flatus varios excitat: Nam cum cordis flamma sit solis propago, & verus filius (vnde dicitur *cor sedes animæ humanæ*, vt *Sol est sedes animæ mundi* & illa anima in corde à Zenone *ignis naturalis* nuncupatur, & à Promethco *ignis cœlestis, vita hominem ditans*) sequitur, q; ipsa moueatur ad motum solis, vtpote quæ est radius eiusdem, quæ ab eo separari nequit, vnde fit vt pars ad totius motũ moueatur. Atq; hinc erat quod Merc. Trismeg. *hominem mundi filium*, & per consequens eius cor Solis filium, vt cordis caloré lucis internæ Solis, seu mundi animę filium dictitauerit. Vnde vt à Solis mundani centro eiaculantur vitæ & lucis viuificæ spermata in spiritum mundanum (quæ etiam à corde hauriuntur, mediante inspiratione) sic etiam à solis microcosmi centro seu cordis anima calor vitalis vndique in spiritu microcosmico (qui etiam ab aere mundano deriuatur) disseminatur atque dispergitur, quod etiam verbis expressis fatetur prophera regius hoc modo: *Cor tuum custodi supra omnem obseruationem, quia ab eo prodeunt actiones vitæ.*

Eccl. 1. 4.

Eccl. 1. 4.

Psal. 4. 23.

Sed vt ad venti Orientalis tam macro quam microcosmi animam internam seu metaphysicam, atque naturam eiusdem tam in sole quam in corde accedamus: diximus Deum vitam in creaturas suas originaliter per spiritum suum inspirasse, hocque mediantibus angelis suis, qui sunt ministri eius ignei, cuius exterius seu manifestum est aer seu ventus, interius vero ignis diuinus, vnde scriptum est, *nomen Iehoua in angelo quem misit Deus ante Israelitas, fuisse.* Hinc ergo (inquid Dauid) *qui facis angelos tuos ventos, & ministros tuos ignem vrentem, facientes placitum tuum*; declarauimus etiam alibi, quod alij angeli habeant curam vitæ, alij corporis, &c. At vero quia omnibus est notum, solem mundi, esse vitæ fontem atq; originem, videamus obsecro, quis angelus ei præsit, quænam sit eius natura, & an sit spiritus Princeps habens dominium in flatus, an

Exod. 23. Psal. 103. 4

vitæ

vitæ mundanæ præsideat necne, vt hac via ad vitæ mysterium intimum & magis formale veniamus, quo tandem ad primum omnium rerum spiritum, & domini dominorum cognitionem accedamus. Inquit Picus Mirandula. *Res humanæ non corporum sed angelorum mysterio ordinantur, qui natura & dignitate media inter nos & Deum, gubernantur, quare cum à Deo descendis ad terram, descende per cœlum, cum à Deo descendis ad homines descende per angelos.* Et omnes Peripathetici, imo vero & Rabi in Caballa peritiores agnoscunt, *quod angelus sit tanquam inter Deum & naturam virtus media à qua fiunt operationes in rebus inferioribus.* Atque alibi affirmant, *quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum, & vti sit inferius sic etiam agitur superius*, & in hoc consentiunt Cabalistæ omnes, in inquisitione ergo nostra sic pergimus, inquit Rabi Moyses, *quod intellectus agens in quo formæ influunt, sit angelus, vniuersitati præfectus, qui Metattron vocatur, à quo gubernantur omnes virtutes singulares humanæ, tam vitales quam naturales, quæ pariter & angeli vocantur, quorum multitudo est infinita, quoad nos.* Et Rabi Breseth dicit; *quod creator quotidie creet cœlum angelorum, quos alij vocant formas, vtpote qui sunt substantiæ formales, quibus tota sphæra generabilium & corruptibilium absque numero est plena.* Hunc vero angelum principem Metattron Hebræorum doctores fecerunt animam mundi, de quo *in tractatu nostro Cabalistico* abunde egimus. Atque hunc secretiores Theologi affirmarunt esse Archangelum Michaelem, vtpote cui assignatum est solis præsidium, qui est fons vitæ atque animarum viuentium. Atque hinc est quod Platonici omnes dixerunt, *animam mundi fuisse in Sole*, & Scripturæ sacræ, *quod* DEVS (qui est vitæ & lucis fons) *posuerit Tabernaculum suum in Sole, & quod in Messia seu Verbo* (quod est lux mundi) *esset vita.* Michael ergo seu Metattron (hoc est mundi anima) est intelligentia seu anima interna, (in qua vti scriptum est, nomen Dei est) Solem mouens, gubernans, & ei præsidens, vnde fit, quod ei assignantur mundi & creaturarum eiusdem vitæ. Hinc igitur & sapientes cum Scripturis sacris conuenientes dixêre; *quod Michael cum angelis & ministris suis pugnauerit pro animabus omnium contra serpentem antiquum:* Et alibi dicitur, *quod sit sacerdos magnus in cœlo, offerens Deo animas rationales*, atque iterum; *traditur esse princeps militiæ Christi, constitutus super omnes animas suscipiendas, ponderat nempe illas non lancibus vel stateris corporeis, sed statera habente symbolum cum mensura.* Hic ergo est ille nempe Michael, *qui* (teste Archangel. in Cabal.) *inter angelos in tribunali iustitiæ diuinæ astantes principatum tenet*: Nam vti quatuor sunt angeli praui, qui in exercitu Satanæ latissima gerunt vltoris vela, videlicet Samael, Azazel, Azael, Mahazael, sic etiam & quotuor sunt in exercitu Dei antesignani, videlicet Michael, Gabriel, Vriel & Raphael, quorum Michael est Princeps, vnde dixit Gabriel ad Danielem, *Michael exprincipibus mihi venit in auxilium*: Hunc etiam & Christi angelum fecerunt, in Theologia secretiores. Vnde scriptum est, *quod hic sit ille angelus, qui Iohanni apparuit, cuius oculi erant tanquam flamma ignis, vox autem tanquam vox aquarum multarum, qui habebat in dextra 7. stellas, & facies eius sicut Sol lucebat in virtute sua.* Atque hinc declaratur, quod hic sit spiritus internus solis in quo consistit vita, & lux 7. planetarum, qui per 7. stellas in manu sua significantur, vnde dictum est, *stetisse in medio septem candelabrorum aureorum*, hinc denotans, quod sit ille spiritus, in quo nomen Dei scriptum est, qui in solis centro, hoc est in medio planetarũ posuit tabernaculum suum; Hinc ergo Angeli internum igneum verbũ seu nomen Iehouæ dicimus cum sapientibus, quod erat illa emanatio sancta seu Tetrogrammati virtus ignea, quæ primum effulsit è tenebris, hoc est sapientia illa ante omnia creata, quæ potestatem habet in omnes alios angelos, à qua lux & vita spiritui mundano prius impertita est. Hic est Archangelus ille summus, cui obediunt Spiritus seu angeli, qui ventis præsident, non aliter quam Solis gloria & excellentia exuberantis imperio subiiciuntur stellæ reliquæ. Vnde de illo in Apocal. sic scribitur: *Vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes ventos terræ ne flarent super terram, neque super mare, neque super vllam arborem, & vidi alterum angelum, ascendentem ab ortu Solis habentem signum Dei viui, & clamauit magna voce quatuor angelis terræ, quibus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ aut mari, neque arboribus, quousque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum.* Vnde liquet, quod hic Princeps erat angelorum, quatenus iis imperabat, atq; ei etiam illi reciproce obediebant. Deinde videtur esse Archangelus ille Michael, qui dominium habet in corpus Solare, imo vero est quasi eius anima, Vnde dixit Iohannes: *Facies eius sicut Sol lucebat in virtute sua:* hocque eo magis, quia dictus est ascendisse ab ortu solis, in quem mundi angulum seu cardinem Michael suum imperium habet. Denique ex hoc loco concludere possumus, quod in eius potestate est, permittere Angelos malignos mediantibus ventis damnum terræ & hominibus afferre, atque iterum pro placito suo angelorum illorum vires emittere aut reuocare atque restringere, ad aeris, terræ atque creaturarum eiusdem conseruationem atque sanitatem naturalem. Hinc volunt in Theologia secreta peritiores, quod Michael sit ille sacerdos cœli magnus, sacrificans in mundo superiori, animasque hominum immaculatas Deo benedicto præsentet, immundas & vitiis oneratas diabolo subiiciat: ad cuius exemplar, pontifex in mundo inferiori (vt in Leuitico habemus) iubetur animalia munda & insontia offerre Deo, criminibus vero & noxiarum mole oneratas Sathanæ tradere, sic enim princeps licet ad benefaciendum & misericordiam maxime sit inclinatus, tamen & peccata punire declaratur à Deo ipso in huiusmodi sermone: *Ecce ego mitto angelum ante te ad seruandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparaui, Caue tibi à facie eius, & ausculta voci eius, ne exacerbes eum, quia nõ feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo.* Hunc autem Angelum affirmant Cabalistæ esse Moysis tutorem, & ipsum esse Metattron seu Michaelem asseueranter concludunt. At vero vidimus illum à Deo esse ordinatum, vt Israelitas præseruaret à malo tam corporali, quam spirituali. Vnde liquet, quod eius dispositio sit ad misericordiam

Pic. Mirã. lib. de Arosog. 4. c. 4.
Reuclin. in Caball.
Archang. in Cabal.
Reuclin. in Cabal.
Daniel.
Apocal. 1.
Apoc. 7. 1.
Apoc. 1. 16.
Exo. 23. 20

inclinata, & ad vitas hominum quibus ex officio præest conseruandas. Hinc ergo dicit Rabi Tedacus, vbi
Lib. de Numer. 10. de quatuor angelis loquitur, qui præfecti sunt super quatuor ventos in die & in nocte, *quod Michael, qui est ex parte clementiæ & miserationum, constituatur prefectus super ventum Orientalem vsque ad dimidium diei, & vsque ad mediam noctem.* Atque hinc est, quod venti huiusmodi obseruantur esse tam salutares, de quibus, & præcipue de vento Orientali dicitur, quod subsolanus ratione suæ temperiei humido & calido innato simillimæ, aquas reddat claras & puras, atque boni saporis, aerem purificet, atque salubrem ac serenum faciat, præseruet corpus in sanitate, & talem reddat spiritum eiusdem, qualem & aerem mundi maioris, videlicet serenum, salutarem, & subtilem; nam aerem suo afflatu formis bonis & vitæ quam necessariis gratum reddit. Est igitur Michaelis afflatus (qui nihil aliud est quam spiritus solaris) vitæ benevolus, vtpote qui dispergit seminaria solaria vbique per spiritum aereum, quibus nutriuntur vitæ creaturarum per viam inspirationis, & virtute vocis illius desistunt praui angeli à malis suis halitibus seu ventis, quibus inficiunt aerem ad vitarũ ruinam & destructionem, vt ex loco superius ex Apocalypsi citato declaratur. At si spiritus supremi placitum sit creaturam in iracundia sua pro peccatis castigare, tunc desistit bonus hic angelus à benevolis suis afflatibus, locumq; dat vltoribus, qui seipsos in aere dispergentes illum inficiunt, & vel lædendo arbores vel fructus & pecudes famem inducunt, vel corrumpendo aerem, vel pecudes, vel nutrimenta pestem vndiq; disseminant, vel tempestatibus horrendis tam in terra quam mari derelictos destruunt. At vero Michael in quo nomen Dei est, & cui sigillum Dei viui committitur, clamat hisce dæmonib. infestantibus, (vt in loco superius ex Apocal. allegato declaratur.) *Nolite nocere nec terræ, nec mari, nec arboribus, quousq; signemus seruo Dei nostri in frontibus eorum.* Vnde fit vt in peste non omnes morti & destructioni destinentur, & Lot cum fidelib. suis inter cæteros Sodomæ & Gomorræ à tempestate sulphurea fuerit præseruatus.

Concludimus igitur quod Sol ideo sit plaga microcosmi Orientalis, quia in Archangeli Michaelis cura & præsidio est, & ideo est in eius præsidio, quia vitæ microcosmicæ sacrariũ est, quæ à Sole impluit, cuius actus & anima vitæ seminaria impluens est mundi anima in Sole inhabitans, cui (vt declaratur) plaga orientalis & ventus eiusdem subiiciuntur. Vnde vt magnus obseruatur esse inter cor & Solem consensus, vtpote qui ambo sunt vitæ fontes, & animæ vtriusq; mundi receptacula, (sed ille microcosmi oriturab illo macrocosmi, cum macrocosmi filius sit microcosmus) necesse est vt igneus spiritus qui cor incolit, à spiratione Michaelis scaturiet, vtpote qui est vitæ mundanę fons, in quo est verbum Dei inscriptum, quod est lux vera mundi, primum à patre in tenebris latente effulgens, & omnia vitę beneficio informans; de qua in discursu nostro metaphysico & cabalistico abunde egimus.

Caput IV.

De materia seu substantia vitæ humanæ, quid sit, vnde oriatur, & quomodo ad vitæ sustentationem assidue in læuum cordis Thalamum introducatur, & ibi chimia naturali operetur.

IAm vero postquã de metaphysico subsantiæ viuificæ actu seu origine prima locuti sumus, restat vt ipsam vitæ essentiam, abditamq; eiusdem substantiam delineemus, quatenus ipsa in rerum vniuersitate consistit, hoc est vt naturæ illius occultæ & inuisibilis subiectum demonstremus, q̃ est vitæ creaturarum initium
Arist. lib. 2 Phys. atq; pabulum, cuius successione & complemento contineatur vita cuiusliber viuentis: Aristot. vocat *istiusmodi naturam principium & causam motus & quietis in re naturali, cui primario & per se hoc est non per accidens inest.* At
Cic. l. 2. de nat. Deor. Cicero ipsam definit *Vim quandam motus in corporibus necessario cientem.* Alij ipsam dixerunt *Vim quandam occultam, non quidem sensu sed intellectu sensibile, ita à Deo instinctam, vt cuilibet rei naturali, nempe elemento, animali, vegetabili, & minerali suppeditet essentiam & quaslibet vires naturales.* At vero veri Philosophi in mystica rerum naturalium Anatomia certiores, istius substantiæ viuificæ naturam stilo altiori & liquidiori exprimere solent,
Ars Chim. c. 4. *Scribentes eam vim quandam esse infinitam, ex simlibus similia procreantem, cunctas res generantem augentem alentemq;, elementorum ligamentum, commiscendi virtutem, quæ in qualibet re huius mundi sublunaris elementorum mixtiones efficit, formamq; suæ speciei congruam imprimit, per quam res vna in regnis naturæ ab alia distinguitur atq; segregatur, quare omnium dicitur in se habere nomina rerum. Nullius est coloris, & tamẽ colorum omnium particeps est, & effectrix, nullius etiam ponderis aut qualitatis, omniũ tamen qualitatum rerumq; fecunda genetrix, imo vero tam mirabilis est huiusmodi natura, vt in hoc hæsitarint veteres, An Deus sit natura, vel natura Deus.* Vnde concluserunt: Deum esse naturam naturantem, hoc est lucem increatam, in qua est vita, & naturam non Deum, quam ideo naturatam seu creatam dictitarunt spiritum humidũ intellexerunt, qui mediante sua luce increata existit. Quemadmodum igitur in tractatu nostro præcedente de spermate diximus, q̃ illud ex semine tanq̃ forma cœlesti, & spermate q̃ substantia elemẽtari sit creatũ, ita etiã dicimus, q̃ internum naturæ viuificæ sit ignis purus cœlestis, qui est lucis increatæ thronus, eius vero externũ sit spiritus æthereus, q̃ est spiritus increati diuersoriũ, atq; aer sublunaris est cõe vtriusq; vehiculũ. Hinc ergo erat q̃ veteres dixerint, *Naturã Deum, Deum naturam*, videl. qm̃ Deus
Pimand. 3. inest in natura humida, cui inseruit loco vitæ, vnde Mer. Trisi. *Naturam in ipsa diuinitate cõsistere* affirmauit. Et
Pimand. 1. alibi dicit, *q̃ naturã humidã foueret verbũ.* Qd̃ qdẽ à S. Script. sensu minime discrepare videt, in quo inuenim⁹:

Quod

Quod verbo Dei firmati essent cœli, (hoc est spiritus humidi fabrica) *& spiritu ab ore eiusdem omnes virtutes eorum.* Ex quibus sat liquido constat, quod omnis forma & omnis anima à S. Sancto deriuentur, Nonne etiã in mundi fabrica dictũ est, *quod spiritus Dei ferebatur super aquas,* (hoc est spiritum humidũ, igneum ei vigorem impertientem,) vnde videmus, ꝙ primordialis spiritus mũdani forma, à spiritus diuini radiatione promanet, cuius præsentia creatus est. Atq; ita natura humida dicitur creatura, sed forma prima informans est virtus lucida Tetrogrammati, quam Cabalistæ & Hebræorum Doctores angelum Metattron vocarunt, (quem animam mundi dixerunt) in quo nomen Iehouæ inest, hoc est eius verbum, quod est lux increata. Atque hinc est, quod in multis sacrorum Bibliorum locis videmus, angelum quandoq; Iehouam dici, hoc scil. respectu formæ suæ increatæ, & quandoq; nomine angeli appellari, respectu eiusdem externi, ꝙ est spiritus creatus; Ob hanc ergo causam Rabi Breseth formas omnes in aere narantes angelos vocauit, vtpote quæ more angelorum vitam lucidam à Deo immediate accipiunt, earum vero externũ à natura cœlesti humida contrahunt: Hinc ergo erat, quod philosophi species naturę duas posuerint, videl. materialem, quam dicunt principium motus passiuum, quippe qui patitur se informari, atq; hoc est illud ꝙ Merc. Trismeg. intelligit per naturam humidam & formalem, quam naturam agnoscũt esse nobiliorem, vtpote quæ informat naturam passiuam. Vnde eam principium actiuum nuncupauerunt, estq; hoc idem quod Merc. Trismeg. intellexit, per verbum naturæ humidę astans, quod illam naturam passiuam fouebat. Nonne est hoc idem ꝙ innuere videtur D. Petr. 2. & 3. vbi dicit, *quod cœlum & terra ex aquis & per aquas facta sint mediante Verbo,* & D. Iohan. *Per illud omnia facta sunt & sine illo nihil factum est quod est factum.* In hoc ergo principio actiuo est verbi seu spiritus diuini præsentia, quem supra per angeli Michaelis seu Metattri internum significauimus. Hinc ergo Merc. Trismeg. *Patrem omnium intellectus viram & fulgorem existentem hominem sibi similem procreasse* dicit, & à D. Ioh. accipimus, *quod Vita sit à Christo.* Et idem Mercur. dicit, *Animam esse in corpore, Mentem in anima, & in mente Verbum. Deum vero eorum patrem* asseuerauit. Vnde concludit, *quod Verbum sit imago Dei, mens Verbi, anima mentis, spiritus animæ, & corpus ipsius spiritus, sequitur ergo quod purissima materiæ portio sit aer, aeris anima, animæ mẽs, mentis deniq; Deus. Vnde Deus circa omnia, mens circa animam, anima circa aerem, aer circa materiam versatur.* Hæc ille. Ex quibus sat lucide explicari videtur, naturam cœlestem esse Verbi vehiculum, vt & aer naturæ cœlestis receptaculum, mediante quo in corpus introducitur, vbi rẽdit tam ad vinificationem quam ad generationem.

Exod. 23.

Ioh. 1.

Pimand. 1.

Ioh. 4.

Piman. 12.

Concludimus igitur, quod illa naturæ portio, quæ passiua seu humida dicitur, sit spiritus cœlestis, quẽ alio nomine *humidum radicale* vocant Medici, at vero ignem diuinum in illud agentem, calidum innatum dictitarunt, & ignem inuisibilẽ, à quo Zoroaster & Heraclitus Ephesius cuncta esse genita docuerunt; estq; hic ignis spiraculi vitæ efficacia, quod Deus rebus creatis fertur inspirasse, quando dicebatur in mundi genitura, *crescite & multiplicamini.* Virtute cuius afflatus sese cunctæ res multiplicarent. At vero, quia *Deus tabernaculum suum in Sole posuit,* iuxta Psalmistæ regij sententiam: (nam nihil est in firmamenti circulo, ꝙ maiorem Dei similitudinem præ se ferat, quã glorioſum solis lumen, cum quælibet res tãtum sibi Dei vindicet, quantum habet luminis) inde conclusere Philosophi mundi animam in Sole esse collocatam. q̃ animam (vti supra explicatum est) per angelum Metattron seu Michaelem Solis præsidem intellexere Cabalistæ. A solis ergo myrothecio occultissima Michelis operatione, quotidie per ignea Solis spiracula disseminantur huiusmodi scintillæ seu semina phœbea in hunc mundum inferiorem, quæ à solis vasis interioribus tanquã sperma masculi à suis vasis seminariis in vterum mundanum aerem videl. emittuntur, & in momento emissionis cum humida ætheris natura, seu spermate passiuo semiscent, non aliter quam sperma masculi illo fęminæ, pro vehiculo vtitur. Vnde luculenter à sapientibus explicatur, quod aer huiusmodi seminariis solaribus vndiq; impleatur: Vt mare quoddam magnum pisciculis minutis.

Iam vero declarandum est nobis, quomodo in corpus humanum alliciantur huiusmodi seminaria solaria, mediantibus quibus viuit homo, *dicunturq;* à Sapiente *Sol & homo, hominem generare.* Ignis igitur hic inuisibilis, natura hæc actiua, omnia vita imbuens, omnia pullulare faciens & vegetare, in suo spiritu proximo & magis digno natans, atq; iterum hi ambo à cœlo in spiritum sublunarem seu aerem, hoc est in generali suo vehiculo, prolapsi, vndiq; huc atq; illuc venti Orientalis afflatu feruntur, omnib. præsentes, omnia fouentes, & nectare quasi vitæ inebriantes. Sic Deum in cœlis & in terris vbiq; præsentem & assistentem habemus, in throno videl. & tribunali suæ ancillæ naturæ altissimo & profundissimo sedentem, & omnib. assistentem, sic panem nostrum quotidianum, sic Verbi benedictionem, sic vitæ pabulum quotidie haurimus: Nam cum iuxta illud Parmenidis axioma, *natura naturâ lætetur,* vitæ virtus in cordis meditullio sita, vi quadã magnetica suum simile sibi attrahere gestit: Hinc ergo est ꝙ ille autor in naturæ mysteriis inspector profundissimus, in huiusmodi cadat admirandi sententiam. *O Natura cœlestis veritatis naturas Dei nutu multiplicans.* Et iterum: *O Natura fortis, natura vincens & superans, suasq; naturas gaudere faciens. Hæc est illa natura specialis & spiritualis, cui Deus posse dedit supra ignis violentiam,* &c. Quibus innuere videtur, quod mediante hac natura cœlesti, spiritus vitalis & flamma in eo inclusa augeantur & multiplicentur, cum virtute eiusdem non modo vita, sed & generationis fructus in infinitum producãtur: Imo vero maiora mysteria in vnione ignis vitæ humanæ; seu naturæ microcosmicæ, cum igne cœlesti, seu natura actiua macrocosmi reuelantur, cum nexu huiusmodi vniuersa mundi natura cum illa hominis communicationem habeat, mediante qua in magia naturali stupenda præstare queunt; Ratio autem qua vitæ humanæ appetitus, in sibi simili nempe naturæ mundanæ attractione completur, est cor quod per partes suas tam simplices quam organicas operari

rari solet. Nam ex simplicibus fibris vtitur omnium generum, ita vt rectarum contractione, obliquarũ vero & transuersalium dilatatione cor aerem cœleste vitæ pabulum secum trahentẽ ex pulmone per arteriam venosam & eius ramos attrahat & fugat in sinistrum suum vẽtriculum, qui aer cum thesauro suo cœlesti, & diuinitate induto, per valuulas duas mitrales (foras aperras, intus clausas) introductus, chimia naturæ ita pparatur, vt eius impurũ & fuliginosum à subtili separetur, & via qua prius in sua substãtia grossa inspirando est introductum, expirando expellitur, separatio aũt huiusmodi fit eodem modo, quo in chimia periti Oleũ seu essentiam ex vegetabilibus mediante scil. vase refrigeratorio, quo purum oleum in puriori aquæ portione reuelatur, grossiorq; aquæ portio tanquam inutilis reiicitur, vel potius vt essentia aromatum mediante aqua extracta à suo menstruo seu vehiculo aquatico superfluo separatur in Balneo Mariæ, Refrigeratorium autem seu Balneum hoc tepidum est ipsum Pericardium, cuius portio semper aqua impletur in qua natat cardis seu Alembici naturalis profundum, in quo extractum huiusmodi perficitur. Subtilis vero aeris portio spiritui cœli igneo (qui est materia vitæ) vehiculi loco inseruit, vt & ille rationis, & ratio mentis est receptaculum, atq; hoc confirmatur huiusmodi Merc. Trismeg. sermone. *Mens in ratione, ratio in anima, anima in*
Piman. 10 *spiritu seu aere tenui, & spiritus in corpore, spiritusq; per arterias sanguinẽq; diffusus animal vndiq; ciet, hoc est mediante igne cœlesti à quo pellitur atq; exagitatur.* Et alibi dicit, *quod Deus versetur circa omnia, mens circa animã, anima circa aerem, aer circa materiam.* Præparatione ergo huiusmodi facta, separando scil. grossum à subtili, quo agens illud internum liberius in suo spiritu agat & moueatur, qp in cordis sacrario collectum est & expurgatum. Per valuulas alias tres semilunares, intus apertas, extra vero clausas in aortæ seu arteriæ magnæ thecam (quæ est vitæ sanctuarium) imponitur à quo ad vitæ & generationis functiones apte perficiendas, vndiq; per corpus vniuersum dispergitur: Atq; ex huiusmodi substantia essentialissima fabricatur homo internus, vt ex quatuor elementorum subtili externum fieri in tractatu nostro de semine satis superq; est explicatum.

Caput V.

Quomodo tres sint cordis motus seu actiones, qui tribus macrocosmi regionibus respondent.

VT tres numerantur in macrocosmo proprietates, secundum tres ipsius regiones, videl. *angelica*, quæ est intelligere, & secundum mentis diuinæ placitum agere, *cœlestu*, quæ Deo sic iubente, viuendi potestatem largitur creaturis, & *elementaris*, in qua corpora simplicia ordinatione diuina disponuntur, ita etiam obseruamus in microcosmo actionem esse triplicem tribus illis mundi regionibus correspondentem, *intellectualem* scil. (quam & *animalem* vocant Medici) cœlo angelico, *vitalem*, cœlo æthereo, & *naturalem* illo
Gal. loc. affect. & de diff. Sympt. Auicen. prima primi. doct. 6. sublunari seu elementari, verum enim vero tam Medici quam Philosophi, actiones has tres tam in macro quam microcosmo in proprietatem duplicem restrinxerunt, quarum illa quæ ad regionem vtriusq; mundi summam attinet, *voluntariam* vocauerunt, inferiorem vero (quæ tam circa regionem in vtroq; mundo vitalem, seu cœlestẽ & naturalem, seu elementarem versatur) *inuoluntariam* nuncupauerunt. Ex quibus in primo loco elicere fas est, qp vt Deus mediantib. angelis agit in cœlum & elemẽta originaliter, & sdm voluntatem suam, quæ nolentia volentia, hoc est inuoluntarie actus à Deo ordinatos recipere & secundum eos mouere coguntur, ita etiam quæ à microcosmi mente suprema in summa ipsius regione ordinantur & aguntur, ea voluntaria ideo dicuntur, vtpote à principio & actu primo procedentia, & consequenter nõ inuoluntaria, quippe antequã nihil erat præexistentia. Vnde sequitur, qp nihil sit, quod actiones diuinas cogere possit. Vnde concluduntur esse voluntariæ, & non inuoluntariẽ: Tales ergo sunt actiones supercœlestes & diuinæ in macrocosmo, & tales illæ intellectuales & animales à mente deriuatæ in microcosmo, videl. voluntariæ & non coactæ, sic enim in macrocosmi naturalis summitate primum mobile situm videmus, cui voluntas refertur, vtpote quod mouetur secundum voluntarem diuinam, mediantibus eius ministris, at vero omnes cœli ætherei creaturẽ, motu violento & inuoluntario ab huiusmodi voluntate circumuoluuntur, atq; iterũ elementa atq; elementata ad cœlestium motum rapiuntur. Vnde tam motus & actio cœlestium quam elemẽtarium rapiuntur & feruntur ad motũ voluntarium primi motoris, vnde & inuoluntarius dicitur eorũ motus & actio, pari etiam ratione obseruarunt Medici & Philosophi, ad intellectus motum & citationem vitales & naturales actiones in homine vires suas accepisse, & virtute motus mentis nolentes volentes torqueri & exagitari. Vnde concluserunt illi, actiones huiusmodi esse voluntarias, vtpote non suo proprio, sed magis occulto & excitato motu citatæ, non aliter quam in macrocosmo stellas & elemẽta à suis intelligentiis moueri & agi dicuntur, quarum actus internus seu primus motor est Deus.

Hinc ergo respondetur (ni fallor) ad illud dubium inter Principes medicorum & philosophorum agitatum, videl. an cerebrum vel cor in generatione sit præferendum, in quo Aristoteles & reliqua Peripateticorum schola strenue defendit: Cor primum in generatione obtinere locum, quibus apponitur Hippocrates, Cerebrum primum in generatione membrum esse asseuerans, atq; hanc suam opinionem experimẽto quodam fulcire videtur, quoniam videl. caput pulli in ouo primum apparuisse obseruauit: atq; Isaacus huic Hippocratis opinioni adstipulari videtur, quatenus hominem arbori inuersæ similem, & per consequens cerebrum radici eiusdem simillimum esse existimauit: At nos aggrediemur hanc Hippocratis sententiam

ideo

ideo ſtatuminate, quoniam ſine quęſtione certum eſt principium principiato tempore eſſe prępondendum, at cerebrum eſt receptaculum actionis voluntariæ, quæ actionem inuoluntariam (qualis eſt illa cordis) nō aliter præcedit, quam Deus creaturam, aut primus actus motusve, actus & motus ſecundarios: A voluntate ergo præcedente procedunt omnes actiones voluntariæ, vtpote quæ compelluntur mouere ad inſtantiam voluntatis præcedentis, at voluntarius motus à cerebro deſcendit & motu inuoluntario cor & hepar circa functiones ſuas mouere facit, non aliter quā ad motum primi mobilis (cui refertur cerebrum) ſphærę inferiores motu quaſi inuoluntario ab oriente nempe in Occidentem moueri vel torqueri ſolent. Sed ad rem redeamus.

Actionem iſtam inuoluntariam in corde (quam vitalem vocant) in motu triplici, tribus mundi maioris regnis ſeu cœlis correſpondente, conſiſtere fecerunt, quorum primus tantum in cordis dilatatione conſiſtit, in qua actione ſpiritus in corde paſſionibus bonis afficitur, cuiuſmodi ſunt lætitia, ſpes & aliæ, & huiuſmodi ſympatheticæ paſſiones voluptate plenæ, ad cœlum microcoſmi empyreum ſeu intellectum tendunt, vltimus in actu oppoſito videl. in contractione tantum conſiſtit, in qua actione ſpiritus vitæ deſtinati paſſionib. malignis perturbantur, videl. metu, triſtitia, &c. Atq; huiuſmodi paſſiones antipatheticæ vexationibus oneratæ cœlum microcoſmi elementare tenebroſis mutationibus obnoxium reſpiciunt: Medius vero inter hæc duo extrema motus tam in contractione quam dilatatione conſiſtit, cuius actio de vtroque extremo participat; nam dilatatione vitæ ſuæ pabulum haurit cor à mente, non aliter quam Sol à Verbo & contractione illud diſpergit ad inferiora, per diaſtolen ergo trahit à Deo vitæ beneuolentiam, ſe dilatando, & per ſyſtolen eam cum inferioribus, & partibus naturalib. communicat, ſe ipſum contrahendo, ſed de his in capite ſequenti (Deo volente) latius agemus. *Auicen. De medic. Cor. c. 7.*

Caput VI.

De actionum in corde inuoluntariarum myſteriis, & quomodo ex iis triplicem hominis angelum eorumq; naturam elicere poßimus.

ADmiranda ſunt actionum cordis inuoluntariarum myſteria, ſi rem paulo accuratius, & nucleo-tenus explorauerimus: nam ſi in priori loco ſolam cordis dilatandi diſpoſitionem contemplati fuerimus, ab effectu percipiemus, eam ſolummodo circa beatitudinem ſupercœleſtem verſari, cum mediante ea ſpirituales quaſi cordis oculi aperiantur. Cor (inquam) ſpirituale ſeu meditullium potius cordis à tenebris dilatatione reſpiciens, viſione ſupercœleſti gaudet, hoc ſurſum diuinam diuinæ mentis ideam ſpeculando geſtit; atque huiuſmodi contemplatione vniuerſam vitam humanam ab inferiorib. ad ſuperiora allicit, & ſic totus homo à cacodæmonis curis ad boni angeli fœlicitatem rapitur, & in ſublime tollitur, vtpote mediante cuiuſmodi cordis actione Diui Ioannes & Paulus in tertium quidem cœlum fuere rapti, vbi ſe res mundo minime reuelandas vidiſſe fatentur: Nam ſpatioſa cordis ſolaq; dilatatione, ſpiritus cœleſtes vitæ in corde incluſi, libertatem ſuam requirunt, fratres cœleſtes vndiq; in aere vagantes viſitare ſatagunt, in quorum lumine non modo animæ fontem, ſed etiā in eo mentem, & in mente verbū, & in verbo ac per verbū Deum Patrem vndiq; gratiarum choro, atq; archangulorum famulatione ſtipatum intuentur, & intuitu illius rapiuntur: quod etiam confitmare videntur verba hæc diuini Syneſij de mente loquendo: *Ineſt tamen, ineſt aliquid lucis opertis oculis; ineſt etiam iis qui huc dilapſi ſunt, in cœlum reuocans quadā vis, cum fluctibus emerſi vitæ ſanctum ingrediantur, itur ad regiam parentis, Beatus qui poſt labores, poſt acerbas terrenas curas, ingreſſus mentis vias, altitudinem vidit, diuina refulgentē luce.* Et alibi: *Ex bonorum perenni fonte conceptis ſupplicter precibus, ad parentem aſcende, neque cunctare, terræ terrena relinquens, mox vero iuncta cum patre dea in Deo exultabis.* At vero hæc cordis dilatandi virtus, ab effectu comprobari videtur, quippe mediante illa introducuntur paſſiones bonæ & animo delectabiles, ratione viſionis illius occultæ ad gaudium & beatitudinem tendentis, quæ licet homini ſpiritualiter videnti propter carnis ſuę vmbraculum, decerni nequeat, tamen ſpiritus eiuſdem internus aſpectu exultare videtur, vnde fit vt hanc cordis actionē ſubſequantur lętitia, ſpes, confidentia, amor, miſericordia & humanitas, quæ actiones ſunt pię, placidæ, & diuinitati proximæ; De huiuſmodi ergo cordis dilatatione ſentit Salomon, vt & de cōtractione eiuſdem, in his verbis: *Exaltatio oculorum eſt dilatatio cordis, lucerna impiorum peccatum*, ac ſi dixiſſet, exaltantur ſpirituum cœleſtium in corde contentorum oculi ad Deum dilatatione cordis, at vero contractione eiuſdem, lucerna eorum eſt peccatū, hoc eſt tenebræ & error. Vnde etiam dixit Deus; *quis iſte eſt qui applicet cor ſuum vt mihi appropinquet*: qui quidem ſermo in hunc ſenſum conuerti poteſt. Quis eſt ille qui virtute & timore mei, & ſpe, & charitate, & lætitia ita cor ſuum adaptabit, vt ad mei viſionem attingat? nam paſſionibus, & habitibus bonis dilatatur cor, malis vero & impiis conſtringitur; Hinc inquit Dauid exultando: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam in gloria mea.* Hoc eſt, dilatatū eſt cor meum, & dilatatione paratum eſt, vt viſione tui, qui es gloria mea, canam & exultem; hic ergo adeſt ſpirituum lætitia propter cordis dilatationē, quæ à mentis diuinæ intuitu orta eſt, mediāte qua & vniuerſus corporis ſpiritus reficitur: Vnde dicit Sapiens; *Cor gaudens exhilarat faciem, at in mœrore animi deijcitur ſpiritus*, quod quidem in hunc modum interpretari poteſt, Cor dilatatum exhilarat ſpiritum, per gaudij inuiſibilis viſionem; at contractione cordis producitur mœror, & triſtitia, quæ ſpiritus vitæ opprimunt, Pietas etiam, fides,

Syneſ. Hymn. 1. ibid.

Prou. 21. 1.

Iere. 30. 23.

Pſal. 107. 1

Prou. 15. 13

fides, & religio producuntur in cordis dilatatione; nam ignis vitæ è spiritu suo in corde fixo visionem mentis & gloriæ ipsius summa cum voluptate prospiciens, redditur humilis, pius & iustus: vnde dictum est:
Eccl. 1. 18. *Religiosus custodiet & iustificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit:* Hinc ergo ait Sapiens amoris virtutem
Eccl. 2. 20. hoc in loco ex cordis dilatatione arguens: *Qui timent Dominum præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas,* vbi per timorem Domini, non illum seruilem, sed amorem cum reuerentia intelligit:
Ioh. 14. 1. quas pias animæ passiones à cordis dilatatione proficisci, etiam agnouerunt Ethnici. Porro pro fidei productione dicit Euangelista: *Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum,* &c. Ac si diceret: Non contrahatur in vobis cor vestrum, quia creditis in Deum; nam fides atque spes proueniunt à cordis dilatatione, charitas et-
2. Cor. 9. 7. iam est passio pia, quæ prouenit à cordis dilatatione. Vnde inquit Apostolus: *Det vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia & necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* Hoc est cor dilatando, & hilariter ipsum Deum seu mentem summa respiciendo, non illud contrahendo, & luctu & tristitia secreta, hoc est cum voluntate mala dando. Porro etiam in actione huiusmodi cordis bona loquuta est Ruth: *Inueni gratiam apud oculos tuos*
Ruth. 2. 13. *Domini mi, qui consolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ;* Ac si dixisset: Domine mi, locutione tua ad spiritus vitæ meæ seu animæ meæ, spes & lætitia mihi producuntur. Hæc igitur est pia illa cordis dispositio, in qua libertima facta est communicatio, inter spiritus cœli humanos, & illos mundanos, mediantibus quibus spiritualis est ad maiestatis diuinæ obiectum prospectus, atq; etiam vitæ cœlestis seminaria in macrocosmo atque illa cordi in microcosmo adhærentia vnita sunt, de qua quidem dispositione sentit Psalmista dicens: *Ponite corda vestra in virtute eius,* hoc est, pădite & aperite corda vestra, vt exultetis in Domino: Ex quibus quidem videmus, quod actio cordis in dilatatione, sit bonarum atq; piarum passionum origo, quoniam mediante ea spiritus cœlestes in cordis thalamo ad vitæ beneficium concluſi, per copiosam cordis dilatationem reficiuntur, visione mentis tam macro quam microcosmicæ, qua à terrestrium perturbationib. curis & vexationibus, ad cœlestium & supersubstantialium cõtemplationes, hoc q; raptu quasi diuino sursum rapiuntur: & in extasi huiusmodi iucunditatem haud exiguam persentiunt, imo vero quandoq; & huiusmodi cordis actionem passi sunt Paulus & Iohannes in instanti, quo in tertium vsq; cælum rapti mirabilia inibi & ineffabilia viderunt. Hanc ergo talem cordis actionem sequuntur passiones bonæ, videlicet gaudium seu lætitia, amor & charitas, fides, spes, misericordia, humanitas, pietas, humilitas, &c. quæ omnes ad Deum & diuinitatem tendunt, & inter virtutes numerantur; visio vero, mediante qua huiusmodi passiones bonæ, licet non semper, corpori conspicuæ redduntur, est illa animæ, seu spirituum vitæ, cuius sedes est in corde, Animæ vero oculus quo Deum intuetur est mens humana omni corporis labe & cõtagione libera, cui Dei idea non aliter adhæret, quam radius Solis soli, aut imago rei speculo, mentis vero aspectus est ratio, eiusq; visio est intellectus: Accidit ergo nõnunquam, harum passionum nonnullæ vt proueniant hominibus peccato inquinatis, videl. gaudium, lætitia, spes, amor, humanitas, &c. Sed in his visio quæ est causa harum passionum propter corporis tenebras animũ aggrauantes non decernitur. At vero in viris Sanctis & Prophetis, visio illa beata sæpicule reuelata est, vt & in Paulo, Iohanne, Elia, Ezechiele & huiusmodi aliis, quod quidem non accidebat, nisi præparatione conueniente præeunte, vnde requiritur, vt ille qui visionẽ Dei distincte videre desiderat, sanos habeat oculos, quibus recte aspiciat, sanos autem oculos habere dicuntur, quibus mortalium cupiditatibus purgata est anima, ab iisq; remota: Nec quidem recte spiritualiter quis aspicere potest, nisi in Dei lumine cõtemplationis suæ oculos figat, videt ergo per illam contemplationẽ, quanta sint gaudia, quanta lætitia, quanta serenitas, & quanta iucunditas. Sanitas facit illam securam, aspectus rectam, visio beatam: quare ipsa ab omni fæce libera, maculisq; diluta, tunc quidem se in seipsa libentissime tenet, & nihil sibi metuit, aut vlla culpa sua quicquid agitur; Et tunc ingenti quadam & incredibili lætitia vel fiducia pergit in Deum, id est in contemplationẽ veritatis. Sic anima prius sanatur, sanata cordis valuas apertas inuenit, per eas egreditur eius aspectus seu visio, egressa ad obiectum diuinum introducitur, introducta reficitur atque recreatur.

Vt autem anima seu spiritus vitæ (mediantibus illis intellectualibus) habet suas affectiones, quibus exercetur, circa virtutes, ita etiam ei adsunt quandoque passiones iis contrariæ, vtpote quibus perturbatur & vexatur, atque huiusmodi dicuntur spiritus vitia seu passiones animam deprimentes. Atque vt passiones animæ bonæ seu virtutes à cordis dilatatione oriuntur, ita etiam passiones eius malæ seu vitia à cordis contractione tantum prouenire solent, videlicet tristitia, desperatio, metus, odium, inuidia, ira, furor, verecundia, &c. nam vbi cor magis ad contractionem quam dilatationem declinat, ibi spiritus nimium in cordis abysso incarceratur, ita vt rarissime ad mentis diuinæ visionem pertingere queant, vnde melancholica, furibunda, mæsta vitæ anima, ad inferiora respicit, vtpote cui ad superiora occluditur via & multo magis ad illa suprema, Dæmonum visiones habet, de visione diuina priuatur: atque ita illa huiusmodi passionibus percita, cacodæmonis naturam non aliter affectat, quam in beata sua visione naturam angelicam induere solebat, vtpote quæ gratia diuina iam orbata, tenebrarum gustare amaritudinem videtur, & dæmonum elementarium rabiei subiici, ventis hypochondriacis, & fluctibus auræ turbulentis vibrari atque exagitari, mania, insania, timore, tristitia, desperatione, furore, & similibus, affligi, & visionibus falsis atque præstigiosis deludi solet. Hinc dicitur: *Dabit tibi cor pauidum & defi. ientes oculos, & animam consumptam mœrore, &*
Deut. 28. 67. *erit vita tua pendens ante te, Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ:* Hoc est propter defectum visionis veritatis, qui fit ob cordis contractionem, huiusmodi vitia erronea animam tuam vexabunt. Vnde Iob dicit:

Spiritus

Spiritus meus in me anguſtatur. Et Pſalmiſt.regius ait: *Spiritus meus conſumitur & ſimilis fio deſcendentibus in ſepulthrum,* hoc eſt ſpiritus meus eſt tenebris obductus; Quare & Sapiens dicit, *quod via impiorum ſit tenebroſa, & neſciant vbi corruant,* vnde aliter repernimus: *Deficit anima eorum & ad mortem vſque laceſſita eſt.* Et Mercur. Trismegiſt. ſic loquitur: *Anima naturæ rerum bonique conſcientia, orbata oculis corporeis, ſeſe paſſionibus implicat: Anima cacodæmonis ritu corrupta ſeipſam ignorans, abiectis corporibus, monſtriſq; deformibus ſeruit, corpus ſuum velut omnis infeſtum circumfert, non præſidens corpori, ſed ob ignorantiam ſubiugata.* At vero Diuus Iohannes huic morbo remedium huiuſmodi affert: *Ne turbetur cor veſtrum, credatis in Deum,* &c. Vbi infert, quod fides cor dilatando ſit cauſa curationis iſtius paſſionis; triſtitiam etiam produci huiuſmodi actione docet Euangeliſta in his verbis: *Sed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum,* peruerſitatis etiam & obſtinationis eſt cauſa, vnde dictum eſt: *Cor Pharaonis eſt induratum & non audiuit eos ſicut præceperat Dominus,* hoc eſt, non ei erat fides nec obedientia. Huius autem animæ erroris ratio eſt, propter viſionis ſuæ impedimentum; nam cæca eſt propter cordis occluſi tenebras, & videre non poteſt, ſed & hoc ex multis ſacrarum literarum locis colligitur: *Occæca* (inquit DEVS) *cor populi huius, ne corde ſuo intelligat.* Et alibi: *Omnes viderunt eum & perturbati ſunt,* &c. *& ceſſante vento magis plus inter ſe ſtupebant, erat enim cor eorum occæcatum,* hoc eſt veritatis viſionem videre non potuerunt propter cordis contractionem. Et alibi: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.* Et alibi: *Non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Et alibi: *Secundum duritiem tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelatione iuſti iudicij Dei.* Ex quibus ſat euidenter explicatur, quod paſſiones hæ, videlicet, timor, error ob viſionis defectum, triſtitia ſeu mæror animæ, deſperatio & diffidentia, ſpirituum anguſtatio, animæ tenebræ, eiuſdemque defectus deluſiones præſtigioſæ, peruerſitates ſeu obſtinatio, cæcitas, ſeparatioq; eiuſdem à diuinis contemplationibus, procedant ab actione hac tetra atq; infauſta cordis, videl. diuturna eiuſdem contractione, hoc eſt, vbi magis ad contractionem quam ad dilatationem inclinatur, vnde factum eſt, vt vitæ ſpiritus ſit tenebris obductus, & de rebus diuinis recte iudicare neſciat, iuxta illud Sapientis; *Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, & difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in conſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt autem quis inueſtigabit, ſenſum autem tuum quis ſciet niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum Sanctum de altiſſimis,* &c.

Ioh. 21. 4. *Prou. 4. 19.* *Iud. 16. 16.* *Firman. 10.* *Ioh. 4.* *Ioh. 16. 6.* *Exo. 10. 19.* *Iſaiæ 6. 8.* *Marc. 6. 52* *Marc. 7. 6.* *Rom. 1. 21.*

Concludimus igitur, quod paſſionibus primis à cordis dilatatione ortis, ſpiritus ætherei in corde adhæreant ſupercœleſtibus, vltimis vero à cordis contractione deriuatis, ſublunaribus vicini ſint facti: Sic etiam naturam cœleſtem de natura quandoque empyrea, & nonnunquam elementari participare pro libitu cernimus, cuius ſpiritus ſi deorſum deſcendat, prauis dæmonibus ſe permiſcet, at vero regna ſupercœleſtia viſitans de natura angelica participat. Hæc eadem eſt ratio inter vitæ ſpiritum in homine, & eius ſpiritum intellectualem, in cerebro, ac illum naturalem in hepate; nam vt vitæ ſpiritus inuiſibiliter viuificat, ſic ille naturalis in hepate viſibiliter vegetare facit. Vnde denotatur, eum eſſe ex parte carnis & regni elementaris: Actio vero illa cordis, quæ eſt in medio inter hæc duo extrema, eſt illa quæ æqualiter participat de vtroque extremo, vt vitæ ſolummodo neceſſitati inſeruiat, atque hoc in opere eſt relatio medij ad vtrumque extremum, videl. naturę cęli medij ſeu ætheris ad illam cœli empyrei ſeu angelici naturam, atque iterum eius reſpectus ad naturam elementarem: A cœlo ergo ſupercœleſti ſpiritum intellectualem trahit, pars ætherea in ſe animam vitalem habet, & in aere ſublunari vehitur, cum ſua anima ſupercœleſti, & tandem in corpus opacum ad hominis compoſitionem integram includitur. Hinc ergo eſt quod motu cordis, quod eſt ſpiritus medij ſedes, Diaſtole nempe ſe dilatat anima, vt ſibi ſimile tam rationale à cœlo empyreo vbique in aere vagans, & vitale à ſuo regno æthereo, hoc eſt, à ſuperioribus (quæ actio cordis dilatione completur) quam eiuſdem ſyſtole mediante qua contrahendo impurum à puro ſeparat, ſibi indeſinenter alliciat. Vnde liquet, quod vitæ actio imitetur actionem animæ mundi, ſeu emanationem primariam à Iehoua quam veteres (in Theologia periti occulta) mundi animam & meſſiam vocauerunt, hoc eſt, virtutem Tetrogrammati, quam Cabaliſtæ fecerunt angelum Metattron ſeu Michaelem, qui imperium habet in angelos maligños, qui inimici ſunt vitæ humanæ: Dilatatione ergo organi ſui principalis, attrahit anima amicitiam & vitæ atque rationis dotes à cœlo, videl. mediante motu Diaſtole, vt follis aerem ſibi attrahit, quo igni tabeſcenti vitæ pabulum præminiſtret; ſuccedente quo ipſe ſemper in ſuo vigore ardeat, vbi homo ſtans eſt inſtar animæ vitæ, folles agitati aſſimilantur pulmonibus, & aer in folles attractus, eſt idem ſpecie cum illo in pulmones attracto, vt ergo aer à homine mediantib. follibus attractus, nutrit ignis externi & artificialis flammam, ita etiam & aer ſimilis à corde mediantibus pulmonibus attractus, præſeruat vitam & ſucceſſiuo ſupplemento ſuccurrit ignis vitæ internæ & naturali flammæ, vegetatione & conſeruatione cuius homo in ſuo viuendi ſtatu pergit & progreditur. Eſt ergo anima in huiuſmodi vitæ motu internum agens ſeu principium formale quoad nos, vt & eius agens internum eſt mens ſeu verbum. Cauſæ inſtrumentales ſunt cor & pulmo, cauſa materialis eſt aeris pars eſſentifica, effectus vero eſt vita, vnde ſequitur, quod motus inuolũtarius Diaſtole dictus per organi ſui dilatationem alliciat Dei beneuolentiam, (*quæ* teſte ſacra Scriptura, *eſt vita & eſſe,*) & ſyſtole contrahẽdo expellat inutilia aeris introducti, non aliter q̃ ignis flamma ſibi elicit purum ab eo aere à follib. ſibi afflato pro ſuo nutrimento, impurum vero & ſuperfluum in forma fumi inutilis expellit: Cor igitur inprimis eſt curandum, quemadmodũ nos docet

Sapiens

Prou. 4. 23. Sapiens in huiusmodi sermone: *Omni custodia conserua cor tuum, quia ex illa vita procedit.* Hinc igitur explicatur magnum in natura mysterium, videlicet quod in huiusmodi vitæ motu à pulsationis natura commensurato necesse sit vt fiat æqualitas, non aliter quam cœlum æthereum videmus æqualem inter illud empyreum & elementare situm habere, cum ab huiusmodi qualitate consistat vitæ & elementorum temperies. Nam si huiusmodi motus æqualitas corrumpatur, aut in suo pulsu deficiat, necesse est vt etiã error fiat in ligamento quatuor elementorum, quod est quinta essentia, vtpote quæ in sua natura conuenit cum omni qualitate elementorum, & consequenter pacifice cum illis viuit, & in pace concordi ea adinuicẽ ligat: nam fortitudo vitæ est tam inæquali lucis sibi similis attractione, quam in superflui tenebrarum naturæ suæ oppositarum expulsione: vnde fit vt debilitata systole, & in statu suo natiuo manente Diastole, natura oneretur superfluitatibus; nam hic est superfluitatum introductio fortis, earum vero expulsio debilis, ita vt licet calor naturalis sit in suo gradu naturali, tamen vapores fuliginosi & inanes Orthopnæam & Disnæam producere, & præternaturaliter agere solent, atque etiam tam in his quam sine his febres excitantur, propter putredinem contractam ab aere corrupto & inutili, & inani in corpore manente, qui expelli debet per expirationem, qui sua spissitudine præfocare quasi & vitæ commodos meatus obturare solet, atque etiam sua natura inutili facile ad corruptionem vertitur. Hinc pulsuum æqualitas cum celeritate, propter angustationem & compressionem in obturatione, hinc febrium & morborum acutorum siue putridorum seu contagiosorum origo atq; initiũ, q; quidem ad hunc vsque diem non perceperunt Medici: Nam vbi vis expulsiua non est in igne cœlesti vitæ, ibi Michael, qui vitæ est Princeps, & malignorum spirituum expulsor, dominator quiescit (voluntate diuina) à suo officio, propter hominum peccata, vnde dæmones naturæ vitæ contrarij, qui in aere superfluo & minime vtili (hoc est magis inani) habitant, possessionem tenent in spiritum humanum atque ita difficultatibus respirandi, & febrilibus affectibus, aut aliis morbis secundum ventos & elementa prauis dæmonibus magis conuenientia autores fiunt. Hic ergo est actionis vitæ, seu cœlestis inæqualitas, quæ cum sit in æquilibrio à natura tam in macro quam microcosmo disposita, necesse est, vt si ab huiusmodi natura decedant in homine, vt vitæ habitus non naturaliter, sed præternaturaliter se habeat in homine, porro etiam si motus systole longior & diuturnior sit in suo tempore quam diastole, sequitur, quod praui spiritus & vitæ aduersarij magnum habeant dominium in tali ægroto; nam parum vitæ pabuli attrahitur, at multus aer superfluus retinetur cum spiritibus suis, tenebrarum filiis, & per consequens vitæ & luci contrariis. Atque huiusmodi naturæ sunt morbi frigidi vtplurimum, imo vero morbi mixti & melancholici: Vnde euidens est, quod motus cordis ad exactam vitæ sanæ dispositionem tendens, debeat esse æqualis in Diastole & Systole, cuius media est illa inter illos duos motus quies, quæ ad cœli medij naturam refertur, vtpote in qua est æqualis portio humidi radicalis & calidi innati, in quorũ æqualitate consistit vitę Sabbatum seu quies, vt systole ad cœlum aereum seu elemẽtare spectat, & Diastole ad illud supercœleste seu empyreum (à quo spiritus intellectuales descendunt) se dilatat atque extendit, mediante quo motu lux Dei intellectualis, & naturæ spiritus viuificus alliciatur atq; attrahatur in cordis thalamum. Diastole ergo in sua fortitudine, officio suo fungitur Michael in prauorum & inutilium spirituum expulsione à cœlo humanó, qui sine eius assistentia damnum inferrent vitæ, & functionibus eiusdem. Diastole autem vires viribus via naturali iungit, hinc natura sua natura gaudet atq; exaltatur, hinc animalis vita continuatur & præseruatur, affert atque introducit Diastole materiam confusam & incultam in læuum cordis ventriculum, Systole purgat ac præparat, & tandem fæces densas expellit, quies vero inter hæc duo materiam probatam & purificatam tanquam vitæ functionibus cõmodissimam retinet. Atq; exacta hæc naturæ operatio in motuum horum æqualitate consistit, quæ etiam & elementorum concordiam denotat, & firmitatem nexus naturæ, quæ fit per istam vitę virtutem à cœlo deriuatam. At vero si adsit inæqualitas in huiusmodi motuum progressu, elementorum quoq; inæqualitatem, atq; nexus istiusmodi naturalis violationem arguit; quam infirmitates sequuntur, quæ nihil sunt aliud, quam intemperies ab inæqualitate motus.

Hic vero quæstio oriri potest, vtrum in vitæ initio Diastole an vero Systole locum priorem sibi vendicet? cui quidem dubio respondere possumus, hocq; non inconsulte, quod Diastole in vita sibi præeminentiam vendicet, quoniam necesse est vt attractio fiat, priusquam vlla fiat expulsio, vel priusquam vlla expulsio esse possit, probatur hoc ex dictis sacræ Scripturæ, vbi reperimus: *Deum in faciem Adami terrestris, inspirasse spiraculum vitæ, qui inde factus est in animam viuentem.* Gen. 2. 7. Vnde patet quod prior erat inspiratio & pulmonis eleuatio, quam expiratio seu pulmonis depressio, atque consequenter quod motus Diastole prior esset in suo actu quam ille systole: nam necesse est vt folles prius recipiant aerem, quam eum expirare queant.

Obseruationem autem quandam de vita seu morte in extremo infirmi periculo notabilem ex horum cordis motuum indifferenter ad inuicem se habentium actione collegimus: Nam tam ego quam & alij animaduertimus, in extremo mortis periculo, & in vltimo quasi suspirio, quod si inspiratio seu motus Diastole sit longus, & ille systole curtus valde sæpe viuit patiens, vbi morbus est ex cãlidi innati defectu. Cuius rei ratio in promptu est, videl. quia calor natiuus in corpore ægroti adhuc relictus fortiter agit in sui similis ad se attractione, & ab ipso sic attracto iii tantum multiplicatur atq; reficitur eius deficiens vigor, vt prauis spiritibus vitæ oppositis resistere iam valeat, atque ita ad pristinam sanitatem plerumque restituitur. At vero si motus systole, quo expiratio fit, sit longus & Diastole curtus & subitaneus, hoc quidem est maximum mortis indicium, quoniam calor natiuus iam debilis, vires suas adhuc magis in forti superfluorum expul-

sione

ſione expendit & conſumit,& propter debilitatem ſuam in attractione nihil quaſi cęleſte ſibi rapit,quo reficiatur & augeatur: vnde fit vt paulatim extinguatur. Hinc etiam oritur duplicis reſpirationis ratio in Melancholicis;quoniam ſcil.aer ſeu ventus fuliginoſus inſpiratus non totaliter exſpiratur,vnde plenã inſpirationem impedit,quare cogitur natura vim atque actionem ſuam reduplicare; Sic etiam videmus,q; repleto ventriculo flatibus,alimẽti deglutitio impediatur,vnde fit vt bis vel ter deglutiẽdum ſit, priusquam victus per œſophagum ad ventriculi fundum mediantibus fibris rectis deduci queat.

Super hæc deniq; fundamenta conſiderare firme poſſumus,primum,quales ſint angeli illi qui vim habent in hominem internum, ſimiliter quot ſint, atque quæ ſint illorum officia, de quibus in libello præcedente de ſpermatis myſteriis,atque etiam in tractatu noſtro Genethlialogico (de quo in technica microcoſmi hiſtoria egimus)abunde loquuti ſumus, vt igitur videmus in corde tres actiones verſari,quarum ſuperior tantum in dilatatione conſiſtit, media in dilatatione & contractione ſimul atq; infima in ſola contractione,ita etiam facillime decernendum eſt quamlibet harum actionum reſpectum ſeu relationem habere ad tres mundi regiones,videl. Empyream ſeu ſupercœleſtem, Ætheream ſeu cœleſtem,& elementarem ſeu ſublunarem; nam paſſiones piæ atque bonæ & iuſtæ(quæ à cordis dilatatione producuntur)ad naturam angelicam ſpectant,& conſequenter ab angelo ſuperfatali mentis cuſtode,cuius manſio propria eſt in regno ſupercœleſti, ſubiiciuntur,mediante quo,(teſte Iamblico)nos agimus talia,qualia hic adducit in mentem,atque eatenus nos gubernat,quoad ſacri præfecti dominium pro dæmone commutemus. Tunc angelus hic Deo cedens vacat ab opere,vel conducit ad idem. Porro etiam actiones vitæ commodæ(quæ ab æquali cordis dilatatione & contractione ſimul tanquam organis excitantur) ab angelo Olympico ſeu fatali(dominium habente in mundo cœleſti)procedunt primitus: atque hic angelus ſubiectus eſt angelo illi qui mentis eſt cuſtos. habetq; non aliter curam animæ ſeu vitæ, quam eius ſuperior eſt mentis director. Vnde dicit prædictus Iamblic.(nõ niſi vnicum dæmonẽ hominis interno male attribuens) *hic dæmon fuit in exemplari antequam in generationem animæ laberetur, quem cum primum anima ducem accepit, aſtat ipſi dæmon,expletor ſubinde vitarium, animamq; deſcendentem alligat corpori,commune eius animal ipſe curat, vitam animæ propriam dirigit, & quodcunq; ratiocinamur,exhibet ratiocinandi principia, agimus talia qualia adducit in mentem, gubernatq; nos, vſque ſacris operibus expiati Deum ſubeamus pro dæmone ducem*,&c. Iamblic. Et certe actiones poſteriores,primario ſeu mentis angelo agnoſcimus rectiſſime à Iamblico aſcribi, Sed vt immediatus ſit etiam vitæ cuſtos hoc prorſus negamus,quoniam diuerſas eſſe nonnunquam videmus vitæ & mentis actiones, vnde anima media à Platonicis dicitur mentem negligere,& animæ animali ſeu naturæ ſublunari adhærere: Quod ſi non niſi vnicus angelus & menti,& animæ,& ſpiritui attribueretur,ſequeretur operationes vnius & alterius ſemper eſſe conſentaneas, quod quidem falſum eſſe nos docet experientia, vtpote demonſtrans, Triſtitiam, lætitiam, ſpem, deſperationem,inuidiam,odium,omnino eſſe oppoſita,quorum vnica actio, videl. dilatatio à natura ſupercœleſti,contractio vero à ſublunari deriuatur. Concludimus ergo alium eſſe mentis angelum,alium animæ,ſed ipſum animæ angelum dicimus non aliter illi menti ſubiici, quam anima ipſa menti,cuius eſt vehiculum; Et quamuis angelus cœleſtis ſeu dæmon Olympicus illum habeat mentis angelum pro ſuo principe, tamen nonnunquam ſuo principi inuenitur rebellis & peruerſus,iuxta illud: *Ecce qui ſeruiunt Deo non ſunt ſtabiles & firmi, & in angelis ſuis reperit Deus prauitatem.* Iob. 4.17. Hinc ergo Platonici agnouerunt in hominis interno tria,videlicet mentem quæ eſt eius ſupremum,cœlo Empyreo correſpondens, medium vero ſpiritum, animam vitalem infimum cum ſupremo ligans, vnde & de vtroq; participat. Hanc autem portionem volunt ab illa ſuprema differre,vt vita ab intellectu in ſpiritualibus, & cor à cerebro in materialibus, quæ vaſa ſunt apta ad has duas cœlorum dotes recipiendas,etiam ab inferiori differt,vt cœleſtia ab elementaribus. Infimum denique animam animalem ſeu ſenſibilem vocant,quod à ſpiritu elementari conflatur: Concludunt ergo quod mens nunquam malo conſentiat, errori ſemper reſiſtat,& ad optima hortetur. At portio infima in malo,& peccato,& concupiſcentia ſemper demergitur, & trahit ad peſſima; nam de hoc ſentiebat Paulus,quando dixit: *Video aliam legem in membris meis, & captiuantem me in lege peccati.* Mentem nunquam damnari dicunt,ſed punitis ſociis illæſam abire ad ſuam regionem, ſpiritum vero medium cum ſit natura liber,vtrique extremo ad libitum adhærere poſſe credunt; aiuntq;,quod ſi ſuperiori hoc eſt menti conſtanter adhæreat natura illa media, illi tandem vniatur & beatificetur donec ad Deum tandem tranſeat, at ſi neglecta mente ſeu ſuperiori ad inferiorem ſibi portionem inclinet, deprauari aſſerunt & corrumpi, donec efficiatur malus dæmon. Ex quibus colligitur,quod naturæ horum trium vnius hominis portio ſint diuerſæ ad inuicem, & per conſequens ipſas duces variarum conditionum ipſis præſidentium habere, quorum dæmonum ille qui inferioris portionis curam poſſidet, eſt peſſimus,eſtque quaſi nati malus genius,vti ſuperior bonus ipſius genius ſeu Archangelus nuncupatur. In infinitum poſſumus huiuſmodi diſcurſum dilatare, tam amplus enim eſt eius diſceptandi campus, at vero, quoniam alia nos auocant, cor quidem ſpirituale & eiuſdem actiones relinquendo, de illo materiali verba licet pauca faciemus.

CAPVT

CAPVT VII.

De corde materiali, eiusdem instrumentis, & ratione nutritionis eiusdem.

ANatomiæ experientia docti obseruamus, quod vt sinister cordis ventriculus circa spiritus inuisibiles versatur, & ad illorum vitalium creationem intentiones suas totas conuertit, ita etiam ventriculi dextri officium est, non solum elementa cordis materialia fabricare, statuminare & reficere, verũ etiam flabellum eiusdem condere, nutrire, & in statu salubri continuare: nam ille idem in corde motus qui ad cordis dilatationem pergit, Diastole dictus, præter spiritus aerei introductionem, sanguinem extrahit à vena caua, in dextrum suum ventriculum, in quo tempore quietis præparatur atque attenuatur ille sic introductus sanguis, cuius pars densior & ponderosior per venæ cauæ ramulum ad cordis basin ascendentem quæ coronaria dicta, ad substantiæ cordis nutrimentum transit, mediante quo ramulo per vniuersum cor materiale, dispergitur sanguis venalis, ad nutriendum ordinatus, non aliter quam ex parte ei opposita ramulus ab aorta (priusquam à corde egreditur,) procedens, spiritibus vitæ inuisibilib. illud imbuit, hocq; ad substantiæ eiusdem viuificationem, vt ramus ille à vena caua illis naturalibus ad nutritionem destinatis: Tenuior autem sanguinis in corde præparati atq; attenuati portio, ad pulmonis seu cordis flabelli substantiæ incrementum, & præseruationem seu nutritionem per valuulas semilunares tres, mediante vena arteriosa transfertur inipsius substantiam, in quã vndiq; se per ramulos seu riuulos dispergit. Atq; hoc modo cõditur atq; reparatur organon hoc principale, cui in opere suo assistit pulmo. Cor ergo parat sibi alimentum tam spirituale quam materiale quo sustinetur, & in suo statu existit, instrumentisq; seu follibus suis in suo esse præseruat, sine quibus plane mancum & deficiens est in opere suo: His ergo vitæ organis in integro suo statu persistentibus, tota machina microcosmica tam vitæ spiritibus irrigatur, quam caloris natiui radiis vndiq; viuificatur atq; illuminatur, non aliter quam solis præsentia, qui à Deo haurit vt è fonte suum esse, quo vniuersus mundus sustentatur, trahit suam vitam, suum esse, suam lucem, suum spiritum, suum totum à Deo, & tum postea nutrit liberaliter omnia quæ in mundo cõprehenduntur: Vt etiam sol ille mundi visibilis (quem Plato vocat *visibilem Dei filium*) est exemplar filij eius inuisibilis, seu spiritus increati, & lucis seu emanationis, ita etiam & cor visibile habet & suum spirituale, ad cuius similitudinem formatur, inuisibile autem rei eius spiritum vocamus, in quo habitat anima, quemadmodum iterum in anima mens, & in mente verbum, vt cum Merc. Trismeg. loquar. Atque hinc est quod mystici Doctorum atque Theologorum Hebræorum & Cabalistarum Doctores in hoc consentiant, videlicet quod omnes res inferiores sint repræsentatiuæ superiorum, & vti fiat inferius, sic etiam agatur superius. At iam hoc in loco breuiter & quodammodo abrupte hunc nostrum de corde discursum dissoluemus, vt saltu leni ad cerebri mysteria transeamus.

SECTIO-

SECTIONIS I.
PORTIONIS III.
PARTIS III.

LIBER QVINTVS.

IN QVO CEREBRI SEV COELI COELORVM IN MICROCOSMO explicantur mysteria.

CAPVT I.

Vbi Cerebrum in microcosmo tam in suo situ, quam vsu, cælo Macrocosmi Empyreo comparatur.

MERCVRIVS Trismegistus mentem agnouit esse animæ vitalis præsidem, vt & animam cœlestem seu vitalem eundem ait respectum habere ad spiritum elementarem, quiei subiicitur, quam illa ad mentem cui similem solet obedientiam præbere, Photinus ergo cum cæteris Platonicis tria agnouerunt atque posuerunt in hominem internum, videlicet supremum, infimum, & medium, per supremum illud diuinum intelligunt, quod mentem seu intellectum illustratum vocauerunt; atque hanc mentem superiorem hominis interni portionem fecerunt. Quam Moyses per ipsum vitarum spiraculum à Deo vel à spiritu eius in nos spiratum significare voluit; vt igitur in homine externo cerebrum tertium seu supremum locum sibi vendicet, quod osseo quasi lapideo munimento vndique circumsepiatur, sic etiam cerebri internum est mundus intellectualis, in quo mens & ratio regnant, non aliter quam verbum Dei atq; eius creaturæ rationales angeli scilicet in cælo tertio seu supremo sedem habent, quod ideo intellectuale & rationale à Beda, Isidoro, & aliis dicitur: Cerebrum ergo spirituale est quasi anima ad illud materiale, atque vt in sacro scripto reperimus, *quod mons Sion sit rupes sancta in qua Deus habitat*, sic etiam intra mænia huius rupis eminentis Intellectus illustratus in suo spiritu empyreo sedem & dominium habet: nam vt cælum Empyreum se habet ad illud cæleste atque Elementare, ita etiam cerebrum spirituale respectu illarum regionum spiritualium ei subditarum videlicet Thoracis atque abdominis considerandum est; Sic enim dicitur Deum in cælo macrocosmi cælorum habitationem suam habere, sic mentem, seu vitarum spiraculum, in regione microcosmi regionum thronum suum possidere, videlicet in totius corporis summitate. Quatenus ergo cerebrum spirituale est intellectus atque rationis sedes, eatenus certum est in microcosmo locum illum ipsum vendicare sibi, quem spiritus cæli Empyrei in macrocosmo, præterea dicitur, quod Deus inspirauerit in faciem Adami spiraculum vitarum non in pectus, seu ventrem, sed in supremam hominis portionem, quam eligebat pro spiraculi sui diuini sede, quasi cælum cælorum antiquorum quod in sidet ipse. Ex his ergo sat liquido explicatum putamus, quod cerebrum non modo loco, sed etiam dominio & dignitate primas teneat tam in cor in media microcosmi regione consistens quam in hepar, quod est regionis eius infimæ princeps, quatenus scilicet cerebri anima rationalis potestatem habet in illam tam vitalem, (cuius palatium est cor) quam naturalem quæ in hepate regnat. Hinc igitur Merc. Trismeg. *Quibuscunque animis mens præsidet suo illas fulgore illustrat, earum moribus malis resistens.* Vnde etiam alibi concludit, *quod anima mentis præsentia destituta, nec agere quicquam, nec dicere potis sit.* Vnde liquet, quod, vt mens dignitate præcellit animæ, sic etiam sequatur, quod eius diuersorium nempe cerebrum sit ei animæ multis gradibus anteponendum. Ex quibus colligere fas est, quod cerebrum in microcosmo habeat eundem in sua dispositione respectum quem cælum empyreum in mundo maiori.

Ps. 68. 34

Piman. 12.

Pim. 10.

Caput II.

De plexus choroides mysterio, & de admirabili naturæ conatu in sanguinis materialis & grossi in subtilem & spiritualem reductione, quo docemur, quod eius conamen sit, res terreas in naturam cœlestem reducere.

ANatomiæ peritiores, obseruatione haud impertinenti instructi, plexum in cerebro choroidem seu choriformem (quem ob stupendam ipsius structuram Laurentius, rete *admirabile* nuncupauit, & Columbus *plexum reticularem*) ortum suum à rete mirabili ex pia matre texto habere dicunt, nam ex venularum & arteriarum textura labyrinthica per tenuis membranæ portiunculam excurrente componitur: quod autem ad eiusdem positionem attinet; membranam seu telam hanc in ventriculis cerebri anterioribus collocari docemur, in quibus super humorem limpidum in iis contentum, non aliter natat, quam cor in pericardii humore balneari videmus. Huncautem plexum existimant esse ad expirationem, inspirationem, & afflationem in ventriculos anteriores vtilem, mouetur enim cerebrum per Systole & Diastole non aliter quam cor; idque ad spiritus animales grossos adhuc & instar fumorem in hoc plexu contentos, coquendos, præparandos & alterandos atque attenuandos, priusquam perueniant ad sensum naturalem seu ventriculum tertium, in quo dictorum spirituum præparatio absoluitur & perficitur, vt ad ventriculum quartum seu vltimum traducantur: Concludit ergo inter alios Columbus, horum vsum ad spirituum animalium generationem præcipue esse destinatum, In libello huius secundo, vbi de sanguinis mysteriis egimus, videlicet in capitulo eiusdem 3. in quo Naturæ in microcosmo laboratorium chimicum cum suis vasis explicauimus, tria esse vasa seu organa euidentia demonstrauimus, mediantibus quibus succum semper purum ab impuro subtili modo & secernendo separat, & quodlibet massæ elementum ita segregatum, in proprium quoddam receptaculum transmittit. Horum autem vasorum vnumquodque operis dignitate super alterum habet præeminentiam, videlicet hepar (quod est vas Alkimiæ naturalis secundum) super ventriculum, (qui est primum eius vas) & cor (quod est tertium eius vas) super hepar, & plexus huiusmodi choriformes (qui in supremo laboratorii naturæ loco habentur.) Nam ventriculus (qui est vas naturæ circulatorium, quod infimo seu visceribus non equinis sed humanis, cum suo subiecto purificando, imponitur,) est illud organum occultum, in quo prima fit alimenti puri chilosi, ab impuro fæcali extractio, quorum denique separatio fit in intestinis per filtrationem à mesaraicis factam: non aliter quam circulatione in balneo præeunte, spiritum vini cum suo phlegmate à fæcibus eiusdem à chimico perito separatum & extractum videmus. Atque vt hanc aquam vitæ adhuc impuram & aquositate sua mistam videmus in vase secundo impositam, & ad balnei rorem expositam, quo purior adhuc spiritus vini à suo impuro & aqueo diuidatur, sic etiam & materia chilosa per filtrum à terrestribus fæcibus diuisa, in vase suo secundo (quod est primo magis tenerum & delicatum) coquitur, mediante viscerum vapore hepar circumambiente, in qua coctione aquea massa ab illo aereo seu sanguineo secernitur, & deorsum in mare vesicæ per renes expellitur: sanguisque grossus aeri grosso assimilatus, vndique per corpus ad membra eius grossa nutrienda transfunditur. Porro etiam ad exactiorem adhuc spiritus venæ ab aquositate sua purgationem, in vas tertium indendus est ille cæteris dignius, cor scilicet. Vnde per venam cauam ascendentem assurgens iste sanguis primæ præparationis, eius portio in dextrum cordis thalamũ immittitur, vbi igne tertii regiminis calori solis assimilato circulatur, atque attenuatur in naturam magis igneam, vt ille sanguis sic purificatus, pro leui pulmonum pabulo inserviat, & se habet vt purus spiritus vini visibilis, fæx vero aerea (quæ etiam huiusmodi elixatione attenuatur & purificatur) ad vasis nutrimentum, cordis scilicet, concurrit. Ex his igitur notandum est, quod fæx prioris operationis in ventriculo effectus est terrea, Cuius receptaculum est intestinum colon: fæx secundæ operationis (quæ in Hepate fit) est aquea, cuius receptaculum est vesica, & dicitur sanguinis serum, fæx tertiæ operationis est aer, & est vtilis ad cordis substantiæ nutritionem: Denique sanguinis tam arterialis quam venalis portio depurata ascendit ad cerebrum, & plexus illos reticulares sua textura ibi constituit.

Hic autem cum diligentia obseruandum est, quod vt elementa vini naturaliter appetunt regionem ipsis à natura destinatam (quemadmodum in experientia à nobis comprobata, & in physica macrocosmi atque microcosmi historia explicatum est, vbi aquam super terram natantem, & aerem super aquam, & ignem super aere, & quintam essentiam, seu elementum cæli super ignem depinximus, quod etiam experimentum inclusum, cuius subiectum erat vinum, Regi nostro sereniſſimo, non sine magna eius admiratione quondam dedicaui) sic etiam pars sanguinis cælestis, tertiam & summam hominis regionem naturali inclinatione appetit, pars ignea regionem eius mediam tenet, & infima eiusdem regio comprehendit aerem; quare necesse est credere, quod sanguis tam venalis quam arterialis, qui ad cerebri plexus ascendit, sit valde subtilis & tenuis, & se habeat vt subtiliſſimus vini

vini spiritus, qui adhuc est visibilis, cuius pars aerea igneæ naturæ dat ei corpus, quam à venalibus ramulis accipit, & eius pars ignea æthereæ naturæ, est quasi eius anima: est ergo in huiusmodi plexu vena instar fœminæ, & arteria instar masculi, quorum ad inuicem coitu nouus & spiritualis producitur partus, qui est inuisibilis, vtpote qui non nisi ad intellectus visionem pertingere queat, vti infra declarabimus. Concludimus ergo, quod istiusmodi plexus admirabiles supremum in laboratorio naturæ vas denotent, quod sanguine subtilissimo venali, atque purissimo & tenuissimo arteriali impletum, in balneo Mariæ, hoc est in aqua limpida, ventriculis anterioribus cerebri contenta, caloti simplicissimo exponitur, virtute cuius spiritus sanguinis inuisibilis & occultus; à suo fonte extrahitur, & instar spiritus vini decies destillati euanescit ab oculis humanis, vt officio suo spirituali, spiritualibus fungere queat dominis, videlicet phantasiæ, imaginationi, rationi & intellectui, atque vt pabulum inuisibile & ipsis conueniens præbere queat.

Caput III.

Quomodo mediante membrana choriformi, hoc est plexu & textura eius admirabili, non aliter generatio spiritualis & inuisibilis in cerebro sit facta, ad rationalium idearum conformationem, quam mediante plexu illo admirabili, qui fit à vasis seminalibus, à græcis Anastomosis dicto, generatio corporalis & visibilis facta est.

Dixit Hermes in tabulis suis Smaragdinis, *Quod est superius, est sicut illud quod est inferius, & viceuersa.* Et Doctores tam Hebræorum, quam alii in Cabala peritiores, Res omnes inferiores superiorum repræsentatiuas esse, & vti fit inferius, ita etiam superius fieri asseueranter dicunt. Sed & hoc verbis quidem expressis in sacris literis inuenimus quæ sunt huiusmodi. *Per fidem agnoscimus quod semper ita actum sit cum mundo per verbum Dei, vt ex ijs quæ videri non poterant, fierent ea quæ possunt videri.* Quis etiam hominis seu infantis externum iconem seu visibilem, prius in eius interno seu inuisibili fuisse delineatum ignorat? Cum & hoc ipsum à sacris literis luculenter sit declaratum, dicentibus, *Massam meam vident oculi tui, & in libro tuo hæc omnia sunt scripta, ex quibus diebus formabantur, cum nullum eorum adhuc extaret:* quibus declaratum est, quod imago visibilis rei corporeæ fuerit prius inuisibiliter in suo spiritu depicta, antequam species visibilis appareret. At veto, hercle, videtur, quod huiusmodi effigies spiritualis in spiritu intellectuali fuerit delineata (iuxta illud præcedens *massam meam vident oculi tui, & membra mea in libro tuo sunt scripta, cum nullum ex ijs extaret*) priusquam aut cor, aut nepar fuerint formata, iuxta Hippocratis sententiam, nam vt mens diuina erat ante vitæ anima, vtpote cuius præsentia illa vita existit, sic etiam spiritus Dei depingebat speciem humanam in spiritu mundano inuisibili, antequam visibiliter oculis appareret, vnde non inepte concludendum censemus, quod huiusmodi actio occulta & spiritualis in cerebro semper maneat, vbi parata est ad formas inuisibiles fingendas, non modo phantasticas & imaginarias, verum etiam essentiales & veras, quæ inuisibiliter per arteriam magnam in vasa seminaria arterialia descendentes, efficiunt spermatis semen, quæ est anima, seu internus generati homo: quod quidem & luculenter declaratur ex coitu illo Gennensi, vbi ex forti Mauri nigerrimi in lecti cælo depicti, atque in coitu conspecti imaginatione, infante & Maurum & nigrum à parentibus illis albicantibus procreatum fuisse obseruatum est. Vnde liquet, quod generati huius effigies, in spirituali vtriusque parentum cerebri officina primum inuisibiliter fuerit depicta, aut fabricata, priusquam in actum visibilem esset producta. Nonne etiam ad visiones & imaginationes fortes, tam in somno, quam in vigiliis cudimus, quæ à falso aeris per nares inspirati, aut ab illo aere in sanguine male temperato incluso, oriuntur? At qui mente & ratione est sanus, & sanas, veraces, atque diuturnas producit in cerebro ideas, quæ Deo instar victimarum quotidie offeruntur, vitæ & totius hominis regimen instituunt, & visibiles in procreatione carnali producunt effectus: De spirituali ergo huiusmodi generatione intelligi vult Sapiens vbi dicit, *Castæ generationis immortalis est memoria, nam apud Deum nota est & homines.*

Ad Hebræos cap. 11.

Psal. 139. 13.

Sap. 4.

De generationis huiusmodi ergo spiritualis mysteriis, hic paucis agemus; quam in cerebro principaliter fieri supra declarauimus, videndum est ergo primo loco qualis sit inter organa generationis corporalis atque illius spiritualis relatio; Dicimus ergo, quod ad generationem corporalem, vasa spermatica bina tam in dextra abdominis parte, quam sinistra esse disposita, quorum vnum est vena alterum est arteria, cui respondent membranulæ duæ choriformes, ad quarum cuiuslibet compositionem concurrunt venula & arteria: quarum vna in dextra cerebri parte, altera in sinistra sita est. Porro ad generationem corporalem, plexus est factus admirabilis Anastomosis dictus, in quo vena cum arteria, & arteria cum vena textu admirabili ad instar telæ seu hederæ implicatur: Nonne etiam eodem plane modo videmus plexum similem Anastomosin dictum ex arteriæ & venulæ implicatione fieri, in huiusmodi membranulis binis? Tum postea in implicationis inferioris ad generationem corporalem destinata basi videmus esse vasa duo quæ elaborantia seu epididimes dicuntur, vtpote quæ concoquunt, & sperma cum semine mistum vniunt, & simili plane modo videmus, quod bini anteriores cerebri ventriculi, loco refrigeratorii coagulando inseruiant,

ne ſpiritus hi cæleſtes (qui quodammodo, licet inuiſibiliter incorporari debent) in vanum euaneſcerent, Hic ergo reales ſenſibilium imagines imprimuntur, vtpote vbi ſenſus communis tanquam ſpeculum formas rerum corporalium ſenſibus externis ſubiectas recipit. A teſtibus etiam in generatione carnali abſoluitur ſpermatis perfectio, expurgando & ſeparando groſſum à ſubtili, ſic etiam virtus æſtimatiua in ſenſatis à ſenſatis elicere dicitur in tertio cerebri ventriculo, in quo ſpirituum præparatio abſoluitur & perficitur; Denique ſperma præparatione, elaboratione, & expurgatione ſic perfectum & completum, per virgam virilem in vuluam muliebrem reconditur ad tempus à natura ei deſtinatum. Nonne etiam ratione pari per foramen quod inter nates adeſt emittuntur huiuſmodi ſpiritus animales ita præparati in ventriculum quartum, qui ſitu eſt infimus, hoc eſt in memoriæ ſellam quæ eſt quaſi animæ theſaurarium ſeu potius myrothæcium in quo ſingula, quæ vel imaginando vel cogitando ſeu æſtimando, imo vero & imperfecte ratiocinando agimus, coaceruantur? Atque ita in hoc memoriæ tabernaculo tanquam in vtero materno continentur huiuſmodi conceptiones, donec maturæ ſint, vt tum poſtea creaturæ huiuſmodi ſpirituales ita maturatæ, ſuum ſubtile in occulta rationis & intellectus ſpiracula remittendo ſpiritualem faciant regenerationem, ad imitationem finis vltimi in natura, in qua eſt vera & infallibilis viſio, & iſtiuſmodi infans tam purus eſt vt ſeipſum coniungat cum Deo. Vti infra declarabimus.

Caput IV.

De regeneratione ſpiritualiſſima, quæ producit infantes rationis & intellectus.

QVemadmodum intellectus & ratio dignitate longe eminentiores ſunt ſenſu & motu, ita etiam neceſſe eſt vt ſpiritus duplex vnus alio dignior, ad has duas animæ functiones præſtandas requiratur, nam vnus ſe habebit vt anima ad corpus, alter vero vt corpus ad animam, nam vt ſenſus & motus ſunt rebus corporeis proximi, vtpote qui immediate circa corpora verſantur, ita etiam & ratio & intellectus ſunt ſpiritualibus ſupremi generis vicini, & in idearum ſpeculationibus verſantur: Ad ſenſum ergo & motum ſpiritus animales groſſioris diſpoſitionis requiruntur, vt & ad rationem & intellectum tenuiores & puriores. Vt igitur ſpiritus ætherei ſe habent ad illos empyreos & ſupercæleſtes, ſeu vt illi aerei ſe habent ad illos æthereos, ita etiam & ſpiritus illi animales qui ad ſenſus & motus officia complenda operantur, ſe habent ad illos qui circa res rationales atque intellectuales verſantur: Nam ſpiritus cæli in macrocoſmo empyrei (qui & intellectuales dicuntur) ad ſpiritus animales in microcoſmo reſpectu vtriuſque puritatis referuntur; Hinc ergo liquet, quod integer ſpiritus animalis, ſeu ſperma (quod eſt inuiſibile) in plexu choroide præparetur, & in tertio ventriculo perficiatur, & in omni reaſſimilatur ſpermati viſibili ad materialem generationem deſtinato, quod, vt eſt ex parte groſſa, ſperma dicta, & parte ſubtiliſſima ſemen nuncupata compoſitum, quarum illa ad corporis ſeu hominis externi, hæc ad animæ ſeu hominis interni conſtitutionem concurrit, ita quidem ſperma inuiſibile ſeu animale ex ſpiritu groſſo, qui magis circa ſenſus verſatur, & illo ſubtiliſſimo (qui ad intellectus operationes tendit) conflatur. A ſola ergo quinta eſſentia iſtius ſpiritus ſeu ſpermatis animalis excitatur ratio ſeu intellectus, & ab vtriſque ſimul exagitantur motus & ſenſus, ſpermæ ergo motus & ſenſus à plexu choroide præparatur, & in tertio ventriculo abſoluitur, & per foramen tranſiens à tertio ventriculo ad quartum inter nates, videlicet per anum totum hoc ſperma animale immittitur, cuius ſpiritus pars magis ſpiritualis occultis organis ſeparatur, & in memoriæ cellula reſeruatur, reſiduum partim ad ſentiendi, partimque ad mouendi facultates producendas per neruos in vniuerſum corpus diffunditur, nam ſpiritus inprimis ad ſenſuum facultatem præſtandam neruos adit penetrando, videlicet ad illos opticos videndi gratia, ad quintum neruorum par, audiendi cauſa, & ad tertium eorum par, quo guſtus operetur, & ſic in cæteris; Hinc etiam & motus & tactus cuilibet corporis membro elargitur, tam per dictos neruos & præcipue per ſextum eorum par, (quod ad omnia Thoracis & abdominis viſcera, tam ſenſus quam motus virtutem defert, quam med ante nuca, cuius radix incipit in calami argutia, hoc eſt in poſteriori ventriculi quarti angulo, quod autem huiuſmodi ſpiritus ad ſenſum & motum deſtinatus, ſit magis ſeruilis & inferioris conditionis, quam ille rationis ſeu intellectus, ex hoc luculenter delineatur, videlicet quia ratio in intellectus agentis lumine reſplendens per medium quaſi cerebri theatrum, in cathedra tribunali tanquam iudex erecta, imperat vt rex in ſuo regno, & de obiecto deſiderato iudicat, an ſcilicet ſit vtile nec ne? an odio proſequendum, vel amore afficiendum? ſpiritus vero communis locum nuntii ſupplet, qui rationis mandata mediantibus neruis deorſum ad muſculos fert, & tandem muſculi ſpiritibus animalibus exagitati, & radiis intellectualibus quaſi illuminati, mandata ſuæ principi ſeu reginæ perficere atque complere geſtiunt; vnde euidens eſt, quod rationis ſpiritus ſint digniores cæteris, & eminentiam habeant non aliter in alias ſpirituum animalium ſpecies, quam ſpiritus ſolis in illos aliarum ſtellarum, vel elementum ignis dominium poſſidet in cætera elementa; Subtilior (inquam) & magis imperialis pars ſpermatis primi animalis, in memoriæ ſacrarium reſeruatur ad vſum rationis regiæ, atque pars iſta in memoriæ arcula occulta ſic occluſa, iterum in ſperma ſummi ſpiritualitatis gradus viis & modis abditiſſimis præparatur,

priuſ-

priusquam in rationis matricem proiiciatur, vbi tam diu retinetur & agitatur, quousque ad partum maturum & sanum reducatur, hoc est à potentia in actum rationabilem producatur, & pariatur. Atque hoc modo tres habemus in microcosmo generationes, quarum infima (quæ est carnalis) respondet generationi elementari, secunda, quæ est prima ex spiritualibus (quæ fit ex primo illo spermate animali, quod præparatum est in plexu Choroide, ad sensus & motus procreationem destinata) respondet generationi cælesti seu æthereæ. Ac tandem tertia quæ oritur à sperma te purissimo seu potius semine, & quasi pure ex illo secundo extracto, & ad rationis & intellectus virtutes attributo, respondet cælo stellato. Quomodo autem hæc vltima generatio fiat, ne hominem quidem vnquam audiui, qui probabiliter iudicare potuerit, tam abdita est illa, ac à sensibus humanis occulta. At vero si rem paulo diligentius cõsideremus, percipiemus quidem, etiam istius tam spermatis vltimi, & magis sublimis ordinis conficiendi modum, tanquam rationis seu intellectus coeundi & parturiendi iconem posse satis probabiliter coniecturari: Sed priusquam ad huiusce rei probationem perueniamus, audiamus parumper quid dixerint Anatomistæ, cuius etiam rei & ego ipse, & cæteri in anatomia bene versati, oculati sumus testes; de nonnullis organis in cerebro inuentis, quorum vtilitatem ad hunc vsque diem ignorauerunt anatomistæ.

Caput V.

De organis nonnullis in Cerebro inuentis, quæ ad illa generationis Carnalis referuntur: Et quomodo probabile sit, quod ad generationem tertij seu supremi ordinis conferant.

IN anatomia bene versati agnoscunt, & etiam nos experientia docti intelligimus, quod post fornacem in extremo cerebro cerebellum versus, atque in posterioris ventriculi tertii partis finibus, nonnullæ cernantur partes eminentes, testium seu testiculorum effigiem præ se ferentes. Vnde ab Anatomistis testium nomen sibi non immerito vendicauerunt; Prope hos etiam testes duæ aliæ particulæ, illis paulo maiores atque eleuatiores, se offerunt, quæ ob earum figuram clunes sunt appellatæ: inter quas foramen seu aditus ille situs est, qui à tertio ad quartum ventriculum vbi est sedes memoriæ, conducit, atque hic meatus ani nomine ob eiusdem similitudinem insignitur. In anteriori præterea testiculorum parte ad tertium vẽtriculum se porrigente, alia cerebri portiuncula se præbet, quæ muliebris pubis seu vuluæ imaginem non inconcinne imo vero pereleganter exprimit, porro etiam apud hoc corpusculum glandula visitur duriuscula, colore à cerebri substantia diuerso, hoc est aliquantulum luteo, tenui quadam membrana obducta, atq; hæc glandula torculari affigitur, & penis seu virgæ virilis figuram habet; quibus ex omnibus videre licet, atque ita etiam à similitudine dicitur, quod circa eundem cerebri locum, omnia adsint generationis membra, vel saltem membrorum genitalium effigies, videlicet testium, clunium, ani, vuluæ, & ipsius penis, quæ non aliter hoc in loco inter se disponuntur, quam membra carnali generationi destinata in infima corporis regione: Quod autem ad horum particulorum ita in cerebro dispositorum vtilitatem attinet, in hoc videntur autores discrepare, sibique minime constare: Nam Columbus existimauit, penem à natura ob vasorum diuisionem esse ordinatum: Alii vero sentiunt eum ideo à natura fuisse creatum, vt per eũ tanquam obturamentum animales spiritus, seu sperma prioris gradus in ventriculum quartum includeretur: Alii ad conseruandas memoriæ species &c. De cæterarum vero particularum vsu nihil omnino iudicare potuerunt, & (ac si natura aliquid frustra fecisset) eas quasi inutiles fecerunt & superfluas; Ad vsum penis iuxta Columbi sententiam quod attinet, certe eius figura, color varius, cum tenui membranæ obductione, ac tandem eiusdem torculari affixione, vsum alium occultum denotare debet, quam vt ad vasorum diuisionem & partitionem ordinaretur, aut vt loco obturamenti iuxta aliorum sententias inseruiret, cum multis corporis partibus illud officium cernamus artificio ab hoc longe differente præstari. Porro etiam cur tam in loco quam in figura & dispositione ita conuenit hæc particula cum testibus, ano, natibus, & vlua etiam iuxta illa posita, nisi quod occultam habeant hæc inuicem, ad illa corporalis generationis instrumenta relationem, non modo figura, verum etiam actione & proprietate. Aut cum cætera etiam membra ad dispositionem huius penis seu virgulæ ita disponantur, cur attribuitur vsus aliquis particularis huic, & non illis, cum natura nihil frustra fecerit? Imo vero ego probabili demonstratione instructus, in istam opinionem incidere coactus sum, videlicet quod tam nates quam anus, & tam testes quam virga arcanam habeant in spirituali & rationali generatione virtutem, videlicet anus & nates ad secretionem spermatis animalis grossi, ab eiusdem subtili, postquam illud sperma spirituale primi gradus in ventriculo tertio esset completum, spissiorque eius pars ad sensum & motum per neruos & spinam medullam porrigitur, subtile in secreta memoriæ arcula reconditur & reseruatur, quæ torculari contigua est, cui penis affigitur; Vnde fortasse sperma hoc tenue seu intellectuale in testibus per secretos & inperscrutabiles meatus penetrans in iis rite præparatur, ad torcularis superficiem conducitur, conductum à pene in vuluam pro-

iicitur, atque ita fortaſſe proles ſeu conceptus rationales tam immediate, quam mediate hoc eſt à memoriæ promptuario hauriuntur. Vel, ſi totum ſperma primum videlicet tam eiuſdem ſubtile quam ſpiſſum, ad ſenſus & motus actionem deſtinantur, tum licebit ſpermatis iſtius intellectualis originem à rete admirabili deducere, cum neceſſe ſit, vt ſpiritus in eius plexibus elaboratus, ſit eminentioris & dignioris naturæ atque proprietatis, quam ille, qui in plexibus choroidalib. attenuatur atque præparatur. Nam vt implicatio in membranis choroidalibus facta, ex venula & arteriola conflatur, ita quidem in rete admirabili non venula cum arteria, ſed arteria cum arteria plexu admirabili implicatur; nam arteriolæ ex quibus contexitur, ſunt ramuli ſeu ſurculi, ex Carotis aſcendentibus exurgentes, quæ vim atque texturam non niſi ſecundarium attribuunt choroidi: Ex quibus manifeſtatur, quod ſpiritus ex huiuſmodi plexu exiliens dignior ſit, atque generis nobilioris, quam ille ex plexu choroide elaboratus, cum ad illius compoſitionem merus ſpiritus cœleſtis, hoc eſt vitalis, (cui ſpiritus intellectualis fortiter adhæret) concurrat, ad huius vero conſiſtentiam ſpiritus ſublunaris ſeu ſanguineus, ſeu venalis cum cœleſti, hoc eſt vitali, ſeu arteriali conueniunt. Vnde colligere fas eſt, ꝙ ſperma illud nobiliſſimum & igneum, ſolummodo dignum vt rationis ſeu intellectus radios ſuſcipiat in plexu retis admirabilis præparetur, & per occultos meatus ad teſtes eleuetur, in quibus à vapore ſuperfluo expurgatur (nam quo magis depuratur iſte ſpiritus, eo clarior & perſpicuior eſt eius hominis intellectus, eo efficacior & certior rationis effectus: Probabilitatis huius rei argumenta ſunt varia, videlicet retis admirabilis ſitus, exaltata ſpiritus eiuſdem proprietas, implicationis anaſtomoſis dictæ ad ſperma fœmininum cum maſculino permiſcendum neceſſitas, generationis in homine triplicis obſeruatio, Ac tandem effectuum genitorum diuerſitas. Ad retis admirabilis ſitum quod attinet, videmus quidem quod eius ſedes ſit immediate ſub cerebro, vnde fit, vt niſi cerebrum detrahatur, non appareat, quare patet, quod eius ſitus ſit iuxta inſtrumenta hæc generationis, quorum pubes torculari affigitur, & conſequenter cerebello eſt contiguus: Porro teſtes profunde immerguntur, & à rete admirabili non multum diſtant. Vnde per meatus occultos mediante vi magnetica ſpiritus in plexu huius retis præparati attrahi poſſunt, & ab iis per penem in vuluam inferri: Deinde per exaltatam ſpirituum in huiuſmodi plexu depuratorum puritatem denotare poſſumus, eos virtuti ſimpliciſſimæ & excellentiſſimæ inſeruire, cuiuſmodi eſt illa rationalis ſeu intellectualis, quæ taliter in microcoſmo ſe habet, vt intelligentia angelica in macrocoſmo, cui ſpiritus igneus ſeu Empyreus, qui eſt omnium puriſſimus, tenuiſſimus, & ſimpliciſſimus, reſpondet vel inſeruit. Poſt hæc retis admirabilis anaſtomoſis, ſeu implicatio admirabilis arguit ipſum altiſſimo negotio, hoc eſt ſpermatis excellentiſſimi præparationi eſſe à Deo & natura deſtinatum; nam vt in ſpermatis cum ſuo ſemine admiſtione & præparatione pro generatione carnali & viſibili, fit venæ cum arteria complicatio, ſic etiam ad ſpermatis animalis productionem & mixtionem ordinatus eſt ſimilis plexus, qui dicitur choroidalis, cuius operatione (teſtantibus Anatomiſtis) ſpiritus animales groſſioris ordinis ſeu primi gradus procreantur, qui ab illis gradus ſecundi non aliter differunt, quam ſanguis venalis ab illo arteriali, ſeu ſpiritus aereus (qui eſt groſſus) ab illo æthereo, qui eſt ſubtilis, atque in huiuſmodi ſpiritibus primi gradus, anima ſenſuum & motus latet, qui in quartum ventriculum migrantes, tam per neruorum paria quam per nucam penetrantes, & ſenſum atque motum procreant per vniuerſum corpus. Porro etiam videmus & rete admirabile etiam huiuſmodi ſibi vindicare plexus, quare fabricæ ipſius natura denotat ſimilem proprietatem cum cæteris plexibus præcedentibus: Nam ſi illud eſſet verum quod Anatomiſtæ affirmant, videlicet quod huius retis vtilitas ſola ſit continere ſpiritus vitales à corde ad cerebrum aſcendentes: Obiicere poſſumus, non ad illud opus requiri huiuſmodi retis ſeu plexus diſpoſitionem, cum videamus maiores longe arteriarum ramos, ſpiritus vitales, cerebro præminiſtrantes, in cerebro vndique diſpergi, quare ad tale opus commune non requiritur plexus retiformis tam nobilis & inſignis, tamque admirabilis. Columbus agnoſcit, quod in arteriarum plexum retiformem conficientium finibus glandula penalis ſeu penis adſit, & alibi narrat, iſtum plexum ad torcular affigi, dicitque ex ſua obſeruatione huiuſmodi plexum admirabilem ex quatuor arteriis conſtructum eſſe, atque alibi dicit, Hoc opus eſſe admirabile, & arte inenarrabili conſtructum opus ab artifice ſummo, cuius de ſapientia prouidentiaque ſilere ſatius exiſtimauit, quam pauca dicere, ac ſi inde arguere vellet, eius officium & proprietatem eſſe occultam, ſibique non reuelatam. Ex quibus colligere fas eſt, quod teſticulorum contiguitas ad penem, penis affixio ad torcular, cui etiam & rete admirabile adhæret, & vuluæ adaptatio ad penem, admirabilem ad generationem intellectualem producant probabilitatem. Nam quid dicam? An rete admirabile ad ſolam ſpirituum vitalium conſeruationem deſtinatur nec ne? cum vaſa arterialia vbicunque per corpus diſperſa hoc idem officium præſtare ſoleant. At natura nihil fruſtra facit; Cur ergo per pluſa conata eſt opus illud perficere, quod per pauciora ad finem optatum perducere potuit? Quid? An penis ad ſolam ventriculorum diuiſionem, An teſticuli & vulua in vanum conditi? Quorſum natium ſeu clunium effigies? Quid? Ani officium plane vanum & inane? nonne impium piis hominibus, & à virtute aberrans peccatum videbitur quæ in natura eſt? nonne accuſanda fuiſſet natura, ſi ipſa, quæ prudens & oculatiſſima in hominis fabrica eſſet ſolet & debet, in ſubſtantia tam nobili quale eſt cerebrum tot imagines & figuras fruſtra efformaſſet? Fecit illa huiuſmodi imagines in infima hominis regione, generationis gratia, Vnde veriſimile videtur illam huiuſ-

huiusmodi imagines in cerebro etiam ob eandem causam produxisse, cum forma rei exterior interioris imaginem depingat. Sic enim DEVS per suas creaturas, hoc est per demonstrationem à posteriori declaratur, sic anima per suum corpus depingitur; nam vt superius sæpe allegatum est: *Omnes res inferiores sunt representatiuæ superiorum, & vti fit inferius, sic agitur superius.* Vnde per superius cœlum & spiritum rei, per inferius eius internum seu visibile denotatur, nihil enim est externum & visibile, quod non habet suum simile internum & inuisibile, à quo procedit; nam (inquit) Apostolus: *Semper actum est in mundo per Verbum Dei, vt ex iis qui videri non poterant, fierent ea quæ possunt videri.* Ad Heb. 11. Denique ab effectu declarantur huiusmodi tres in corpore generationes: nam effectus spermatis corporalis est homo visibilis seu elementaris, effectus generationis inuisibilis primi gradus est phantasticum & in imaginatione depictum, cuius species per sensum tam interiorem quam exteriorem, atque etiam per motum vbique in corpus diffunditur, estque infans hic non aliter medium inter sensibile & intelligibile quam cœlum macrocosmi situm est medium, inter elementare & æthereum; nam generatum corpus est elementum: procreatum phantasticum materiæ cœli assimilatur; ac denique proles rationis seu intellectus angelicam in se habet compositionem: Sic elementum dissolutione in cœlum redigitur, atque natura cœli subtiliatione ac depuratione angelicam induit formam: non aliter quam sanguis grossus & elementaris hepatis cum primo illo & æthereo cordis, subtiliatione facit sperma animale primi gradus, perplexum illum choroidem qui fit ex vena & arteria: Atque hoc idem ad suum simile æthereum, per rete admirabile, subtiliatione in sperma spirituale gradus vltimi redigitur. Habemus ergo hic generationem sensibilem corpori attributam, habemus & illam phantasticam imaginationi assignatam, ac tandem generatio rationi destinata supremum sibi vendicat locum. Sed & hoc luculenter declarare videtur Mercur. Trismegist. in his verbis: *Idea corporis est aer, aëris anima, anima intellectus, intellectus vero* DEVS, DEVS *ergo circa omnia, intellectus seu mens circa animam, anima circa aerem, & aer circa materiam; per materiam prima generationis effectum denotat, per aerem phantasticam facultatem, in quo spiritu agit anima quæ ad intellectum subtiliationi penetrat, qui ad ipsam diuinitatem pertingit.*

CAPVT VI.

De oculi excellentia, & de notabili pupillæ mysterio.

QVANTA sit oculorum nobilitas, quanta illorum virtus, & quanta & quam multa mysteria in iis sint contemplanda quodque illi sint tam spirituales quam corporales, etiam à sacris Scripturis docemur: Imo vero non minor est in oculi natura differentia, quam inter panem hunc temporaneum, & illum spiritualem, qui est verbum; aut inter cœlum & terram: quod etiam ex Genesi cap. 3. 5, elicimus: Vbi dictum est, *quod oculi viri & mulieris erunt aperti. Eritis sicut Dij noscentes bonum & malum.* Num. 31. Et alibi: *Oculi Balami fuerunt detecti à Iehoua, vt videret angelum;* De huiusmodi etiam visione obtusa & perspicua loquitur Euangelista ex admonitione CHRISTI: *In parabolis loquor iis quia videntes non vident, &c. Oculi autem vestri beati quia vident;* Matt. Vnde liquet, quod oculi sint spirituales & corporales: Hinc ergo & oculi ipsi Deo attribuuntur, non aliter quam panis angelis. Vnde dictum est; *oculi tui ô Iehoua ad rectum aspiciant.* Prou. Et alibi; *Oculi Iehouæ in omni loco sunt speculantes bonos & malos.* Prou. Et Iob optime declarat, quales sint Dei oculi, *Oculi Dei,* (inquit) *carnei non sunt, nec vident vt illi mortales.* Iob. 10. Et Psalmista dicit; *Oculi Dei omnia vident, & nihil ab eis occultari potest.*

Quibus luculenter explicatur, quod omnia in mundo mysteria in oculi interni essentia comprehendantur, cum & ipsa cum Deo; cum angelis, & cum occultis etiam in spiritu mundano quibuscunque familiaritatem habeat. Nonne etiam in maioris mundi contemplatione videmus, duos in illo oculos omnem mundi visibilis massam omniaque eiusdem membra conducentes atque gubernantes, videlicet solem, quem Platonici haud inepte dextrum mundi oculum, vt & Lunam eiusdem sinistrum dictitarunt; Et tamen agnoscimus soli visibili inesse oculum mundi inuisibilem, qui & lux mundi inuisibilis à sacris Scripturis dicitur, vtpote qui statuit Tabernaculum in Sole: non enim est massa solaris quæ mundum illuminat, & omnia in eo contuetur. Sed est illa mens diuina, quæ descendens ex throno suo Empyreo, & supernaturali, in solis tanquam substantiæ dignioris meditullio Tabernaculum suum naturale constituit, ei vim videndi, illuminandi, atque viuificandi præbens. Simili etiam plane ratione non est oculus humanus qui videt, sed spiritus ille illustratus ab intellectus seu mentis empyrea sede rationis alis deorsum vectus, per organa visicalia, seu neruos opticos penetrat, & in orbes visionis descendit, atque in eorum meditullia, videlicet humores Chrystallinos, tanquam sedes claritati suæ magis commodas, palatia sua struit, à quorum centris per oculorum pupillas virtutem

emittunt lucidam, ad obiectum aliquod videndum, non aliter quam Sol mundanus suos radios ad terræ seu nubis portionem. Hi autem radii mentis fulgore inuisibili cotuscantes, & è Christallini humoris centro foras exilientes, se paulatim & gradatim dilatant, non aliter quam duæ anguli lineæ ab anguli puncto progredientes ab inuicem tanto magis distare obseruantur, quo magis à centro in longitudinem tendunt. Vnde fit, vt horum ita eiaculatorum basis facta & terminata sit in obiecto viso, vt conus in centro oculi, atque hinc diuinitus speculari possumus, quod vt punctus, seu vnitas istius motus pyramidalis sit in humoris Chrystallini medio puncto, at vero vltima eiusdem multitudo est in obiecto viso: Sic etiam concluditur, quod agens primum in illo centro seu puncto, propinquissimam habeat cum Deo relationem, vtpote qui est vnus & monas, qui se immergit per emanationem suam in multitudinem, vt radius mentis hic à centro, seu medio puncto, seu pyramidis cono ad eiusdem basin, in qua quidem emanatione semper magis magisque se immergit in materiæ profundum, quousque ad pyramidis basin perueniat; Sic enim factus est mundus, & in eiusdem fabrica magis magisque profunde se immersit spiritus diuinus à centro vnitatis in multitudinem mundanam. Vt ergo videmus in radiorum solarium emissione quod in obiecto, vbi est pyramidis basis, radii superficiales concurrant, & reflectantur in basis centrum, vbi ambo extrema simul in media concurrentia, resistentia pari & æquali radiant directo motu ad solis centrum (qui motus dicitur pyramidis axis, hoc est linea formalis per pyramidis medium à basis eiusdem centro, ad ipsius connumtendens.) Sed & hoc confirmatur in eo, quod videmus in speculo concauo rotundo, omnes radios exteriores contrahi in centro, & per resistentiam eorum in eo per rectam lineam ab eo exilire videtur species integra visa; Eodem plane modo res se habet in radiis ab oculi centro ad basin & à basi per centrum eiusdem ad conum reflectentibus; quia quidem reflexione recta veritas de natura externa obiecti sensui visus declaratur, & hoc modo per nuntium spiritualem ab oculi centro ad rationis thronum motu seu reflexione quadam retrograda refertur illud veritatis simulachrum, de quo iudicat ratio, & secundum hoc vel odio vel amore, vel appetitu, vel fastidio, vel neutro instruit animam naturalem, & omnia per nuntios suos instruit corporis membra, vel ad euitandam rem visam, vel ad amore eam amplectendam.

Primum ergo sperma animale, seu spiritus animalis primi gradus, in plexu choroide præparatus, cuius est sensibus & motui inseruire, est nuncius ab intellectu missus, ad faciendam huiusmodi inquisitionem, qui mandatum mentis conducit ad Christallinum oculi palatium, atque illud mandatum in hoc minori mundo est instar Dei verbi in mundo maiori, luce intellectuali & fulgore diuino vndique stipatum, quod est primus tam vitæ quam visionis actus, qui posuit in oculo microcosmico tabernaculum suum non aliter quam verbum Iehouæ in sole: sperma ergo spirituale secundi gradus seu depurationis est immediatum lucis seu fulgoris huiusmodi intellectualis vehiculum, quod non aliter super alas prioris vehitur, quã spiritus cælestis seu anima super illas aeris seu venti: nam spiritus hic ex cremore spiritus vitalis abundanter in rete admirabili affluente atque natante extrahitur, qui cremor supernatans & inuisibilis depuratione factus, se habet ad grossum spiritum animalem vt æther (in quo dotes supercælestes abundant) ad aerem: Nam in eo non modo vitæ, sed etiam intellectus fulgor dominium habet: Atque hæc est ratio, quod imagines in pupilla oculi viuæ & scintillantes conspiciantur, hoc est propter copiosam horum radiorum fulgurantium præsentiam, qui nihilominus obseruantur hominibus extremo mortis periculo propinquis, per tres dies ante obitum abesse & deficere, quod est certissimum apud medicos mortis secuturæ inditium, cuius quidem rei ratio in promptu est, videlicet quia ob naturæ debilitatem, facultas animalis spermata sua præparare ac depurare nequit, mediantibus quibus fulgor intellectualis ad Chrystallinam visionis sedem vehi atque conduci debet; Hoc etiam idem in causa est, quod externo & diuturno morbo laborantibus oculi acies sit tam debilis & obtusa, vt lucem intueri, aut solis radios tolerare non possit, videlicet, quia natura ægritudine debilitata non nisi tarde & debiliter in spirituum animalium consortione operatur: & consequenter fulgor mentis diuinus ad christallinos oculorum montes seu turres speculatorias non nisi parce emittitur: Vnde fit, vt ob animæ huiusmodi fulgidæ defectum teneres reddantur oculi & infirmi.

Caput VII.

De cranei mysterijs. Et de minicula illa in homine portione, adeo à philosophis mysticis decantata quam Luz appellauerunt.

NOn possum ego hoc in loco nonnulla caluariæ mysteria præterire, primũ enim obseruatione dignum existimamus, quod vndique sit constitutionis petrosæ, qua, tanquam arce secura tenerrima cerebri substantia ditissima mentis & animæ sedes muniatur: Deinde, quod eius essentia interna sit quasi fuga dæmonum, cum experientia frequenti facti simus certiores, quod ille morbus Cacodæmonius Epilepsia dictus, seu potius dæmonium huiusmodi morbum inducens, mediante illius in potionibus seu electuariis vsu, seu eiusdem extracto arte chimica effecto & in aliquo conuenienti vehiculo administrato soleat expelli atque eiici. Porro etiam eius rasura vel portio quædam combustione in cineres redacta:

febres

febres quartanas, quæ à pessimis malignorum spirituum obsedentium insultibus procreari solent, propulsare atque curare animaduertitur, quod quidem perficere non posset, nisi magna cælestium virtus atque efficacia huic parti petrosæ adesset, quemadmodum alibi latius explicabimus. At vero, quod ad Epilepsiæ curationem attinet, obseruatum est à nonnullis diligenter inquirentibus, quod in quorundam suspensorum craniis (quod quidem in iis solummodo euenire & inueniri dicunt, qui morte violenta obeunt) crux quædam albicans in aliqua huius ossis integri particula reperiatur, istius quasi magnitudinis, ✝ quæ præcipue in se continet Epilepsiæ curandæ facultatem: atque istam quidem portiunculam magno pretio habere solent, putantque virtutem haud exiguam, & proprietates abditissimas in huiusmodi osse transuersali comprehendi.

Porro etiam Philosophi in occultis naturæ mysteriis summopere versati, de quodam osse in corpore humano occultato mentionem fecerunt, quod ipsi Luz vocauerunt, de cuius interna proprietate ingentia certe & stupenda declarauerunt veteres, Nam de eo hæc scribuntur: *Est in corpore humano os quoddam minimum, quod Hebræi Luz appellant, magnitudine ciceris mundati, quod nulli corruptioni obnoxium, nec igne quidem vincitur, sed semper conseruatur illæsum, ex quo velut planta ex semine in resurrectione mortuorum corpus nostrum animale repullulascet;* Concluduntque has virtutes non ratione sed experientia declarati, Et certe hæc est mirabilis illa in homine portiuncula, quæ à corpore humano nunquam discedit, & per id tanquam custos permanebit vsque ed vltimum diem.

Hæc vobis (lectores beneuoli) scribere in animum meum venit, quo intelligatis, non omnia hominibus vulgariter intelligentibus esse nota, imo vero vt ipsi ingenue confitemini, plura esse hominibus occulta, quam ipsis ad hoc vsque tempus reuelata; In bonam ergo partem, & frontibus serenis, hanc meam anatomiam accipiatis velim, atque vt prius legatis, relegatis ac omnia punctim reputetis, quam temere & inconsulte hos meos labores minime (vt opinor) leuiter respuendos, condemnetis, obtestor: Cum omnia tam rationibus ex philosophiæ fundamentis depromptis, quam philosophorum & Theosophorum imo vero & sacrarum scripturarum testimoniis comprobata habeatis, quæ à nobis sunt dicta & scriptis mandata: Nec satis est dicere hanc nostram doctrinam ideo esse respuendam aut reiiciendam, quia noua videtur, & ad hunc vsque diem minime aperta & diuulgata: quin eo magis iustitiæ trutinis ponderandam existimamus, quo philosophiæ atque medicinæ inter nos tractationem incertiorem esse & fallaciorem deprehendimus, In tractatu autem nostro proximo, de morborum causis disceptante, hæc omnia speramus luculentiora reddere, imo quidem tam euidentia facere, vt neminem credamus mente sana præditum de his rebus amplius dubitaturum. Interea temporis vobis mentes sanas in corporibus sanis ex corde precamur.

FINIS.

MONOCHORDVM MVNDI
SYMPHONIACVM,

Sev

REPLICATIO

ROBERTI FLVD, ALIAS DE FLVCTIBVS, ARMIGERI ET IN Medicina Doctoris Oxon.

AD APOLOGIAM VIRI CLARISS. ET IN MATHESI peritiß. IOANNIS KEPLERI, aduerſus Demonſtrationem ſuam Analyticam, nuperrime editam,

IN QVA ROBERTVS VALIDIORIBVS IOANNIS obiectionibus, Harmoniæ ſuæ legi repugnantibus, comiter reſpondere aggreditur.

Francofurti
Typis ERASMI KEMPFERI,
Sumptibus IOAN. THEODOR. DE BRY.

ANNO M. DC. XXIII.

AD CLARISSIMVM ET EXCELLENTISSIMVM VIRVM

IOHANNEM KEPLERVM, MATHESIS PROFESSOREM CELEBERRIMVM.

QVOD literæ tuæ (breui occasione datæ) tam subitò ad meas peruenerint manus (Vir Excellentissime) lætitia haud exigua sum delibutus, gaudioq; insperato perfusus. Nec quidem velim exoptata earum præsentia me ideo lætum atque alacrem emersisse intelligas, quippe ex quibus simul atque Apologia ipsis annexa indignationem in me tuam publice excanduisse animaduerti; imo vero in eo augeretur & duplicaretur mihi mœstitia, nisi te in mea opera (minime ad hoc vocatum aut incitatum) digitum, ad famæ honestæ violationem armatum, appetitu temerario immersisse persensissem: Sed quia Apologia tua nouiter legati instar publici in lucem prodiens, suũ dominum in eo ipso mihi & mundo quodammodò excusare videtur, in quo vt ipsum acriter discursu meo Analytico accusarem prouida me admonebat cautela, coacta vrgebat necessitas. Verum hercle te admirari dicis, quæ me necessitas ad Discursui tuo Analytico respondendum redegerit, cum nihil sponderis, nihil rogaueris, nihil obieceris. Siccine, mi Iohannes, nobiscum lucis? De coloribus adhuc me posse iudicare nescis? Aut de spiritu plane insensili linguaue contactui minime subiecto me conflatum censes, vtpote qui duros verborum ictus & flagrantia scripturæ vulnera persentire nescio. At quis curiosè arbitrando aut secum de hac re sedulo deliberando, virum, mentis lumine adeo exaltatum, scientia mathematica nemini postponendum, variis animi dotibus per vniuersam fere Europam celeberrimum, & cælorum Harmoniam more suo mathematico diuinitus canentem, in tantam moralitatis antipathiam incidisse, animò conciperet, vt via comparationis nulla præeunte causa cuidenti, ignotum plane & minime ferientem occasionem ve iustam ei præbentem, frondoso quasi verborum fuste contunderet, ac spissis infestisque maleuolentiæ calcibus insequeretur? Et impune te relaturum meas contumelias putasti? aut iniuria tantæ vexationem silentio transeundam, & calamo veritatis argutia imbuto nõ diluendam existimasti? Quis enim mortalium famam & dignitatem suam insolentiæ aspersionibus tabescentem in se rursum mutuo quasi nixu reficere & veritatis Opobalsamo restaurare non contenderet? cum & musca suo splene prædita, & vermiculus felle

muni-

munitus inimicorum inuasiones atque opponentium contumelias omnimodo propulsandas, naturali quodam instinctu videantur declarare. At vero tu in pulpito te pro solito constitutum somniaris, ad Lectores quasi ex eo erudiendos locutũ asserere non erubescis; ac si iusta idoneaque hæc esset contumeliæ Ptolomæo & Roberto oblatæ excusatio, vtpote mediante qua secure & nulla hac in re quæstione imposterum facienda, condita eorum scientiæ fundamenta in proscenium publicum velut quandam victimam voluntati tuæ præbendam produceres. Quid? An quia magnus & regalis ille quondam Ptolomæus (nunc paruæ fati truculentia contumulatus humo) causam suam voce viua agere aut iniurias; vtcunquè erroris crimina honori & dignitati suæ inferentes, propellere nequit; ideo & Robertum, Ptolomæi vitæ licet non gloriæ superstitem, pro se ipso in causam suam harmonicam haud descensurum, eique; etiam fortiter oppugnante Iohanne, licet in re symphoniaca eruditior longe euasisset, licet omni Auditorum & discipulorum choro stipatus, & tota suæ turbæ seu sectæ caterua comitatus; viriliter adfuturum in animo cogitasti? En ergo & ecce præter expectationem tuam (quippe improuisum me è turba coortum dicis, non propria voluntate; sed ratione iusta me ad huiusmodi certamen impellente, Nundinis vernalibus penultimis comparui, in conspectum, inquam, publicum sub Discursus Analytici titulo tam dudum prodij. Nam heus tu; qui comparationem, præsentis contentionis sobolem, occæperas, & sermonem in Harmoniæ meæ leges ieceras priorem, qui gestis in re aliena subtili ipsius Lyncei & multifario Argi intuitu curiosius, quam æquum est, inquirere; non te pigeat vel pudeat, si profusus eiusdem conditionis nummulos verbosos, par scilicet pari referendo, calumniatoris seu detractoris mercedi destinauerim: cum & Christiana sit hæc admonitio, vt alteri non faciamus, quod nobis fieri nolumus, scriptisque mandatum inueniamus, quod oculus pro oculo sit restituendus, sanguis sanguine abluendus, & opprobria verbosa similibus quandoque reprimenda, nam venenum veneno expellere, & scorpio in pulpam contusus proprij ictus vulnera sanare dicantur. Nec sane quicquam contrarietatis tibi aut Harmoniæ tuæ siue malitia in te aliqua commotus, siue ad talem finem inuidiæ stimulis percitus struere aut molire cogitabam: sed causam solummodo meam contra errores in me conijcientem audacter agere duplex me inuitabat occasio, gemina persuadebat cautela: vt scil. imprimis mundi literatis ostenderem, quam sit Philosophiæ peritiori facile quam dotibus ingenij etiam mediocribus induto leue, Philosophiæ suæ fundamenta, vtcunque verbis contumelia delibutis obsessa atque oppugnata defendere: triplici præsertim cum sint demonstratione, tanquam inuictissima armatorum factione munita; validissimis, inquam, Physices armata rationibus, frequente tam Philosophorum quam Theosophorum stipata authoritate, ac denique (& quod omni argumento est efficacius) certissimo conclusionum ocularium choro ab occulto quinque elementorum mysterio, & spiritualibus eorum operationibus deriuata atque confirmata: actum postea, vt Lectori, iustitiæ alis elato indicarem, quod tam mihi Roberto sit possibile clausis quasi oculis & obdurato corde Harmoniæ Iohannis leges respuere & viles facere, quam tibi Iohanni suas refellere iniuriisve afficere: cum non sit volenti difficile prauissimis opinionibus & argumentis probabilitate aliqua statuminatis ea fingere mendacia, & veritati minime consentanea, quæ vel auditu noua, vel supra cogitationis vulgaris captum ardua videantur, quæ nihilominus si paulo accuratius inspiciantur, non modo compertu euidentia, verum etiam factu possibilia, imo vero facilia censeantur. Physices ergo har-

moniæ Roberti baſes tu aſtutia & ſubtilitate mathematica euertere conatus es. Si arte ſiquidem pari & rationibus è naturæ promptuario ſcaturientibus ego illas Iohannis mutuo conatu cõuellere ſim aggreſſus, ideo Iohannem ad iniuſtam indignationẽ arrectum, etiam vltra modum facti (Scholaribus; verboſis in caſtro Mineruæ gladiis luctantibus, familiaris) ſæuiturum exiſtimaret quiſpiam, cum par pari referatur, æquum cenſetur atque honeſtum? At in Apologiæ fine tu crebris te irritatum iniuriis dicis, cauſamque habuiſſe paſſim excandeſcenti. Meam hercle tu cantilenam canis, qui non niſi ſemel te bis ferientem feriens, duplici iam percuſſus verbere, cauſam pro tua vnica geminam habuiſſem excandeſcendi, niſi teipſum pag. 50. comiter aſſerentem ſales & iocos Diſputatorum em bammata fuiſſe *auſcultaſſem. Vt igitur ego duplici apud te Conuiuio iam Philoſophico interfui vocatus, illic deprehendo epularum diſpoſitiones non harmonia adeo phyſica concinnas, quam verborum amaritudine conditas: ſic etiam te ad dapes atq; menſulam meam haud diſſimiles; quamuis non niſi ſemel rogatũ indignatione & tædio magis quam victu; palato arridente; grauatum ſentio, atque ita vtrumque noſtrum video pacis & quietis procliuem. Quare cibariis maleuolentiæ vaſculis raptim remotis noxiisq; inimicitiæ huius poculis vltra montes hyperboreos in exilium relegatis, nos tandem ſic propitiati, querelas ſcil. potius iurgia hæc philoſophica (ſi placeat) abſoluamus: ad amicitiam pro tuo voto accedamus, eam; à lite quamuis philoſophica incæptam, conglutinemus, indulgeamus; habenas, inquam, eiuſdem habeamus laxiſſimas, atque vt ſermoni tuo pag. 50. prolato verbatim fere correſpondeam*: Illa quidem tua æquanimitate ecce me mitigatum atq; propitiatum inuenis, nec video (modo tu æqui boniq; facias) quid impoſterum impediet, quin amicitiam colamus literariam, & quod quiſquis acceperit à Deo Talentum, id in laudem Creatoris inq; proximi eruditionem citra obtrectationem alterius conferat: quæ vero alter ab altero beneſcripta offenderit, ea ab illo cum veneratione largitoris ſpiritus animo grato acceptet atque fruatur. *Enimuero dignum reuera illum iudico extrema ſuſtinere, ſi quid eſt tamen nouiſſimo extremius, qui, minime coactus atque incitatus rixas & contentiones placidæ Dei & Naturæ contemplationi præferre gaudet. Quicunque ergo noſtrum amicitiæ huius à te prius allatæ præſcriptis impoſterum repugnare tentauerit, feriatur merito. At vero hoc te ſcire interea velim, quod vt ne quicquam poſthæc in tuam cogitare perniciem, aut aduerſus Harmoniæ tuæ leges agere mihi propoſui: ſic etiam Deus mihi melius, quam vt mei negligentia vel minima aut Harmoniæ aut Operum meorum Phyſicorum particula vel tantillum indignitatis aut contumeliæ patiatur ſcrupulum. Imo vero ſi quid in Apologia tua aduerſi aliquod ipſorum membrum reſpiciat, id prorſus argumentis à veritatis fonte depromptis (pace tua ſaluisq; amicitiæ noſtræ vinculis) abluere non deſiſtam: in quo nihilominus negocio efficaciam (ſpero) fateatur Iohannes quod Robertus in h eplicatione hac ſua nec* lecum (*vt ait pag.* 4.) in ſerenam frontem torquere, nec in quempiam niſi in ferientem retorquere geſtiat.

REPLI-

REPLICATIO IN APOLOGIAM AD ANAL. I.

AN Iohannes in comparatione ſua *videatur me inſcitiæ accuſare licet occulte* tibi Lectori, cuncta iuſtitiæ trutinis ponderanti, lubens commendo. Et quis in hoc mundo fallaci tam iuſtus, & rei veritate adeo ſyncerus eſt inueniendus, qui rem ſibi propriam cum aliena comparans, hanc illi præferre, aut ſuam alteri vtcunq; præcellentiori poſtponere ſoleat? Iohannes Comparationem inter ſuam & illam Roberti Harmoniam fecit voluntariam. Quid ergo magis eſt expectãdum, quam vt Iohannes ſibi proximus, Harmoniæ ſuæ honores faciat egregios, illam vero Roberti prauiſſimis contaminet opinionibus, tentetq; ſuis aſtutiis mathematicis, vt ea videantur mendacia, quæ veriſſime à nobis perhibentur, factuq; facilia ſentiuntur. At iam nunc exitus acta probabit. Nam

Pag. 41. in hæc verba prorumpit: *Plus diuinorum operum in meis harmoniis detexi, quam tu tuis, qui priuatis de mundo conceptionibus, nullo ſenſu confirmatis, indulgeas.*

At quia Lectorem multitudine foliorum minime ob meam cauſam grauatum eſſe velim, paucis hic illas Cõparationis Iohannis particulas; errores neſcio quos in me coniicientes; recitare atq; remetiri aggredior, quibus Lectori benẽuolo & iuſto luculentius oſtendatur, iuſtam mihi occaſionem oppugnantis contumelias propulſandi, & dignitatem meam inuidiæ apertionib. conſpurcatam, veritatis quaſi fluctibus abluendi atque abſtergendi, fuiſſe oblatam. Verba eius hæc ſunt:

Text. 10. *Propterea in ipſius opere plurimæ ſunt picturæ, in meo diagrammata mathematica literis inſtructa.*

Quid? aut quare hæc inter picturas & diagrammata mathematica Comparatio, niſi quia picturarum vanitatem; diagrammatum vero mathematicorum vtilitatem inde mundo intimaret?

Text. 11. *Videat ipſum plurimum delectari rerum ænigmatibus tenebroſis, cum ego res ipſas obſcuritate inuolutas in Lucem intellectus proferre nitar. Illud quidem familiare eſt Chymicis, Hermeticis, Paracelſiſtis; hoc proprium habent Mathematici.*

Hic mundo quidem innoteſcere videtur, Harmoniam meam ideo inutilem eſſe, quia ænigmatibus tenebroſis inuolutam, atque ita literatos prauiſſimis ſuis opinionibus à mea Harmonia iniuſte deſtrahere conatur, at vero vt ſua in reſpectu & honore haberetur, narrat, eam eſſe apertam, perſpicuam, & vmbris parabolicis penitus deſtitutam.

Text. 12. *Vbi eandem mecum tractat materiam, hoc diſcriminis eſt inter nos: quod ipſe ſumit à veteribus, ego è rerum natura eruo. & ab ipſis fundamentis inſtituo. Ipſe quæ accepit, ea confuſa propter variantes tradentium ſententias, & incorrecta vſurpat. Ego naturali ordine procedo, vt omnia ſecundum leges naturæ ſint emendata, & confuſio vitetur.*

Multa de ſe hoc in loco prædicare videtur, Lector optatiſſime, ſed ſi tẽ paulo accuratius inſpexeris montes promitti, vix colliculos produci ſenties: At mihi interea (cauſa, minime audita vel penitus ab eo ignorata) quam auſterus ſit iudex, quam iniquus arbiter ex ſupradictis eſt colligendum.

Text. 13. *Vbi ego veteres expreſſe refuto de cauſis conſonantiarum differentes, ibi ipſe citra dubitationis aleam ſequitur, de cauſis verioribus ne cogitat quidem.*

Perge igitur trophæum victoriæ tuæ verboſum figere: ſed interea te cauere moneo, ne incompleta tua cauſarum conſonantiæ ſcientia fallaris, quippe quem de fontis ipſarum Heliconij dulcedine non adhuc prælibaſſe, aut Parnaſſum Muſarum ſedem nunquam viſitaſſe ex tuis ſcriptis ſat liquido percipio. Sed perge inquam, cum tua Comparatione, quam (pag. 5. huius) comparationem & non accuſationem vocitare geſtis.

Text. 14. *Vbi Muſicam ille in mundum introducit. Hic vero immane quantum inter nos diſcrimen eſt. Primum quas ille Harmonias docere intendit, ea ſunt mere ſymboliſmi, de quibus idem dico, quod de ſymboliſmis Ptolomæi, poeticos potius eſſe aut oratorios quam Philoſophicos aut Mathematicos.*

Video, hercle, Iohannem ideo Harmoniam meam pro ſymboliſmis potius poeticis quam philoſophicis habere, quia eius baſim Chaos illud ab Ouidio allegatum, Aquas, Lucem & tenebras adeo ab Homero & Heſiodo, imo vero à Vergilio toties decantatas eſſe obſeruauit. At vero ideo nullũ eſſe Chaos, nullas aquas, aut Lucem, aut tenebras, quippe à Poetis celebratas, nemo ſapiens arbitrabitur. Quod denique ſint ſubiecta Phyſices originalia, hoc omnes fatentur Philoſophi, tam ethnici quam Chriſtiani. Quid igitur impediet, quod Harmoniæ meæ fundamenta, ſi pro ſymboliſmis habeantur, non ſint ſymboliſmi philoſophici

magis, quam illa Iohannis, quæ fundantur super circulum in anima & eius diuisiones, quod ideo pag. 16. & 17. probat necessario sequi, quoniam anima est imago Dei: atque hinc inde dicere videtur, quod figuræ omnes Geometriæ in plano deriuentur. Anne quidpiam est hoc magis symbolicum & parabolicum? nam Anima dicitur Circulus atque etiam Deus ipse, sed more analogico & plane metaphorico. Nec tamen pro hoc à Iohannis Harmoniæ legibus quicquam distrahere volo aut cupio, cum & numerus dicitur fuisse principale in animo conditoris exemplar condendorum: sed quomodo? videlicet, quatenus per eum declaratur esse infinitum; nam numero nihil est infinitius. atque etiam per eum Dei immutabilitas declaratur, quatenus nil immutabilius numero & proprietatibus eius. Insinuat ergo numerus Deum simplicem, dum immutabilem, insinuat sapientem, dum præscientem, insinuat incomprehensibilem, dum infinitum, & insinuat mirabilem & singularem, dum hæc tria. Atq; hæc est ratio, quod numerum ternarium tanquam primarium & perfectissimum elegerit Theologia, volens Deum primâ omnium formam exprimere, inde arguens, ipsum esse formarum & Lucis originem. Porro etiam per numerum explicatur eius magnitudo, vnde à Mathematicis triangelus ei adscribitur, vtpote quæ figura in alias nõ resoluitur, nec vllis obnoxia est principiis, sed principium est in omni figuratum geometricarum compositione & in earum resolutione finis, cum tetragonus, pentagonus & reliquæ figuræ ab ipsa procedunt & redeunt in ipsam, est ergo quasi forma prima, à qua materia suum esse accepit, & sine qua esse non potest. Porro forma est accidentiũ insuscepti bilis: Ex his igitur patet quomodo Deus aut ipsa Mens (quæ participat de Deo) dictus est à Sophis numerus, vel circulus, vel triangulus, non quod reuera ita sit, sed per similitudinem, & sermone parabolico ita dicitur. Quare si meæ Harmoniæ sit symbolum, est quidẽ tale philosophicum, vt illam Iohannis fateor esse tale mathematicum, hocque spero sine iniuria aut ad suam aut meam Harmoniam.

Text. 15. *In primo siue Tomo mundum distribuit in tres regiones, vbi secundum illud celeberrimum Hermetis axioma, supera, similia seu analoga facit inferis. Hæc vero analogia vt per omnia succedat, sæpe crinibus trahenda sunt, quæ vtrinq; comparantur.*

At iam nunc quo tendit hæc Iohannis Comparatio, facile me animaduertat Lector: videat, an hæc sit proprie, vt ipse dixit, comparatio vel accusatio. Pergit autem & liberaliter sic mecum agit:

Text. 17. *Ille veteribus fisus, viri Harmoniarum ex numeris abstractis esse credebat, sat habet, si quas inter partes concordantiam demonstrabit, eas numeris quomodocunque comprehendat, nulla cura cuiusmodi vnitates illo numero accumulentur. Ego nuspiam docta quærere harmonias, vbi res, inter quas sunt Harmoniæ, non possunt commensurari eadem quantitatis mensura.*

At toto tu hic, bone Iohannes, in hac tua assertione errasti cœlo, vt in Demonstratione mea analytica luculenter est explicatum, vbi etiam imprimis probaui, te sensum Harmoniæ meę physicum minime intellexisse, atque etiam quod vnitates harmoniæ meæ externo & modo mathematico sumptæ in monochordo mundano (quod Pyramidis cuiusque axem effingo, vbi formæ cum materia gradus oprime explicantur) bene, harmonice, & proportione iusta ad res mundanas secundum Platonis & Procli tui placitum ordinantur, in hoc Tractatulo me satis aperte demonstraturum haud desperabo. Obserua iterum, bone Lector, quanta hic importunitate me premit:

Text. 18. *Præterea ille totum mundum rationis semidiametri in tres æquales partes diuidit, sat cognitum habens, æquales illas minime esse. Sed ideo solum, quia prima vnitas est mundus elementaris, secunda mundus æthereus, tertia empyreus: & vero vnitates pingi aliter non possint, quam a qualitate linearum.*

Hic multum inuenit Iohannes erroris in mala vnitatum applicatione, quippe qui nullas præterquam in linearum æqualitate depictas agnoscere videtur. Vir quidem est in Matheſi strenuus, & demonstrationibus geometricis adeo addictus, vt Vnitatum vere physicarum & formalium nullis dimensionibus determinatarum oblitus sit. Si tibi Lectori placeat, demonstrationem meam analyticam in hunc contextum legere, digneris obtestor. Quis ergo ex hoc eius sermone confutationem potius quam Comparationem non eligeret?

Text. 19. 20. 21. 22. 23. 24. & 25. huiusmodi conditionis atque farinæ esse obseruabis, si eos mente iusta inspexeris. Denique

Text. 26. sic concludit: *Ex his paucis constare arbitror, etsi ad intelligenda mysteria conferta Philosophiæ profundissimæ, quam tradit Robertus, cognitione proportionum Harmonicarum omnino opus est: tamen illum qui vel totum opus meum edidicit, adhuc a mysteriis perplexissimis abfuturũ haud paulo longius ac ipsæ ab accuratissima certitudine demonstrationum mathematicarum recesserunt.*

Ex his igitur vti (credo) Lectorem haud latet, non comparationem, imo vero expressim Harmoniæ atque Physices meæ refutationem, Iohannem per vniuersum Appendicis suæ discursum fuisse aggressum, atque omni conatu pertentasse: quamuis illud in multis suæ Apologiæ locis abnegare videatur, inter quos nonnulla hic recitare mihi proposui:

Iamdudum abs te, Roberte, petij, vt me excusatum habeas de crimine obtrectationis aut maleuolentiæ, Nullum neque tibi neq; Ptolomæo dedicus obtrudo, quod symboliſmis vtimini nihil directe demonstrantibus. Pag. 31.

Comparationem instituí, non accusationem, ad erudiendum Philosophiæ Studiosum. Pag. 5.

In titulo Præfationis: Miror quæ te necessitas ad respondendum adegerit, cui prior ego nihil spopondi rim, nihil rogauerim, nihil obiecerim. Pag. 3.

Non

Non iniuriam tibi feci, Roberte; nullum: in opere tuo finxi ſtigma inuidiæ, ſed opus Lectori à ſua proprietate natæ ſcripſi. Pag. 11.

Queritaris, me tentare tuam ignorantiam atq; inſcitiam mundo propalare. Plane falleris aut fallis. Ego, vt dixi, mea cum his comparo, vt Lectorem erudiam. Pag. 14.

Nullam doctrinæ tuæ iniuriam illatam à meis comparationibus dico, dum ego meos harmoniarum terminos appello Mathematicos, tuos vero ænigmaticos, pictos, Hermeticos. Pag. 33.

Non refuto, Roberte, tua, ſed comparo mea, vt ſciat Lector, quid penes te quærat, quid penes me. Pag. 37.

Fruſtra te munis, Roberte, non aduenio oppugnator, ſed hoſpes eminus te ſalutans. Pag. 40.

Plus excuſationis inuenire potuiſſet hæc tua vindictæ cupiditas, quam nunc, vbi meris comparationibus vſus, ſepem in gratiam Lectoris inter tuam & meam Harmoniam ſtruxi. Pag. 47.

At iam ad te, Iohannes, orationis meæ filum conuertam, atque audacter dicam, quod nec tibi, nec Harmoniæ tuæ mathematicæ pertineret illa mea Phyſica, quare inuidiæ nota eſt potius tibi quã mihi aſſignanda, qui huiuſmodi inter nos contentionem ſeu diſputationem occæpiſti, & ſermonem in Phyſicam meam ieciſti priorem. Quare lectoris & iuſtitiæ teſtetur oculus, quibus caſum meum præſentem commendo, ſi ſermo iſte tuus pag. 41. prolatus, ſit conueniens necne. *Nec nunc (inquis) ego conniuere debeo quietus quin potius indignationem meam demonſtrare, quod te video æmulatione irritatum iniuriæq; (quam tibi imaginaris ex eo, quod ego Deo ſuum tribui, munere meo functus, diſtinguendo inter tua & mea) huius, ais, offenſiunculæ vltionibus exagitatum, te tranſuerſum rapi, &c.* Falleris & fallis, Ioannes: non enim æmulatione ardeo, nec virtuti tuæ inuideo, imo vero collaudarem potius, niſi te minime vocatum aut à me prius incitatum in me atque Harmoniam meam tranſuerſum rapi perſenſiſſem: nihil enim in te, in tuam dignitatem Harmoniam proprio appetitu moliri tentabam, ſed coactus & incitatus, vti ſapientem decet, violentiam alienam viribus propellere propriis, atque munimentum aduerſus hoſtis inuadentis conatus ſummopere defendere ſum aggreſſus. In te ergo coniiciatur inuidiæ atque æmulationis vitium, qui querelas has philoſophicas incepiſti: nam reuera, quod ad me attinet, ego inuentiones in re mathematica tuas laudo, in re aſtronomica non inuideo fælicitatem, ſed ſolummodo à te peto, quod tam moralitate quam doctrina ſis eminens, nec æquum ſiue honeſtum ſtatuo, vt quempiam tibi in omni ſcientia æqualem ſine ratione vili pendas, aut ipſius doctrinam vituperio & calumniis afficias, niſi ab ipſo in palæſtram philoſophicam aut ſaltem mathematicam ſis prius citatus. Sed ad Apologiam tuam ſic progredior.

In Apolog. ad Analyſin. II.

An ego mihi in Analyſi hac gloriam aliquam arrogare geſtiam, Lectori iuſtitiæ alis elato committo: qui proculdubio hanc tuam aſſertionem tam veram inuenier quam vocabula iſta tua: Putrefactiones, Calcinationes, Sublimationes, & Reuerberationes, ad Apologiæ tuæ vel Analyſis meæ materiã ſeu ſubiectum pertingentia.

In Apolog ad Annal. III.

Nolo ego de vocabulorum ſenſu aut grammaticali eorum applicatione vlterius diſputare. Sufficiat enim illud à te dictum, videlicet, quod in verborum numero partem diſcriminis nullam ponis. Ad huius ergo Apologiæ tuæ partis materialia potius me accingam, cuius intentio primaria circa orationis in vtramque Harmoniam docendo contractionem vel dilatationem verſatur, ſimiliter in medietatum explicandarum methodo atque conſonantiæ Diapaſon inuentione ſeu demonſtratione magis commoda & conueniente.

Ad copioſam autem verborum ſeriem quod attinet, agnoſco ipſam profeſſoribus publicis, qui artem, circa quam verſantur, ex pulpito ſuis Auditoribus prædicare ſolent, valde eſſe neceſſariam atque vtilem, vt nimirum imprimis Artis, quam profitentur, arcana verborum multitudine & circumlocutionibus ad faciliorem Auditorum capacitatem reddendam, explicare atque demonſtrare queant, deinde vt horæ conſtitutæ ſpatium non inaniter tranſcurrant. Non ergo inuideo Iohannis verborum affluentiam, imo vero laudo potius. Nec tamen ſequitur, quod ſuccincta in re muſica Roberti demonſtrandi ratio eiuſque per figuras indicationes ſint penitus abiiciendæ aut negligendæ, quippe profeſſionem Matheſis publicam nunquam exercuit, aut eam ſibi exercere propoſuit. nam licet (fateor) Profeſſoris publici conditio & officium ſit laudabile valde & reuerentia digniſſimum, me nihilominus neque ad tale negotium, vtpote laboris tanti impatientem, & linguæ volubilitate minime præcellentem, promptum aut idoneum perſentio. Nec certe (Deo gratias) me tanta cogit neceſſitas, vt ad aliquod opus ſeu conditionem naturæ aut inclinationi meæ aduerſam, victus veſtituſque mihi comparandi cauſa meam diligentiam impenderem, cum mihi Pater olim chariſſimus honore & titulo Equitis aurati inſignitus officiis in republ. haud imæ conditionis imbutus; & diuitiis atque poſſeſſionibus ſatis fortunatus, mihi portionem ſeu patrimonium (quamuis non ita magnum, natu nihilominus minimo ſufficiens, nihil mediante quo per me ſolum ſine Profeſſionis aut Artis cuiuſpiam præſidio laute ſatis & opipare vitam agere & conducere queam. Et quamuis Medicinæ

professionem nunc amplectar volens lubensque, tanquam scientiam naturæ & diuinitatis mysteriis refertissimam, ab eius tamen praxi me magis vacare quam in ea versari, propter contemplationem Dei & Naturæ placidam me à negotiis mundanis vt plurimum auocantem agnosco. Est ergo hæc ratio, quod de scientiis quidem variis (Iuuentutis meæ fructibus) non nisi succincte egerim, quibus ita in breues Epitomes contractis, non discipulos mere rudes atque recentes more Professoris informarem, sed vt mediocriter in Physica atque artibus liberalibus versatos ad perfectionem in iis promouerem. Succincte, inquam, scripsi, & picturis quasi viuis rem oculis luculenter delineaui, vt vnum alterius defectum supplere posset, & Scientiæ mysterium citius à diligenti Scrutatore elici. At Iohannes hic deridere videtur ipsos, qui loco verborum multitudinis oculo docere nituntur, minime quidem considerans, quod visus sit omnibus sensibus præstantior, & per se magis existens: res enim visa validiores solet in animo impressiones efficere, quam illa solis verbis explicata. Dicimus igitur, quod artis medulla cum picturis tum verbis enucleata citius ab eruditore concipiatur, quam si sermone solummodo auribus incutiatur. Laudo ergo Iohannis prolixitatem, quatenus Professoris, non itidem me pudet pigetque succincta Roberti Scribendi formule, picturarum demonstrationibus intermixta. Quod vero ad medietates harmonicas & consonantiæ Diapason inuentionem attinet, atque etiam clauium b. b. ex fundamentis Naturæ reuelationem, quoniam tu, Iohannes, meam in Musica & Matheſi cognitionem tam paruipendis, inferius loco suo de illis verba faciam, vbi efficiam (spero) vt mundi literati me tum fundamentorum Iohannis rationem & conditionem non penitus ignorare, tum ipsum in temeraria de meis censura toto cœlo errasse oculis apertis percipiant: nec tamen me, iuxta promissum meum quicquam in te aut Harmoniæ tuæ leges inferre percipies. Nec enim insulse hoc à me factum scias (vtcunque ego in Apologia hac tua probris sæpiculeque sim exagitatus) quod te per vniuersum hunc meum tractatulum moralitatis potius suauitate mitigare, quam aut indignatione aut iracundia studeam inflammare.

In Apolog. ad Anal. IV.

Et certe Musicam naturalem ab artificiali haud iniuria distinguo, quamuis vtraque ex fundamentis iisdem sit producta: non enim domum, aut vas fictile, aut vitrum res ideo naturales nuncupamus, quoniam ex basi eadem naturali omnes deriuantur, lapidibus scilicet, lignis, luto, herbis & arena: sed artificiales potius, quatenus naturæ fundamenta sc. elementa ra artis industria permiscentur, componuntur, atq; ad Artificis placitum efformantur. Ex his igitur colligere liceat, Lectori, si in huiusmodi assertione sim homo difficilis, necne?

In Apolog. ad Anal. V.

De multifariâ temporis tui diuisione, de mirabili tuo inter chordam grauem & acutam, sonum Diapason constituentes, experimento, quo spaciũ inter systolen & diastolen pulsus humani metiri dicis, An mensura tactus locum, vti dicis, non habeat in Harmoniis Planetarum? An Harmonicæ Planetarum proportiones in prolixitate temporum periodicorum consistant, necne? Si in realibus Planetarum moribus, vt quidem ex centro Solis, appareant, Harmoniæ sint quærendæ? An motus Augium non sit physicus? De his, inquam, omnibus acres & tædiosæ fieri possunt Disputationes & controuersiæ. Sed de illis quidem hoc in loco iudicare aut disceptare non intendo, ne nimirum Lectori imprimis tædium afferrem, aut ad vlteriorem te iracundiam incitando tibi studiisq; tuis forem molestus. An possit in Harmoniis Planetarum considerari tempus durationis, vt in cantu humano: tu negas, & tamen tempore, videl. duratione motus, ab inuicem distinguũtur, nec, vt mihi videtur, secundum vnum solũ temporis respectum se habent. Sed agnosco ego hæc omnia (tuo enim ore vt loquar) *in diuinam ingenij Roberti vim penitus esse transfusa*. Sed an fallatur nec ne Robertus in his rebus, nolo ego curiosius inquirere, nec vlterius tecum cõtendere, quoniam ad Harmoniam tuam pertinent hæc, aduersus quam secũdum promissum nolo ego quicquam aduersi posthæc producere, ne stomachabundiorem te redderem aut ad iram nouam exagitarem.

In Apolog. ad Anal. VI.

Toni vno respectu dici possunt interualla dissona, alio vero consona, ergo nec in hoc veterum assertionem negaui. Nam iuxta Guido. Monachum, Consonantia, est quasi simul consonantia: quod nisi simul duę voces sonuerunt Consonantia esse non potest. At tonus numeratur inter Consonantias, quas numero facit ipse 8. Me porro etiam docuit praxis, chordam grauem cum B. molli sonum efficere cum altero in B. duro, & quamuis aliquantulum rudis & durus sit ille concursus, tamen inclinatione subitanea consensus in identitate iucundus est factus. Præterea duos tonos eiusdem intetualli videmus sonos numero differentes procreare. Nec hic ludo æquiuocatione (vt tu dicis) cum tonus atque etiam interuallum sint ambo soni & adinuicem consonent; nam aliter Tonus consonantia non diceretur, sic tonus cum tono identidem sonãt. Nec arguo ego, esse interualli specie differẽtiam inter tonum & tonum, cum dixerim, vnius chordæ tonum

alteri

alteri proportionis identitate correſpondentem ſymphoniam vniſonam effeciſſe, ſed numero. vnde affirmaui ipſum eſſe conſonum interuallum vno reſpectu, licet alio reſpectu ſit diſſonum. In barbito huius rei veritas facillime explicatur.

In Apolog. ad Anal. VII.

Pythagoras ſine ictuum marculorum praxi ad ſcientiæ huius myſterium nunquam peruenisſet. Porro etiam legitur quo I TubalCaïn Muſicæ inuentor primarius in inſtrumentorum muſicalium praxi optime fuerit verſatus Ptolomæus etiam Muſicæ praxin minime ignoraſſe dicitur. Nec igitur hos à Muſices theoria repello, imo vero in ea confirmo magis.

Deniqueiracundia, neſcio qua, percitus in exclamationem hanc incidis: *O miſellos Philoſophos, qui de Creationis opere ſpeculationes ſuas obtrudunt, cum creauerint ipſi nihil.* Et profecto, Iohannes, tu qui tam ſtrenuus, non dicam miſellus es Philoſophus, tam ingens Mathematicus, quid in nomine Dei creaſti tu? Sciſne tu reuera, quid ſit creatio, quid mundi conflatio, quid Deus in poteſtate hominum reliquerit, cum quo permiſit, vt Sapientia ſua permaneret perpetuum, vt in cunctis eum erudiret, eumq; doceret, quid ſit acceptabile Deo, & quomodo mundus erat factus? Aut ſciſne tu, quid Robertus, cum ſit homo ad imaginem Dei creatus, poſſit: quantum in vera Creationis praxi verſetur? putas tu, ſcientiam eius eſſe imaginariam, aut more Matheſis vulgaris (illam tuam hic excipio) incertam? Anne credis infallibiles ſuæ ſcientiæ Moſaicæ demonſtrationes imo quidem & oculares deeſſe? Falleris, falleris, Iohannes, & toto cœlo tuo externo erras, tametſi Planetarum ſitus motuſque harmonicos te de longinquo perſpicillis tuis opticis perſpicere credis. De interna hominis mente aut occultioribus eiuſdem actionibus iudicare neſcis. Audacter ergo dicam, quod ſi Iohannes in ſua Arte tanta peritia abundaret, quanta in ſua Robertus, in meliori & recti Harmoniæ mundanæ ſtatu inſiſteret, quam adhuc exiſtit. Fateorque me in eo exultare, quod ſim dignus inter Moyſes diſcipulos numerari, à cuius arte Theoſophica & Philoſophica omnes aliæ ſcientiæ; imo vero & ſacroſancta illa & ſolummodo vera Aſtronomia & Aſtrologia, in qua pauci verſantur, deriuantur, quam nec Proclus quidem tuus nec Copernicus guſtarunt, aut guſtaſſe videntur vnquam. Quare ne exclames, oro, contra homines tibi non adeo cognitos aut familiares, ipſos Philoſophos miſellos pro tuo placito vocando, ac ſi neminem tibi comparandum cenſeres. Scio equidem & fateor, te bene verſatum in Mathematica vulgari, collaudo induſtriam, magnifico inuentionem, nec ego voluptatem fortaſſe vulgarē in ea reperiri poſſe. Sed tamen hoc in tua acquiſita gloria indecorum eſt ſentiendum, quod homines tibi ignotos tu de ignorantiæ crimine tam facile condemnare non hæſites. Sed agnoſco ego acerbitati tuæ, quoniam iratum hoc in loco te ſcripſiſſe video.

In Apol. ad Anal. VIII.

Hic ego te in angulum tuum reconditū relinquam, vtpote cuius inſtrumenta muſica, & illud nonum ad tuæ cōparationis ſubiectum nihil attinent. Aut enim ſuperflua addidiſti, aut cachinandi gratia illa allegaſti; vtrumque ego non reſpicio, ſed flocci pendo.

In Apol. ad Anal. IX.

Pythagoram (dicis) *malleorum ictus conſideraſſe ante cauſas Muſices inuentas, & tamen* concludis, *Robertum hodie tradidiſſe noua inſtrumenta.* At Robertus replicare videtur, quod licet illa habitu ſeu figura ſint noua, cauſę tamen Harmoniæ eorum ſunt antiquiſſimæ, & à viſceribus naturæ extractæ. Deinde aſſeris, *te, pro eo, quod liber tuus, meis inſtrumentis, areat, conſonantiarum cauſas tuo Lectori præſtaſſe.* Reſpondeo, me hoc idem opus Lectori (ſed ſub alia forma) perfeciſſe, licet verbis non tam copioſis. At ingenue hic fatearis velim, *an nulla accidentia* [*vt dicis*] *præterquam illa quantitatiua & mathematica concurrant ad veram rei phyſicæ explicationem?* Tunc pergis affirmando, *quod inter accidentia primum genus ſit quantitatiuum, hocq; ex Ariſtotele didiciſti; reliqua omnia poſteriora* dicis. Peto ergo quamnam quantitatem admittit forma ſubſtantialis, quæ eſt actus primus & principium motus ab omni accidente externo denudata? Aut quid tu facis de qualitate formali? Poſt hæc dicis, *harmoniam & matheſi indigere & phyſi ad cauſarum* inuentionem. Negatur hoc, quia eſt in natura harmoniæ ſuæ cauſas inquirere: imo vero ipſa patefactione ſui occulti per motū ſuum admirabilem in mundi tam veteris q̄ noui, hoc eſt, tam macro, quam microcoſmi fabrica harmoniæ cauſas etiam ſcientifici oculis, manifeſtare ſolet, nullo ad res mathematicas habito recurſu. Nec tamen nego, Naturam quodammodo etiam matheſi poſſe indicare, licet non ita aperte & naturaliter. Porro ſit hoc quoq; à me ſine peccato dictum, quod Phyſis mea ſacra eſt eadem cum Metaphyſi tua.

Quod Robertus voce Harmonia vtatur ſenſu (vt ait) latiſſimo, non erubeſco, cum vnicam agnoſcam mundi animam vbique expanſam, quæ chordam harmoniæ mundi, quæ eſt ſpiritus vniuerſalis, pulſare videtur, cuius inſtrumentum eſt ipſa mundi congeries vniuerſa. Non eſt mihi error aliquis, quod inter Artes liberales Muſicam, licet ſit veræ Muſicæ formalis cortex & vmbra, collocauerim. Quis n. recte affir-

mabit, exteriora interioribus esse præferenda, aut circumferentiam centro, aut corporea spiritualibus, aut crassa subtilibus? Non acquiesco ego (vt innuere videris) in Musica sensibili, at in elementaribus omnino, quippe in quibus habitat forma pulsans, tamen Musicam formalem formales & internos habere sonos, vt materialem externos dicimus: nam alia est vox spiritus, alia corporis, alia Dei, alia Angeli, & alia hominis. In hoc nec à Iamblico meo, nec quidem à Scripturis sacris distare videor. Rationem concordantiarum & discordantiarum videbit (spero) mundus imposterum, me non plus ignorare, quam ipsum Iohannem, nec in Platonis, Porphirij, Iamblici aut Procli Harmonia minus versatum. Et vt tu *dogmata eorum ex præscripto doctrinæ catholicæ correxisse* ais, sic quidem ego, quatenus Christianus, eos in omnibus non sequar.

Eandem Musicam reuera in omnibus dico, vt eadem Anima mundi generaliter loquendo, at vero scis quod voces: aut soni eduntur diuersi secundum actus agentis proportionem in patiente: vt idem ictus diuersum sonum facit in cupro, stanno, ferro, plumbo, & in terra, at vero in aere vix auditur. Porro etiam fortis ictus fortiorem dat sonum in eodem subiecto, debilior magis debilem, magis enim obediens spiritus leuiorem & magis insensibilem reddit sonum, ita vt corporalia corporalibus, & spiritualia spiritualibus recte conueniant. Videsne hic, quam Harmonia mea sit æquiuoca, vt dicis: At ego dico, omnem Musicam consistere ex sonis, licet alij sint sensibiles, alij vero sensui nequaquã subiecti. Et quamuis concedam, quod harum vocum siue sensibilium siue non, mathematicis proportionibus satis bene demonstrari queant, tamen talis indicatio est magis analogica, symbolica & accidentalis, quam est illa Physica, in qua res ipsa in sua natura, prout est, explicatur: cum natura sit suæ naturæ propior, quam aliena, & reali substantia magis, quam imaginariis accidentibus lætetur. Non condemno ego, mi Iohannes, artes mathematicas, imo ipsas laudare & extollere me cogit veritas, atque vero in naturæ demonstratione ipsam quidem naturam & eiusdem motus reales Physicos oculis gradus distinguentes rebus omnibus mathematicis præferre cogor. quis enim nisi more imaginario aut forte fortuna aut analogice formam aut formæ motum & actum in natura passiua Mathesis industria recte & infallibiliter declarare potest?

In Apol. ad Annal. X.

Hic, tu Iohannes, *picturis æreexcusis Librum meum ex meo proprio concessu* abundare dicis. Fateor, nec exinde me percepi succensum. Sed miror, quæ te mouebat iucunditas, aut in comparatione tua necessitas, vt de picturis meis tuisque diagrammatibus verba ieceris, cum hoc cuilibet Lectori esset familiare, nisi quia diagrammata tua picturis meis præferre gestis: quod si non hoc sequitur illud à te superflue dictum, & ad comparationem tuam inutile.

Concludis, Iohannes, nimis pompose, vt mihi videtur, & iactabunde, hisce verbis: *Liceat mihi etiamnum proferre vocem magis claram. Qui Mathematicarum Disciplinarum certitudinem amat, plus ille capit vtilitatis in parte Mathematices harmonica perdiscenda ex opere meo harmonico, quam ex Roberti de Fluctibus. Qui vero ingenium philosophiæ mystica (quæ per ænigmata tradi solet) oculo; picturis pascere cupit, quod quærit in meo libro non inuenict.* Cui ego: me ex sola monochordi mei contemplatione plus harmonicæ internę veritatis illud mundo & mundi animæ recte applicando; posse (si velim) legentibus explicare & docere in vnius dici spacio, modo si in Philosophia non nisi mediocriter essent versati, quam Iohannes in pluribus inuentione sua. Sed video optime, Iohannem aut nõ legisse nisi solos librorum & capitum eorũ titulos, aut in legendo ea accepisse pro ænigmatib. quæ reuera intuenti sunt valde clara, perspicua, & conclusionibus ocularibus confirmata atque demonstrata. Nec reuera rationem video ego vllam, cur Iohannes ita mundo proclamet ænigmata mea, omniaque à me scripta obscura & parabolica publicare gestiat, sua autem luculenta ac manifesta: cum tamen certum & à quibusdam bene cognitum atque expertum sit hoc, quod etiam homines tam in Theologia quam Philosophia hic in Anglia versati, imo vero & nonnulli tam superioris quam infimi gradus Nobiles sola librorum meorum lectura, locorum concatinatione & nexu bene obseruato ita in meis operibus Physicis docti euaserint, vt neglecta & quasi condemnata peripathetica Ethnicorum Philosophia; laudes illius meæ [fortasse præter mea merita] ebuccinauerint, & in eiusdem contemplatione mirifice visi sint oblectari. Refero igitur me & Librum meum physicum ad Lectorum beneuolorum censuram, iterum atque iterum eos orando, vt (more Iohannis) non solos titulos inspiciant, sed in veram eiusdem medullam se immergant, priusquam de eo iudicent: Et viderint spero, rem longe aliter se habere, & ab ænigmatibus remotiorem quam iniuriose atque iniuste ebuccinare videtur Iohannes, cuius argumentum solum hocque sæpius decantatum est: *Quæ scripsit Robertus ænigmata sunt tenebrosa & hieroglyphica, cum ego res ipsas obscuritate inuolutas in lucem intellectus proferre nitar.* Ac si diceret: Venite, amplectimini meam doctrinam, est enim clara, facilis, perspicua ac iucunda: fugite illam Roberti, quippe quæ est ænigmatica, Hermetica & tenebrosa. At Robertus negat hoc tuum Argumentum, dicitq; maiorem esse difficultatem in perceptione fundamentorum Harmoniæ tuæ, vt infra declarabimus, quam illorum mei, si res apte consideretur.

In Apol.

In Apol. ad Anal. XI.

Multum me hic cum his vocabulis; Hieroglyphicum & ænigma, oneras & vexare credis, & meipsum adstipulatorem habes, me in scriptis meis vsum esse hieroglyphicis. Conceditur me dixisse, templum meum musicum esse loco signi hieroglyphici: at Lectorem imprimis intelligere velim, hieroglyphicum aut in suo esse obscuro & mystico velatum manere, aut quod aulæo seu sipario eius detracto & interioti reuelato, literisque & interpretationibus enucleato, patefactum est & manifestatum. Templum dico Musicum sine clauibus & notulis in ipso expressis esset imago hieroglyphica, & res pyramidum Memphiticarum instar obscura, at expressis in eo clauibus & notulis à Systemate Musico Guidonis & aliorum in Musica optime versatorum haud differt. Porro etiam quamlibet eiusdem partem literis & scriptis demonstrauimus, atque ita res sese habet in aliis meis picturis. Hic ergo, Iohannes, habes Hieroglyphicum apertum & non celatum. Et quid, obsecro, differunt imagines mathematicæ in libris tuis explicatæ à talibus hieroglyphicis, si non essent literis & scriptis demonstratæ & explicatæ. Porro si tuum Prodromum inspiciet Lector, ibi picturas inueniet nouas & hieroglyphicis characteribus magis propinquas quam illæ meæ. Ergo voces & verba inania sunt hæc; & per consequens, quæ tot lineis scripsisti, vnico verbo sunt negligenda atque reiicienda. Porro si sapientum tam Theosophorum quam Philosophorum sententias produxerim, de silentij & taciturnitatis approbatione, non tamen hoc feci, vt me ipsum excusarem pro Scriptis meis ænigmaticis, sed contra tuam assertionem, qui parabolica Scripta & ænigmata condemnare videbaris.

Proinde hic me minis videris afficere, atque verbis sequipedalibus mihi timorem incutere. Verba sunt hæc: *Velim te respicias imposterum diligentius, ne tuæ ipsius æstimationi noceas. Nam me quod attinet, mihique neque recantatione tua neque contraria laudatione opus est. Nec efficies hac importunitate, vt detractem tecum velitari, quoties id fine meo fumptu & cum aliquo Lectoris profectu potero.* Hæc tua: quibus ego; Æstimationem equidem meam (hic te moneo) in tua potestate minime sitam esse, sat scio, quo aut elegantia tua, aut demonstrationibus mathematicis ipsi nocere queas. Ecce ergo Robertum in palæstra philosophica (si quid aduersus eum aggrediaris) ad quamlibet à te oblatam iniuriam propulsandam paratum, vbi me non verborum tuorum metu turbatum, aut in stuporem attonitum, sed partim veritatis clypeo partimque acutis ingenij speculis armatum inuenies. Tantum in te virtutis philolosophicæ vbi quæram? videbo quando? mediante qua coactus *aut res à me allegatas*, recantarem, aut laudibus indignis te atque tuam in re philosophica potestatem in admiratione tanta haberem. Deus bone, qualia sunt ista verba iactantia, homini tantæ famæ atque doctrinæ quam inconuenientia? Nec pures velim, me aliquid in te ideo protulisse, quo ne mecum velitareris impedirem, imo vero impulsiuam è regione ingenij tui diuini virtutem expectaui potius. Et si imposterum inquisitione adhuc magis scrupulosa Opera mea tentaueris, expectare te velim, me iisdem verberum nummis aut saltem similibus te persoluturum; hoc promissi mei arrhabo: & pro certo credas, nec mihi defuisse ad illud præstandum potestatem, nec quidem (amicitiæ à te oblatæ & à me reciproce acceptæ vinculis semel violatis) voluntatem.

Concludis denique hoc Apologiæ membrum hisce verbis: *Verior, vt est natio hodie peruersa, ne non ista iniquitas vltra verba se in facta ipsa proferat, si lectorum aliqui tibi temere credant non inspecto meo textu.* Vtinam Iohannes aulæum hoc tragicum dimouisses, aut sipatium hic scænicum complicasses, quo bene aut male hoc à te dictum discernerem. Quid, mi Iohannes, ex Mathematicó iam subito in Chymicum es mutatus? ænigmata iam eloqui gestis, qui modo parabolas reiecisti? Anne, quia cum Sacris Scripturis dixi, Scientiarum arcana per Spiritus Sancti acquisitionem comparem, ideo peruerse sub ænigmate de me loqueris, ac si scientia aliqua nouis inuentionibus sine Spiritus Sancti assistentia possit acquiri? Video ego te huius meæ Analysis calcaribus in iracundiam stimulatum, quare, quæ à te succenso nunc dicta sunt, volens remitto.

In Apol. ad Anal. XII.

Pythagoras intertallum semitonium in Harmoniam admittere noluit, quoniam proportio superarticularis in partes æquales non potest diuidi: & ipse Ptolomæus & Proclus licet in hoc conuenire videntur, quod proprie semitonium dari non possit, tamen nihilominus tonum diuidere tentauerunt in partes inæquales, quarum maiorem dixerunt Apotome, minorem Lemna. At quanta erat Pythagoræ in Musicæ scientia perfectio, neminem sanæ mentis latet. Quod autem spectat ad Semitonij definitionem, quod tu incorrectū vocas, & an duo toni dentur maiores necne, similiter de reb. aliis à te hic allegatis agere, quia infra Deo volente de iis verba iaciam, hoc in loco omittam. At vero hic dicam, quod qui cauillari videtur in Semitonij minutiis, in quibus paruus & fere nullus error sensibilis inuenitur, in rebus vero magis perspicuis & apertis culpam nullam inuenire potest, hunc ego rite scrupulosum nomino, quippe qui circa scrupulos imo vero minutias insensibiles tam aeriter versatur, plus igitur videri gestit ille, quam reuera est.

At hic ingressum facis ad inquisitionem meam factam in opera tua, quam quidem non aliam ob causam feci,

feci, nisi vt tibi ostenderem, æque facile esse mihi, vt errata seu errores in tuis scriptis scrupulosa inquisitione facta animaduertam, quam tibi in meis. Non enim hoc aut inuidia aut arrogantia factum credas, sed more disputantium; quorum est de re qualibet proposita pro & contra agere; à me inceptum & ad exitum productum. De his autem quæ ad Harmoniam tuam hac in analysi prolatam attinet, nihil dicam, sed tantummodo in ea, tria præcipue à nobis tractanda putamus, quorum vnum est animi mei sententiam de naturalibus Harmoniæ tuæ fundamentis explicare, ad quod quidem opus non nisi hisce verbis tuis inuitatus atque incitatus accessissem pag. 17. lin. 11. *Iam ito tu Roberte, & prius euerte has partes naturæ: subrue hæc fundamenta: tum demum nega, me promissum impleuisse, naturaliter; præstitisse:* Secundum vt nonnullas in philosophiæ assertiones à me prolatas (quas tu in hac Apologiæ parte conatus es subuertere) verbo quidē & breuiter sustineam. Tertium vt meipsum; contra tuas allegationes; in veterū Philosophorum Harmonia satis bene versatum ostendam, & per consequens, Harmoniam meam non esse ita imperfectam, & veris demonstrationibus destitutam, aut hieroglyphicis & ænigmatibus absconditum & velatum, vt tu Iohannes in multis locis inferre gestis luculenter demonstrem. Ad naturalia ergo Harmoniæ tuæ fundamenta quod attinet, ea hisce verbis pag. 16. circa finem explicare videris: *Huius (inquam) rei causas me è rerum natura eruisse patet. Visne igitur scire, quæ sit illa rerum natura? Anima humana pars est naturæ: in Anima relucet circulus cum suis diuisionibus, per regularia plana, propterea quia animus est imago Dei. Ex diuisione circuli, quæ sit in ipsius animæ essentia, secundum Proclum constituuntur termini harmoniarum intellectualium, in mundo vt tuus, Iamblicus intelligibili, vt ego in mente diuina, cuius exemplar hic est humana, characterem rerum geometricarum inde ab ortu hominis ex Archetypo suo retinens. Amplius: Auditus pars est naturæ, testaturque de sonis eorumque quantitatibus, quas sensus communis repræsentat intellectui. In his si inuenitur proportio in intellectu iam ab origine relucens, soni hi censentur harmonici: hinc oritur delectatio ab iis. Hæc sic in genere. Iam in specie, pars naturæ rerum intelligibilium est Triangulum, pars Quadrangulum, & sic in cæteris, & quodlibet distinguit circulum in partes, quæ sunt quantitate seu longitudine sua, termini proportionis alicuius harmonicæ. Ad numerum consonantiarum sic constitutum sequuntur reliqua, quæ insunt in cantu artificiali Naturalia. Iam ito tu Roberte, &c.* vt antea dictum est. Ecce, mi Iohannes, me Robertum tuum paratum, vt quid de his Harmoniæ tuę fundamentis sentiat, tibi verbis quidem succinctis, nec tamen hieroglyphicis aut parabolicis comiter ostendam.

Vt mihi videtur, ex hisce Harmoniæ tuæ fundamentis Quæstiones & dubia multifaria non facile dissoluenda oriuntur: videlicet

I. *An anima humana sit pars naturæ.*

II. *An in Anima reluceat Circulus cum suis diuisionibus per regularia plana, propterea quia ipsa est imago Dei.*

III. *An ex diuisione, quæ fit in ipsius animæ essentia constituantur termini harmoniarum intellectualium in mente diuina, vt vult Iohannes Keplerus: cuius exemplar est hic humana, charecterem rerum Geometricarum inde ab ortu hominis ex Archetypo suo retinens?*

IV. *An Auditus pars sit naturæ, testeturque de sonis eorumque qualitatibus, quas sensus communis repræsentat?*

V. *Si inueniretur proportio (ex prædictis) in intellectu ab origine relucens, an soni censeantur harmonici, & vtrum ab iis delectatio oriatur, necne?*

VI. *An pars naturæ rerum intelligibilium sit triangulum, pars quadrangulum & quodlibet distinguat circulum in partes, quæ sunt quantitate seu longitudine sua termini proportionis alicuius harmonicæ, & an ad numerum consonantiarum sic constitutum sequantur reliqua, quæ insunt in cantu artificiali Naturalia?*

De harum, inquam quæstionum præcipuis, mi Iohannes, ordine, non vt tibi in re aliqua contradicam, aut aliquid Harmoniæ tuæ damni afferam, sed disputandi solummodo gratia, atque vt Philosophus à Philosopho ad quæstionum quorundam resolutionem præter opinionem suam irritatus, sic exordior:

An Anima humana sit pars Naturæ?

Quæstio hæc negatiue à me contra spem tuam tenetur:

1. Quia Natura quatenus anima vniuersalis rationem habet totius, nec in partes quidem essentiales diuiditur, vt testatur Plato.
2. Dicit Mercurius Trismegistus, Animam scil. mentem humanam (quam Dei naturam appellare haud dubitauit) à Deo non minus separari aut diuidi, quam radius Solis à Sole.

3. Plato

3. Plato cum Aristotele affirmare videtur, quod Creator omnium possideret Animam totale quiddam ante diuisionem. Et Plato hanc animam Vniuersalem naturam nuncupauit.
4. Plato dicit, quod Anima separata à legibus corporeis non sit numerus habens quantitatem, nec diuidatur nec multiplicetur in partes, sed est vniformis.
5. Et Iamblicus adstipulari videtur, quod Anima, quamuis videatur omnes rationes & species in se habere, tamen determinata est semper secundum aliquid vnum.
6. Pyrhagoras denique & omnes alij Philosophi diuinitate aliqua præditi Deum agnouerunt esse vnum & inuisibile. Sic ergo Syllogistice disputamus:

Quod erat totale quiddam ante vllam diuisionem, non est pars alicuius rei,
At Anima erat totale quid ante diuisionem,
Ergo non potest esse pars naturæ.

Minor probatur per tertium axioma supra allegatum.

At si ad Maiorem dicis, Philosophum intellexisse de Anima mundi seu totali, te autem de illa humana. Replicamus cum axiomate quarto, quod Anima separata à corporeis legibus non est numerus, neque diuiditur: At Anima illa mundi, quæ secundum Platonem iuxta axioma 3. est ipsa natura, separatur à corporeis legibus, ergo nec Anima humana potest recenseri pro parte illius, cum sit indiuisibilis, vt per 2. 3. & 4.

Vel aliter sic tecum agam, argumentum meum à tuo proprio ore desumendo:

Imago Dei non est pars alicuius rei,
At verò, ex concessu, Anima humana est imago Dei,
Ergo non est pars Naturæ.

Maior patet, quia Deus est vnum & indiuisibile, per 6.

Minor est assertio tua, vt in quæstione secunda declaratur & Trismegisti sermo de Mentis amplitudine hoc declarat. Axiom. 2.

Iam vero ad secundam quæstionem properabimus;

An in Anima reluceat Circulus cum suis diuisionibus per regularia plana, propterea quia ipsa est Imago Dei?

Hanc etiam Quæstionem validissimis Philosophorum *suffragiis* stipatus & ad hoc incitantibus negare non hæsitabo. Videlicet quoniam

1. Imprimis Plato dicit, quod Anima separata à legibus corporeis nõ est numerus habens quantitatem, vnde nec diuiditur illa nec multiplicatur. Sed est vniformis, in se reuertens, & rationabilis, quæ superat omnes res corporeas & materiales.
2. Aristoteles ac Plato dicunt, quod Creator retinuerit animam totale quiddam ante diuisionem: & Pythagoras ipsam in seipsa vnum facit, dicitque illam vnitatem suam habere in intellectu.
3. Pythagoras ad Eusebium agnoscit, Deum esse vnitatem & indiuisibilem, dicitque dualitatem esse Diabolum & malum, quippe in qua est multitudo & materialitas. Et Plato vult omne bonum esse per vnum: at Malum vult esse propter multitudinem confusam.
4. Cicero dicit, quod non possit esse ordinis perfectio in omnibus mundi partibus, nisi de vno solo diuino & continuo spiritu non essent continuatæ.
5. Deus nec potest definiri, nec diuidi nec componi. Franciscus Georgius.
6. Deus infusus in omnibus rebus à Platonicis dicitur Anima mundi, quam dicunt rationem habere totius, quatenus vniuersaliter diffusus implet & vigorat omnia.
7. Deus est neque quid, neque quale, nec quantum, quatenus eum nullum comprehendit prædicamentum. Scotus.
8. Pythagorici & Platonici includentes Animam inter 7. limites, dicunt ipsam in primo limite quiescere in summo intellectu, & tum dicunt ipsam factam esse idem cum eo.
9. Sicut omnes numeri sunt in vnitate, sicut in centro sunt omnes lineæ circuli, sicut membrorum vires sunt in anima, sic Deus dicitur in omnibus & omnia in Deo. Ars Chym.
10. Mercurius Trismegistus dicit, quod Deus est cuiuslibet rei centrum, cuius circumferentia est nullibi.

Sic igitur super ista Philosophorum Axiomata contra vestram assertionem argumentamur.

Arg. I.

Quod per se sumptum non est numerus nec quantitatem habet illud quidem figuram quantitatiuam (qualis est circulus) in se non recipit.
At Anima separata à legibus corporeis non est numerus, nec quantitatem habet,
Ergo Anima figuram quantitatiuam (qualis est circulus) in se ab origine non recipit, & per consequens, circulus in ea minime relucet.

Maior

Maior patet in eo, quod non quantum quantitates recipere non poteſt, quemadmodum vnum non admittit multitudinem, & conſequenter, non eſt numerus.

Minor confirmatur per axioma 1. & ſimiliter per 2. & 3. quibus Anima probatur eſſe vnum. Quod ſi reſpondeas, Animam, quatenus à te accipitur, non eſſe à legibus ſeparatam, quippe humanam; dico ego, te de animæ eſſentia intellexiſſe, quemadmodum ex ſequentibus apparet, quæ in homine exiſtente non differt ab illa magni mundi, de qua intendit Axioma 1. in ſecunda quæſtione, & per 2. primæ, vbi probatur animæ eſſentiam non poſſe diuidi à Deo. Vel aliter ſic:

Si Anima ſit imago Dei, non eſt quantitas nec numerus,
At, te confitente, eſt Imago Dei,
Ergo nec numerus eſt, nec quantitatem admittit.

Maior conſtat, quia Deus eſt nec quid, nec quale, nec quantum per axioma 7. quatenus extra & ſupra omne prædicamentum.

Quod autem ad confirmationem tuæ ſententiæ (animam Dei imaginem probantis) attinet, illud axiomate 7. comprobatur, quod teſtatur, Animam quandoq; quieſcere in Deo, & idem cum eo in ſummo eſſentiæ ſuæ limite factam eſſe. Et per Axiom. 2 in Quæſt. 1. mentem à Deo non eſſe diuiſam.

Si in Anima reluceat circulus tum ſuis diuiſionibus per regularia plana ab origine, vt dicù, tunc Anima diuiditur aut multiplicatur.
At Anima nec diuiditur, nec multiplicatur, Ergo.

Maior conſtat, quia ſi eam impleat circulus, vnde à Platonicis & circulus (quamuis metaphorica loquutione) dicitur, & ille circulus diuidatur in partes per regularia plana, ſequitur, quod & Anima per diuiſiones illius circuli etiam diuidatur.

Minor confirmatur per Axioma 1. præterea per Axioma 2. liquet, quod Creator obtinuerit Animam totale quiddam ante vllam diuiſionem, vnde à primordio nec circulus in ea relucebat, nec circuli diuiſiones per regularia plana admittebat. Sed & hoc luculentius Argumento iſto ſequenti declaratur:

Anima humana (etiam te adſtipulante) eſt imago Dei,
At Deus nec diuidi nec componi poteſt,
Ergo nec anima humana.

Maior conſtat ex conceſſis.

Minor declaratur primum per Axioma 3. vbi Pythagoras Deum facit indiuiſibilem. Deinde per Axioma 5. Porro Platonici vocant Deum mundi animam, à qua Mercurius Triſmegiſtus dicit animam humanam non magis poſſe diuidi, quam radius Solis à Sole. Atque hoc etiam cum ſacris Bibliis conuenit, vbi inuenimus, quod Deus ſit Sol hominis vitam & gloriam præbens. Ex his ergo infero, quod ſi Anima ſit imago Dei, ſequitur, quod eius diuina eſſentia ſit eadem cum Deo, per quam etiam & idem facta eſt cum Deo.

Denique & illud axioma Ciceronis denotat, Deum eſſe vnum ſolum & continuum, hoc eſt, non diuiſum ſpiritum, mediante quo fit ordinis perfectio in omnibus mundi partibus. Atque hunc Spiritum, vti dictum eſt, Platonici pro Anima mundi accipiunt, eamque dicunt rationem habere totius, quatenus vniuerſaliter diffuſa implet omnia, & moderatur iugiterque conſeruat per virtutem, quam rebus creatis quotidie de perenni fonte ſpiritus ſui impluit liberaliter: non ita tamen, ac ſi circulus reluceret in eo, aut in ſpitaculo ſuo, vitam & amorem igneum aquis impertiente, cùm & anima humana ſit continua, ſed ſic dicitur eſſe in omnibus, vel omnia in eo, ſicut numeri in vnitate, ſicut in centro ſunt omnes rectæ lineæ circuli, aut ſicut membrorum vires in anima. Quoniam ſicut vnitas omnium numerorum communis menſura eſt fons & origo, omnem numerum vnice in ſe coniunctum continens, multitudinis omnis eſt principium, ſed in ſe indiuiſibilis & multitudinis inſons, ſemper eadem & immutabilis: ſic pari modo res creatæ ſe habent ad creatorem: & quemadmodum anima humana indiuidua rectrix exiſtit ſui corporis, & tota toti corpori, eiuſque cuilibet parti præſens, ita ſimiliter Deus in hoc mundo vbique eſt, & omnibus in eo creaturis præeſt. Atque hoc eſt, quod videtur Hermes luculenter declarare, quando definit Deum cuiuſlibet rei centrum, & alibi: cuius centrum eſt vbique, circumferentia nullibi. Vt ergo centrum eſt punctus vix imaginabilis, & punctus eſt minima pars quantitatis, ita veriſimile non videtur, quod in eo maxima & capaciſſima Geometriæ figura in ſuo eſſe poſſit recipi, multo minus in partes minutiores diuidi & tamen ex iſto puncto reſplendet maieſtas & potentia in infinitum, videlicet à centro, vbi nulla reperitur peripheria, quoniam in ſeipſo eſt omne quod eſt, & extra ſe emittit radios vitæ pro placito in infinitum. Atque hæc eſt ratio cur ipſe affirmetur reuera nec definiri nec diuidi nec componi, & tamen has omnes proprietates habet metaphorica locutione, in quo etiam ſenſu dicitur audire, loqui, iraſci, & oculis videre, digitoque & manu palpare: quod tamen ſit hic ſermo metaphoricus & à ſimilitudine deſumptus, neminem ratione præditum latere exiſtimo. Atq; hoc idem de Anima dici poteſt: quare Iamblicus in hæc verba haud inconſulſe loquitur: Anima quamuis videatur omnes rationes & ſpecies habere, tamen determinata eſt ſemper ſecundum aliquid vnum.

His igitur ita ſe habentibus non opus eſt ad quatuor quæſtionum ſequentium explicationem vel refutationem pergere: nam cum lapis alicuius ſtructuræ angularis ſit infirmus aut ex ſabulo tranſitorio conflatus,

flatus, in nihilum per se liquescat & reducatur necesse est, & vt totum ædificium per se nulla vi impellente corruat ac in nihilum redigatur.

At nihilominus Deus mihi melius, quam vt hoc in loco violentiam aliquam principiis aut fundamentis Iohannis inferrem, sed spero imo scio ipsum sermone metaphorico ibi vsum, vbi dicit, quod Anima humana sit pars naturę, quod in ea reluceat circulus cum suis dimensionib. per regularia plana, &c. Nec tamen ego suam Harmoniam Symbolismam aut Poeticam fingam, vt ille meam: nam quis admirabilia Dei aut Naturæ seu sapientiæ primogenitæ nisi per similitudines ad res creatas explicare potest? Cum Deus cognoscitur per creaturas suas esse immensus, ineffabilis, inexcogitabilis, supra omnem imaginationem, supra omne cogitatum, supra omnem intellectum & essentiam, innominabilis, solo silentio in corde prædicandus, altitudo incomprehensibilis, Trinitas impartibilis, & essentia immutabilis. Huius ergo imago est ipsa nostra scil. Anima vniuersalis: vnde impossibile est reuera scire aut imaginari circulum in Deo posse reperiri, aut in spiraculo illo quod homini communicauit, nisi allegorico quodam respectu: multo minus quod figuræ Geometricæ possint reali aut spirituali impressione in eo reperiri aut repræsentari, nisi per ἀναλογίαν, & similitudinem loquendo. Philosphi ergo secundum captum eorum de Deo locuti sunt & non reuera prout est, nec de diuinis mysteriis iudicare potuerunt, quippe quæ sunt supra omnem imaginationem, supra omnem intellectum, supra omnem essentiam & incomprehensibilia. Nam Deus Creator in seipso clausus est, & nemo Patrem cognoscere potest nisi per Filium, nec sunt mysteria eius reuelanda, nisi per Spiritum suum proprium. Datur tamen Physicis, datur Mathematicis priora elicere per respectum ad posteriora. Physici namque per adaptionem debitam graduum materiæ ad formam in spiritu mundano & elementis tanquam passionis aut fœminæ ad actionem & masculum, mundi harmoniam ducunt à throno Dei. Mathematici per proportiones Arithmeticas & Geometricas ritis numeris atq; mensuris hoc idem præstare non insulse tentant. Physici describunt spiritum Dei solio proximum esse tenuissimũ & simplicissimum: Mathematici à Deum multitudine via Geometriæ, videl. à corpore ad superficiem, & ab illa per lineas ad anguli punctum assurgunt, vel mundi Harmoniam ex circuli in triangulum, quadrãgulum, &c. diuisione, apteq; eorum ad partes mundi applicatione quærunt: aut via Arithmetica per regressionem à numero s. multitudine ad vnitatem. Physici quærunt denudari formam & confusionem materiæ deponere, qm̃ existimant per hanc viam adytum fore ad Dei cognitionẽ, quippe cuius sedes est lux inaccessibilis, concluduntq;, ꝙ quanto magis aliquid lucis habet in se, tanto magis Deum id sibi vendicare posse: atq; his gradibus reuera mundi Harmoniã animaduertunt & colligunt. Mathematici hoc idem demonstrare quærunt per figurarum solidatum simplicitatem, per medium quadratum & resolutionem in radicem. Non est ergo Physicus ideo à Mathematico contẽnendus, quia ad Harmoniam demonstrandã non sua vtitur inuentione nec Mathematicus à Physico, licet in demonstratione physica non ita versatus; nam variis itineribus effectu haud differentib. tenditur à Praga Romam versus. Iungamus igitur Mathesin Physicæ, vt virtus sic vnita fortior & validior ad hoc opus perficiendũ esse possit: nam magna ad Harmoniæ mundanæ descriptionem virtus atq; disciplinæ siquidem Oceanus, requiritur, & tamen in scrutationis fine nos percipiemus à mysteriorum Dei inuestigatione adeo remotos quam à principio, est enim vt dicit Propheta, mysterium Dei mare magnum, in quod introierunt flumina multa.

Simonides Philosophus à tyranno Hieron quid esset Deus interrogatus petiit vnius diei spaciũ ad quæstionis huius resolutionem. Hic iterũ die crastino in tyranni conspectum prodiens secunda iam vice ad quęstioni suæ respondendum vrgebatur, at ipse duos adhuc alios dies ad quæstionem enucleandam requisiuit, deniq; finito termino tyrãnus sæpius illum premebat, vt ad suum dubiũ responsum faceret, at Philosophus dies suos semper vice qualibet duplicare solebat: tandẽ vero tyranno rei rationẽ diligenter perquirente, huiusmodi traditur accepisse responsum: Quoniam, inquit, quo magis rem istam mecũ iterum iterumq; cogitando reuoluo, eo quidem illa mihi obscura magis redditur atq; mystica. Hoc idem etiam testantur S. Scripturæ: nam, vt Deus dicitur lumine amictus, ita quidem est Lux illa inaccessibilis. Atq; hinc Sap. c. 9. inuenimus, quod nemo cognoscat consiliũ Dei, nec possit cogitare, quid velit Deus: quoniã rationes mortaliũ sunt timidæ, & instabiles cogitationes eorum. Hoc optime confirmare videtur Antistes Moyses verbis quidem paucissimis, Deut. 29. 29. Dei occulta nemo scit, sed penes Deum sunt, manifesta autem & reuelata nobis, & filiis nostris sunt cognita. Quare manifestum est, quod etiam per posteriora ad abditorum Dei mysteriorum cognitionem peruenire sit impossibile, nisi sit per Spiritus sancti reuelationem. Sed audiamus, quid pro te loquantur Philosophi, inter quos tui Procli sententias hic recitabo.

Primum Proclus asserere videtur, ꝙ diuisio animæ non sit secundum materiã aut res inferiores, sed prouenit à causa efficiente: illam ergo diuidit per pfectas suas omnium retũ mensuras, ad quas respiciens Creator opus erat simili modo vt diuideret vniuersalitatem hanc in exemplaria intelligibilia: atq; hanc diuisionem in multitudinem per ordinem harmonicum diuersas partes assimilantem colligi affirmat.

Plato asserit Animam esse diuisibilem & indiuisibilem, videl. facit eam diuisibilem à legibus corporeis non separatam, at vero ipsam describit non esse numerum quantitatem habentem, & consequenter, nec diuidi nec multiplicari in partes.

Aristoteles dicit (cui etiam Plato adstipulatur) quod Creator constituerit Animam totale quiddam ante diuisionem.

Franciſcus Georges Venetus, qui mirabiliter & diuinitus de Harmonia mundi ſcripſit, dicit, ſubſtantiam animæ eſſe quiddam vnicum ſimul habens partes, videl. vnitatem & multiplicitatem collectam de Harmonia mirabili: dicitque quod qui voluit animam recte percipere, non debet metam ſuæ induſtriæ aut laboris applicare ad contemplationes mathematicas, ſed ſeipſum eleuare tantum quantum fieri poteſt, verſus locum ſubſtantiæ animalis magis conuenientem, & in rectis trutinis ponderare, quod ſit triplex totum, cuius vnum eſt ante ſuas partes, alterum ex partibus ipſis, & vltimum in qualibet partium. Totum quod oritur ex productione partium non conſumitur, ſed permanet: nam quod dat partes eſt bonum & ne diſſoluit quidem partium compoſitionem: nam hoc proprium maligno eſt & non bono ſpiritui: vnde fit, vt totum illud, quod præcedit partes ſupereſt & permanet, at illud q̃ eſt de partib. diſſoluitur & perit per partiũ diſſolutionem: nam illud quod eſt ex partibus inferius eſt, illudq; deſignat Plato per illos circulos, in quos diuiditur anima. Concludit igitur q̃ Anima ſit vnica & multiplex habens vnitatem ſuam in intellectu, & qualitatẽ atq; multitudinem, quatenus ad res inferiores habet reſpectum. Quare anima per ſe exiſtens eſt vnica & ſimplex, ad res vero inferiores deſcendens diuiſa dicitur. Atq; hæc eſt generationis & corruptionis ratio in rebus inferioribus. Hinc ergo dicit Pythagoras ſcribendo ad Euſebium: Deus eſt in vnitate, in dualitate vero eſt Diabolus & malum quippe in quo eſt multitudo materialis.

Hinc ergo liquet, quam variæ ſint ſcriptorum opiniones de diuiſione Animæ, cum alij volũt, quod non ſit ſecundum materiam, alij vero quatenus participat cum rebus materialibus. Nam reuera interior anima (quę eſt ipſe Deus) nec patitur nec diuiſiones admittit, eſt ergo eius diuiſio reſpectu materię in qua eſt, & nõ ex ſua eſſentia, quæ eſt eadem cum Deo, à quo emanauit prius iuxta illud Hermetis Triſmegiſti in Piman. 12. Mens quidem ex ipſa Dei eſſentia, ſi quæ tamen eſt eius eſſentia, naſcitur. quare ab eſſentia Dei nequaquam diuiſa eſt, ſed illi eo modo connexa, quo Solis corpori lumen. Hæc mens Deus eſt in hominibus, atque idcirco nonnulli ex hominum numero Dij ſunt. Hæc ille. Ex his ergo liquet, quod diuiſio ſit in multitudine, quæ eſt in materia & non in eſſentia formæ. Sic videmus infinitos Solis radios ſeipſos permiſcere cum mundi ſpiritu, eum in partes infinitas diſtinguentes, cum tamen nihilominus radij illi non diuidantur aut diſtinguantur à copore ſolari.

Plato, vt ſupra dictum eſt, videtur diuidere Animam in circulos, & alibi animam vocauit circulum. At Ariſtoteles dictus eſt reprobare Platonis propoſita, nõ vt ea, quæ ab ipſo ſcripta ſunt, refutaret, ſed vt ea vocabula condemnaret, quæ vulgariter ſonant, & tamen alium habent ſenſum, vt hac ratione aliqui per ſcripta aut vocabula metaphorica à Platone ſępicule vſurpata (in quibus ſolebat ſenſum includere & occultare profundum) in errores non inciderent. Huius rei exemplum ponit Franciſcus Georges Venetus. Quando, inquit ille, legunt in Platone, quod anima ſit circulus aut numerus, nõ credendum, quod hoc dictum ſit ſecundum matheſim materialem, aut Arithmeticam vulgarem. Similiter quando dicit, quod res omnes non niſi vnum ſint, nõ intelligendum per vnam rem compoſitam aut aliquod particulare, ſed ideo dicta ſunt omnia vnum, quatenus per vnum habent virtutem exiſtendi, quemadmodum omnes numeri ſuum eſſe habent ab vnitate in eos expanſa. Hæc ille.

Simili plane ratione dicitur Deus à Platonicis Circulus, qui non capit originem aliunde, quam à ſeipſo, & ad ſeipſum tendens conducit res omnes ſecum. Et tamen ab iis & Hermete Triſmegiſto, dicitur cuiuslibet rei centrum. Porro etiam Trinitatem idem Hermes, vt teſtatur Franciſc. Georg. Venetus, ſub ænigmate de Sphæra explicat, cum dicit, quod Deus ſit Sphæra, cuius centrum, hoc eſt, Pater, eſt vbique, ſed circumferentia, hoc eſt, Sapientia & Filius eſt nullibi, quia incomprehenſibilis, & tamen comprehendit omnia, at vero mutuus reſpectus ſ. harmonia & amoris nexus inter centrum & circumferentiam, qui fit per regularitatem proportionum ſimilium ſemidiametrorum denotatur per Spiritum Sanctum, qui dicitur catena illa in mundo aurea, omnes mundi iuncturas ſ. elementa in pace & cõcordia amplexu ſuo amatorio cõſeruans, hoc eſt, vigorem igneum ſ. vitæ & multiplicationis virtutem amatoriam aquis ſ. ſpiritui mundano impertiens, omniaq; harmonia ſua in vaſto mundi concauo implens, ne vacuum iterum in rerum natura daretur. Hanc quoq; circuli interpretationem videtur illud Eccleſiaſtici confirmare: Ego ſola inquit Sapientia circumiui totum cœlum, & ego penetraui vſque ad abyſſum. Porro dicitur, quod Verbo Domini firmati ſint cœli, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Quod autem huius circuli periferia ſit vltra captum humanum, ex verbis his viri Sancti, Iob c. 11. 9. liquet: Dei Sapientia non inuenienda, eſt enim illa altiſſimis cœlis altior, & profundior ſepulchro imo, longior terra menſura eius, & latior mari. Vides ergo hic quam ænigmaticus ſit Philoſophorum ſenſus, & à captu vulgari remotus, quando nominant Deum aut Animam Circulum, aut quod Circulus ſit in ipſis.

Imo vero & per Harmoniam eiuſdem verbi à vinculis tenebrarum exilientis mortiſque ſtigmata ſuperantis omnia redibunt ad vnitatem, à qua prius ſunt regreſſa, iuxta illud Diui Pauli antea allegatum, quo docemur aperte, non modo homines, ſed etiam res omnes alias eſſe conductas ad ſuas harmonias veras per ſanguinem Chriſti. Verba eius ſunt huiuſmodi: Pacificans per ſanguinem ſuæ Crucis res omnes, quæ ſunt in terra & quæ ſunt in cœlis. Hæc inquam, eſt extenſio Filij ſ. Sapientiæ à centro, videl. Patre, quem Cabaliſtæ vocauerunt Aleph tenebroſum ſ. Deum latentem, vt Filius ſ. Lux ſ. Verbum ab hoc à Centro vndique exiliens quaſi in circulum, ab ipſis Aleph lucidum ſcil. Deus patens nuncupatur, de quibus copioſe ſatis infra. Et Platonici acceperunt hanc Hebræorum Sapientiam, & Chriſtianorum Meſſiam, & Cabaliſta-

rum

rum Mittatron,& Prophetarum atque Apoſtolorum Verbum pro vera mundi Anima,quam dixerunt harmonice impleuiſſe omnia mundi interualla in ternario, eius quadrato & cubo: videlicet 3. 9. 27. quæ proportio formalis & perfectiſſima agebat in illam materialem 2. 4. 8. vt agens in patientem, mas in fœmellam,forma in materiam,& perfectio in imperfectionem. Spiritus ergo Sapientiæ actiuus ſc. Mittatron angelus pulſat per propottiones prædictas perfectionis in mundi ſpiritum paſſiuum, qui accipit menſuras, ſc. impreſſiones conſonantiarum à ſpiritu pulſante, vt Chorda à Muſico,vel fiſtula à flatore, at ipſa fiſtula ſcil. inſtrumentum eſt vaſta ipſius Mundi cauitas,quam cum anima percuſſerit,flatu diuino eam implet, vt vis flantis cõcauitatem fiſtulæ ſuo ſpiritu. Atq; hic ſat liquido obiter demonſtratur,quod vt proportio harmoniæ ſcil.ſonorum,ſcil.conſonantiarum erat in fiſtula ſ.chorda,& non in flatore ſeu pulſatore, ſic etiam circuli,à cuius partib. in anima harmoniã ortam dicis, ipſa quidem harmonia ſeu proportiones eam conſtituentes erant in re commenſurata, & non in commenſurante, hoc eſt in numerato & non numerante, vt ſtatim more phyſico oſtendam. Sed ad rem redeamus, vt Platonici omnem Muſicæ mundanæ actum ad ternarij cubum reduxerunt;ita ad mundi harmoniam explicandam tres enneades ad cubi illius compoſitionem concurrentes modo duplici expreſſerunt: vel ſcil. quatenus ternarii cubus hic 27.addendo tres nouenarios in vnum aggregatos 999. protulerunt vel diſpoſuerunt eos à dextra ſiniſtram verſus hoc modo: 999. Per cubum ergo Harmoniam mundanam mathematice demonſtrare ſunt aggreſſi, formæ proportiones harmonicas per eiuſdem partes in mundo arguentes, vt infra declarabimus. Atque hoc idem voluit Pythagoras in numeris peritiſſimus, vbi aſſerit,quod perfecta harmonia compleatur per cubos: vnde Pythagoræi dixerunt cubos harmoniam, quia illi inter alias figuras habent angulos proportionaliter æquales in lateribus & ſuperficiebus. Plato veto & Cabaliſtæ in hac enneadum ſerie 999. myſteria harmoniæ mundanæ tam metaphyſica quam phyſica includere videtur admiranda: nam ſecundum Algorithmum Arabum & Hebræorum primus numerus verſus dextram eſt numerus ſimplex ſub numero denario contentus, cui propter eius ſimplicitatem formalis eſſentia & nouem Ordines Angelorum attribuerunt, qui in mundo intelligibili ſunt: ſecundam enneadem,quæ eſt denariorum,& in qua eſt compoſitio, auricularis nouem cœlis applicarunt: & vltimam,quæ eſt centenariorum,in qua compoſitio eſt adhuc magis materialis,& compacta,ad nouem gradus generabilium & corruptibilium in mundo elementari,quæ omnia in homine terminantur,qui eſt quaſi mearus & medium,per quod illa tranſeunt ad res cœleſtes, & ab illis rurſum ad intelligibilia exaltantur. Atq; per hæc interualla mundum perfecte implentia, ita vt nullum vacuum ſ.inanitas relinquatur in rerum natura,exactiſſima Sophorum Harmonia tam mundi quam animę elicitur: at de his rebus exacte particularizare cum Philoſophis & Mathematicis res eſt difficilima. Verum Zohar,ternariam hanc diuiſionem demonſtrauit non numeris,ſed analogia ſ.ſimilitudine: nam tria,inquit, ſunt quæ correſpondent & figurata ſunt ad exemplar Archetypi ſ.primariæ Ideæ,videl. Tabernaculum Dei à Moyſe præparatum, Templum Salomonis,& Corpus humanum,ſecundum trium numerorum prædictorum,qui ad ea reſpõdent,in Macrocoſmo,nempe vocalis ſ.operatiua,quæ rahitur ex menſura ad mundum elementarem,formalis quæ elicitur ex vocali ſ.operatiua ad illum cœleſtem,& rationalis, de formali ſcaturiens ad intelligibilem. Nam Tabernaculis à Moyſe repræſentatum ſymbolizare videtur cum tribus mundis tam in macro-quam microcoſmo huiuſmodi: Prima eiuſdem portio,quæ non tegitur,ſed aeri aperto patefacta,ventis,pluuiis,grandini,niui,& aliis aeris impreſſionibus in mundo ſublunari exponitur,& eſt in perpetua mutatione & alteratione, & huic loco fit acceſſus turbæ vulgaris & animalium, atq; ibi erat aſſidua vitæ & mortis viciſſitudo propter continua ſacrificia ibi oblata. Hæc ergo Tabernaculi portio denotat Mundum elementarem,qui de Aquis groſſioribus componitur tanq̃ ſubſtantia fluxibili,inſtabili & minime in eodem ſtatu permanente,vnde hic ꝓprie dicitur Mundus tenebrarum & obſcuritatis, vbi habitationem ſuam & dominium habet Tentator & tenebrarum princeps. Vnde morti corruptioni & mutationib. ſubiicitur. Et in ipſo homine hoc denotatur per eius corpus. Secundo pars auro coruſcans & per candelabrum ſeptem punctis ornatum(qui ſine dubio ſunt 7.cœli Planetarum Symbola) Mundum denotat cœleſtem,qui de lumine & tenebris participat,quæ reſpondent aquæ & igni: vnde ab Hebræis Cœlum dicitur אשמים Eſchamaim ab אש eſch Igne,& מים maym Aqua:vnde æther etiam dicitur quaſi æthaer,i.e.igneus aer. Atque hinc eſt,q; licet pars hæc corpore imbuatur, tamen propter vincentem formæ lucidæ in ea diſpoſitionẽ & intellectum quendam illum gubernantem,(vt anima rationalis corpus) corruptioni ſe non ſubmittit. In homine talis eſt eius anima ſeu ſpiritus vitæ. Pars tertia Templi eſt Sanctum Sanctorum, Mundum in macrocoſmo ſupercœleſtem ſ. intellectualem commonſtrans, ex lumine & igne perfecto & intelligibili totaliter conflatum: eſtque Angelorum coram Deo magno Tetragrammaton adminiſtrantium ſedes. atq; hoc denotatur per duos illos Cherubinos aureos,qui elegantes & extendentes alas ſuas verſus altare & Propitiatorium adumbrantur. Mundus hic ergo mouet illum cœleſtem,atque is tandem Elementarem. Eſt ergo Mundus Supercœleſtis maſculus ad illum Cœleſtem,in quem agit,vt mas in fœminã, cuius matrix vniuerſalis eſt Sol,qui implet ſuo Lumine ſtellas cæteras; atq; itidem ille Cœleſtis eſt mas ad Elementarem, cuius matrix eſt ipſa Terra. Simili quoq; modo talis eſt reſpectus ſ.comparatio inter partem extremam Tabernaculi & Corpus humanum,viciſſim inter partem eius mediam ac deauratam & Animam humanam, atque tandem inter Sancta tabernaculi Sanctorum, atque Rationem,Intellectum & Mentem in homine. Atque hinc eſt,quod homo etiam ab Apoſtolo dicatur Templum Spiritus Sancti.

Atque hinc prouenit, quod per respectum illum, qui habetur ad 999. facta sit fructuum & bonorum terræ in Lege Mosaica diuisio: nam centum portiones populo erant destinatæ, & pars decima hominibus Ecclesiæ, de qua iterum parte portio decima erat extracta pro ipso Deo, ita vt numeri centenarij tanquam magis materiales, grossi, atque in multitudinem immersi pro populo, vulgo & prophanis reseruati essent, decimus pro presbyteris & vnitas pro Deo, qui existens omne in omni, non tamen est nisi vnitas. Ex quibus constat, quod omnia non sunt nisi vnum, respectu ad Deum habito, sed ratione captus humani res plures ac multifariæ esse videntur.

Atque sic, quoad Philosophos, Anima & ipse Deus videntur esse Circulus, & diuisiones in se recipere, ex quibus scientias elicere, atque varias Harmoniæ mundanæ formulas inuenire gestiunt. Sed intelligant recte velim quid hac in re loquatur Ieremias cap. 9. Ne glorientur Sapientes in sua Sapientia, nec robusti in robore suo, nec opulenti in suis diuitiis, sed in eo, quod Deum cognoscunt atque intelligunt. At vere Sapientes aliud dicũt & aliud intelligunt, vti antea probatum est. Sed vt in Discursu hoc pergamus, & numeri ternarij mysterium ampliori adhuc hiatu aperiamus, Cabalistæ & Hebræorum Sapientes numerum hunc 999. in literis Hebraicis intelligentiæ fortissimi בוט טריר. Mettatron inueniri dicunt, quem dixerunt facierum Principem, quia officium habet introducendi coram facie Domini eos, quos vult appellari, quem alij sumunt pro illa Platonicorum mundi Anima. Hic ergo Mettatron scil. Mundi anima erat (secundum Sapientum traditionem) prima res creata, retinens in se perfectionem omnium aliarum Creaturarum: vnde videtur mihi, ipsum fuisse illam Sapientiam, de qua in Ecclesiast. dicitur cap. 1. *Prior omnium creata est Sapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo:* quemadmodum etiam ex sequentibus apparebit.

Theologi secretiores & in Cabala vera expertissimi dixerunt, quod vt Mens dominium habet in Animam humanam, sic etiam Mettatron mundo cœlesti, & in quo Soli præsidet, & anima Messiæ mundo angelico, & Adonai ipso Archetypo. Et quemadmodum animæ lux est intellectus agens s. ipsa Mens, sic etiam lux ipsius Angeli Mettatron seu Mundi Animæ est Sadai, & lux animæ Messiæ est Elchai, qui significat Deũ viuentem, & lux ipsius Adonai est Ensoph significans Diuinitatis infinitatem. Mundi igitur Anima est Mettatron, cuius lux est Anima illa Messiæ seu virtutis Tetragrammati, in qua est lux Dei viuentis, in quo est lux Ensoph, vltra quam non est progressio. Ex quibus liquet, quod in ipso Mettatron s. anima mundi, s. sapientia ante omnia creata & in æuo cum Deo existente, sit virtus Patris, Filij atque Spiritus Sancti: vnde de eo (vti Sapientes exposuerunt) intelligebat Deus, quando Israelitis in huiusmodi verba loqueretur, Exod. 23. *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui te in via conseruabit, ausculta voci eius, nec ei succenseatis, &c. nam nomen meum est in eo:* Hoc est tetragrammaton, quod est Trinitatis Symbolum. Ecce ergo quam potens, & ipsi Deo Creatori proxima est ista mundi anima, & quam profunde videl. ab ipso Ensoph seu infinitate diuinitatis haurit illa Harmoniæ illius spiritualis atque igneæ originem, quæ est harmonia agens & formalis in mundo, à Platonicis per ternarium numerum 1. 3. 9. 27. seu 999. significata, cuius actus harmonici sunt in materiam imperfectam per numerum binarium 1. 2. 4. & 8. iuxta Philosophos imprimuntur, secundum dignitatem & proportionem materiæ in puritate, subtilitate, grassitie aut opacitate, quibus virtute sua lucida aut magis aut minus implet spiritum mundanum tam subtilatione tenuem quam congelatione densum. Atque vt per actum huius animæ vniuersalis vnitas hylæ deformis & obscuræ in multitudinem diuiditur, quemadmodum ocularitèr Solem in infinitas partes spiritum mundanum suis radiis diuidere percipimus, sic etiam omnes illas partes per illuminationem in principio creatas, ad inuicem coniungi intelligunt Platonici per igneum illum amorem (qui & gluten scil. ligamentum naturæ igneum vocatur) formam suam creantem cum rebus in multitudine materiali creatis harmonico nexu coniungens: vt in numeris videmus quod 3. coniungit 2. ad 4. & 6. coniungit 4. ad 8. & sic in cæteris. Atque hinc orta est medietatum triplicium inuentio, videlicet illius Harmonicæ, Geometricæ & Arithmeticæ, inter quas illa quidem harmonica est vere naturalis & ad physin pertinens: cæteræ ad matheſin potius quam ad naturam spectant. Ab hinc igitur deriuata est Platonicorum & Pythagoræorum inuentio de Heptachorda, vbi mixtiones suas faciunt de numero impari cum numero pari, inde denotantes coitus scilicet progressionis scil. nexus harmonici proportiones factas inter marem & fœminam, inter lucem & tenebras, inter materiam & formam, inter cœlum & terram, inten creatorem & creaturam, vel numerando ab infima multitudinis basi vnitatem scil. simplicitatem versus ascendendo, vt Aristoteles & Peripathetici, qui Naturam & eius consensum per demonstrationes à posteriori delineare solebant, hoc est ascendebant in sua demonstratione à rerum sensibilium natura per elementorum mysteriorum explicationem & principia rerum inferiorum vsque ad machinam cœlestem & non vltra, hocque per numerum quaternarium, hoc est corporalem materialem & sensibilem (qui numerus iuxta doctrinam Pythagoræ ita participat de materia & corpore, vt numerus ternarius de forma.) Vel descendendo per demonstrationem à priori ab ipso supremo rerum omnium Creatore ad infimum creaturarum gradum, hocque per numerum ternarium, more ordinis Sephirotarum, primum à cœlo intellectuali in illud æthereum, & ab illo in 4. elementa s. cœlum elementare. atque inde deriuaui ego Demonstrationes meas naturales, à duarum pyramidum, formalis nempe atq; materialis, transuerso modo dispositarum compositione, ex quibus materiæ aqueæ atq; formæ lucidæ gradus & nexus in natura mundana, hoc est, monochordii mundani intersectiones cum eorum interuallis ad inuicem nexu harmonico concatenatis depromuntur, de quibus copiose

in physi-

in physica Macrocosmi Historia egimus. Hinc igitur obiter animaduertendum est, quam variæ sint Hominum philosophandi rationes, quam diuisa Harmoniæ verę mundanæ inuentio. Quorum alij per numeros, & ex iis alij incipiunt cum binario, vt Peripathetici, alij cum ternario, vt Platonici, quorum hic materiam per formā demonstrare gestit, ille vero formæ mysteria per materiam explicare nititur. Pythagorici vtraque formula vsi sunt. Cabalistæ, Sophi & Hermetici per realem & viuam naturæ actionum & passionum speculationem ac obseruationem hoc præstare aggrediūtur. Vtcunque omnes agnouerunt & confessi sunt Catenam illam auream, cuius primam iuncturam Cathedræ Iouis alligatam & fixatam credunt, quæ deorsum ab illo puncto declinans, & per vniuersæ naturæ viscera ad mundi vsq; meditullium se porrigens harmoniæ mundanæ consonantias atque interualla suis iuncturis delineat, chordamque instrumenti mundani harmonicam Symphoniace vibrare cogit atque pulsat ipse Iupiter. Scala, inquam, est hæc Iacobæa, mediante qua Angeli, hoc est, diuinæ hominum mentes se de cœlo inclinant, & ad cœlum harmonia admirabili ascendunt. Huius, inquam, harmoniæ instrumentum erat lapis ille Iacobi puluinar totius mundi similitudinem & harmoniam in se possidens, atque repræsentans quippe qui dictus est domus Dei, cuius imago erat illud Moysis Tabernaculum tripartitum à nobis antea descriptum & ad tres Mundi regiones relatum, imo vero in illo microcosmo vero Dei templo vera mundi harmonia oculis viuis conspicitur, & numerorum formalium ratio, & binarij atq; ternarij consideratio primordialis, & tenebrarum atque lucis dispositio clara, & naturæ passiuæ cum actiua vnio, & elementi in elementum secundum leges naturę progressio, & numeri ternarij perfectionis ratio, & illius septenarij ex materię & formæ nexu admirabili hoc est, 4. & 3. scaturientis productio, & diei Sabathi, sc. requietis in Domino explicatio, & 7. Scalæ Iacobeæ graduum demonstratio luculenta, nempe via per terram, per aquam grossam, per aerem impurum, per ignem grossum, per vitæ ætherem, quem quintum statuunt elementum seu aerem igneum & purum, per cœlum pure igneum, scil. elementum sextum, & denique ad ineffabilem essentiæ & maiestatis diuinæ reuelationem, vbi quies inexplicabilis & pax Sabathum & gloria in æternum quam luculentissime explicantur: nam Iacobus dixit: Deus est hic, & ego nesciebam. Hic ergo explicatur vera mundi harmonia, hic philosophorum diuinorum illuminatio prima atque scientiæ Musicæ inuentio, quam ad numeros & figuras Matheseos externas adaptauerunt, vt ad Templi Salomonis aut Mosaici Tabernaculi exemplar arcana mundi tam archetypici quam typici elici declarauimus, sed hoc quidem more symbolico seu analogico fieri assolet, quando per numeros Arithmeticæ vulgaris aut figuras Geometriæ externæ, aut per res visibiles illud fit, quoniam nulla est vera aut certa visio in rebus corporeis, quippe quæ videntur & non sunt, sed omnium visionum certitudo est in formæ meditullio videlicet intellectualis, quoniam in ventre formæ Sapientia s. Verbum s. Messiæ Lux relucere dicitur, quemadmodum in Mettatron s. mundi anima est dictum. Ex his igitur sat liquido constat (ni fallor) quod; cum Philosophi dixerint Deum esse Circulum, aut Circulum esse in anima, eum in partes Geometricas diuisibilem, videl. triangulum, quadrangulum, pentangulum, diuidentes, &c. illud quidem, mi Iohannes, non esse nisi more analogico & metaphorico dictum: & tamen adhuc spero, me tantum coram mundo effecturum, vt, quia in amicitia literaria iam sumus (vti spero) coniuncti, efficiam quod ambo in iisdem Harmoniæ fundamentis cōueniamus, vnde mundo apparebit, quod non vlteriotis inter nos contentionis sit opus, sed vt in pace simul imposterum, vti bonos Christianos decet, conquiescamus. Tu igitur dicis, quod Anima humana sit pars naturæ, & quod in anima reluceat circulus cum suis diuisionibus per regularia plana, propterea, quia animus est imago Dei: at ego dico, quod Anima, quatenus habetur ad eius essentiam respectus, non possit diuidi à natura, tanquam pars à toto, iuxta illud Mercur. Trismeg. Pim. 12. Mens ab essentia Dei nequaquam diuisa, sed illi potius eo modo connexa, quo Solis corpori Lumen Videmus enim radios solares cum corpore solari esse coniunctos, & minime reuera diuidendos, quoniam Lucis essentia est vnica, & in partes non diuidenda: at vero respectu nostrum, qui in multitudine sumus versati, dicimus Animam huius ab illa alterius numero & specie differre, cum nihilominus omnes animæ ad vnam mundi animam seu Mettatron habeant relationem continuam, vt lux Solis ad Solem. Est ergo reuera pluralitas in materia & non in forma, quæ nihil aliud est quam continua à Deo scilic. Verbo emanatio, vitam & essentiam omnibus Creaturis impertiens, cuius quidem reuocatione tollitur vita, iuxta illud Psalm. 104. Deo dante Creaturis colligunt, illo aperiente manum suam replentur & saturantur bono, abscondente faciem suam conturbantur, recipiente spiritum suum respirant & in puluerem reuertuntur, emittente spiritum recreantur. Et Iob cap. 12. 10. dicit: quod in Dei manu sit omnis viuentis anima, & spiritus vniuersi carnis. Et Psalm. 146. Benignitas Dei conseruat omnia in seculum. Et alibi dicitur, quod Deus sit Sol, vitam & gloriam dans. Nam Deus, vti dictum est, vbique sua essentia versatur per mundum, & in Mettatro suo inhabitans, Lumineque [vt aiunt Scripturæ sanctæ] vestitus omnia implet, eaque sua præsentia iugiter conseruat. Hinc omnia in creatione opera dicta sunt bona, quæ mala atque inania ante Creationem fuerant æstimata, quæ quidem bonitas à Deo, (qui est solum & summum bonum) & à participatione cum eius essentia orta est: atque hoc eius glutine ac harmonia omnia in mundo concordi pace & vinculis æternis connectuntur. Concludo igitur, quod, vt Dei essentia est indiuisibilis, sic etiam ipsa Natura, quæ est eiusdem emanatio in mundum, est omnimodo vnica forma & in se indiuisibilis, & quatenus Deus est diuisibilis in Personas tres, inde arguendo officia & proprietates ad huius mundi perfectionem productæ, sic etiam & anima in partes varias diuidi dicitur, vnde quandoque est sensus, nunc

memoria, aliquando imaginatio, deinde ratio, intellectus, Mens, &c. Qui agitur Animam considerare gestiunt rebus caducis inditam, oculeis corporeis eam cum corpore eiusque proprietatibus distingui animaduertent. At qui in se & ad centrum suum reuertendo, externo, quasi vmbra præstigiosa neglecto, ad interiores suos aditus penetrabit, is quidem oculis spiritualibus percipiet nec diuisionem nec quantitatem inesse animæ, nec in Deo (qui est supra quantum & quale, cui animæ essentia continua est) numeros aut figuras geometricas posse inuestigari. Sed in hoc dixerunt Cabalistæ Mettatron circulum (ad cuius imaginem est anima humana, quippe quæ est de eadem & cum eiusdem essentia continua) affirmantes eam fuisse lineam quandam viridem, vastam mundi cauitatem circumambientem, vnde & ab aliis Cheterelion, id est, suprema corona appellatur. Atque horum opinionibus adstipulari videtur Moyses dicendo, quod Spiritus Domini ferebatur super aquas, & vt alius addit motu peripherico vim igneam iis imperriens. Nec tamen propterea anima mundi est circulus, neque circulus ei inest, sed ipsa potius suo motu circulari quasi per figuram capacissimam mundum terminat atque continet, vt & ab hyles tenebris diuidit. Est ergo circulus eiusque diuisiones imaginariæ in spiritu passiuo creato & non in anima creante. At vero quatenus anima per suam essentiam ternarios & formales scalæ harmonicæ gradus implet, & vbique dicitur adesse, omnia comprehendere, non tamen aliter est res comprehensa in natura scilicet essentia comprehensoris, quam Creatura in essentia Creatoris. Sed dicuntur Circuli mundani esse in anima lucida, vt tenebræ semel illuminatæ sunt in luce, aut aqua mundana in igne, sic etiam multitudo dici potest in luce reperiri, videlicet in materia à Luce comprehensa, quamuis Lux illa sit indiuidua, vnica & indiuisibilis in se. Non ergo inest circulus essentiæ animæ, sed rei illi materiali scil. spiritui mundano, cui anima dat esse, & quem vndequaque ad instar circuli amplectitur, attamen in illo circulo inuenitur nec centrum nec circumferentia, iuxta illud Iobi supra citatum cap. 11. 9. Dei sapientia non inuenienda, est enim illa altissimis cœlis altior, & profundior sepulchro imo, longior terra mensura eius, & latior mari.

Conuenimus ergo in hoc: quod Spiritus mundi vniuersus (olim manis & tenebris obductus, iam facie ipsius Iod, seu Dei prius latentis at reuelatione nunc patefacti, seu Verbi, (quod est Lux & vita mundi) scil. sapientiæ ante omnia creatæ, quam Salomon dicit in se esse Sole & Stellis clariorem) in figuram sphæricam, vastam mundi cauitatem implentem; & ab actus scil. animæ mundi potentia & virtute sustentatam, & tanquam terminatum & finitum in re indeterminata & infinita inclusam, esset redactus; ita vt hic spiritus orbicularis ab ignea mundi anima illum circumambiente includitur, cum cuius etiam partibus quam minimis ignea illius animę vis & amor Symphoniacus permiscetur, vt anima humana in toto esse & in parte qualibet totius; Agnosco etiam, quod Matheseos arte sphærica hæc substantia tam numeris arithmeticis quam figuris geometricis via imaginaria & mente concepta partiri atque in partes distingui possit, quo per demonstrationem vel à posteriori vel à priori ad perfectionem Dei & naturæ cognitionem peruenire possumus: tamen hoc scire debent Mathematici & Philosophi in mathesi ob illam metam versari; quod reuera nec sint numeri nec figuræ externæ in anima mundana per se consideratæ, quippe quæ est continua & diuisionis expers, sed demonstrationes fieri per analogiã s. similitudinem, cum verum Physices atq; harmoniæ eiusdem subiectum sit Spiritus s. Aqua, & Lux s. anima, hoc est matera & forma. More ergo mathematico bene descripsit Iohannes mundi visibilis harmoniam, sed ratione magis abstracta: more etiam physico Harmoniam suam explicauit Robertus, sed ratione magis concreta. Cum ergo vterq; nostrum super eadem fundamenta naturæ firmæ stabiliti simus, non video ego, cur Robertus viam Iohannis mathematicam in naturæ Symphoniam describendo iuste possit respuere, aut itidem Iohannes semitam Roberti physicam in Harmoniæ suæ explicatione & demõstratione repudiare, cum eadem (inquam) sint fundamenta, idem obiectum & meta, progressus vero in demonstrando tantum modo diuersi.

Vbi autem videris asserere, quod diuisio illa & Harmonię interualla essent in mundo archetypico ab origine, & abinde in animam humanam esse infusa, dico ego quod nulla fiat diuisio in essentia diuina, vtpote quæ est indiuisibilis, nec circuli aut figuræ impressiones (nisi metaphorice loquendo) potes sit recipere. Est enim instar Diapason perfectissimæ & completissimæ consonantiæ, quæ oriens à sua propria virtute in illam iterum redit, & hoc vnum manet, atque itidem se habet anima, iuxta illud Platonis supra dictum, quatenus à legibus corporeis sit libera; cum sit radius illius diuinitatis à qua orta est. Vnde sciendum est, quod, vt in rerum natura Sol est integrum totum & vnum sine diuisione, nihilominus radios (qui sunt eiusdem essentiæ cum suo toto) infinitos emittat in mundi spiritum, illum in infinitas species distinguentes, vel vt vnitas in Arithmetica est indiuisibilis, per se tamen ab ea multitudo effluit: sic etiam Deus qui est semper vnus & idem & omnimodo indiuisibilis, in multitudinem, hoc est, materiam & eius partes dispergitur, ipso vnum hoc & indiuisibile manente, vnde tam à Philosophis in Theologia versatis Ens entium & creaturarum Pater nuncupatur. est ergo vnum infinitum & indiuisibile, quatenus in se & per se consideratur, atq; iterum est quoad nos & captum vulgarem in partes & proportiones harmonicas diuisum, quatenus vitæ & esse radios suos ab vnico quasi centro ad infinitos circumferentiæ punctos cuilibet mundi proportioni & creaturæ vitam attribuentes, & vnam ab alia distinguentes, vnde omnia dicuntur viuere in Deo & in eo existere, hoc est, ab ipsius essentia vitam & existentiam ducere existimantur. Atque hæc erat ratio, quod Democratus & Orpheus & multi Pythagoræorum vulgariter considerando omnia Diis plena asseuerauerint,

uerauerint, inde declarantes, quod quælibet creatura proprium & peculiarem ſuum Deum poſſideat, ſed tamen oculis interioribus hæc omnia arbitrando concluſerunt hos Deos omnes relationem habuiſſe ad vnicum Iouem, vt omnes Solis radij ad vnicum Solem referuntur. Vnde in Exod. 20. inuenimur: quod non colendus eſt niſi Deus vnicus, qui & alibi Deus Deorum appellatur: & alibi: Tu ſolus, ò Iehoua, es Deus. Non ergo ſequitur, quod, quia Spiritus Sanctus eſt in quolibet homine vim & virtutem viuendi & ratiocinandi ei præbens, quod ideo ſint multi Spiritus ſancti aut Spiritus ſanctus in partes diuiſus, quatenus eſſentia Dei non eſt diuiſibilis. Sed tamen homines quaſi infinitos eſſe, & ab inuicem reuera diſtinctos & diuiſos certum eſt quoad materiam, quæ ſola in multitudine dilatatur, & non in forma, quæ ſemper continua eſt ad ſuum fontem lucidum.

Sed vt ad magis particularia iam tranſcendamus, inquiramus parumper, an varia fuerit Harmoniæ naturalis inter Philoſophos in natura peritiores inueſtigandi ratio necne, & an vnicam obſeruauerint viam, aut vnã methodum? & ſi non, quærendum eſt, cur noua harmoniæ mundanæ ratio non concederetur tam Iohanni & Roberto, quam cuilibet illorum, qui operam in Harmoniæ mundanæ inquiſitione adhibuerunt.

Legimus imprimis Terpandrum chordam ſeptimam ſ. heptachordum inuenientem illud tandem 7. planetarum numero æquaſſe. Alij ex veterib quadruplex inuenerunt Harmoniæ genus in vtroq; Coſmo elementis conueniens, videl. Doricum Aquæ & Phlegmati, Phrygiũ Igni & Choleræ, Lydium Aeriæ & Sanguini & Myxo, Lydium Terræ & atrę bili conſonare arbitrati ſunt: ſimiliter Nicomachus Tetrochordum à Mercurio inuentum 4. elemẽtis deſtinauit; cuius neruus vnicus Hypate Terram, Parahypate vel Meſe Aquam, Nete vel Diazeugmenon aut Hyperbolæos Ignem, & Paranete Aerem reſonare atq; indicare autumauit. Alij cœlorum numerum virtutemq; reſpicientes, Dorium Soli, Phrygium Marti, Lydium Ioui, Mixolydium Saturno, Hypophrygium Mercurio, Hypolydium Veneri, Hypodorium Lunæ, Hypomixolydiũ cœlo ſtellato contribuerunt. Nonnulli iterum ſpacium, q̃ inter Terram & Lunam interiacet Toni interualium faciunt. (Hic quidem Iohannes me hercle derideret, ſcio, ſi in mea Harmonia tonum tãtæ longitudinis inueniſſet.) Deinde à Luna ad Mercurium dimidium illius ſpacij facit ſemitonium & tantundẽ ab illo ad Venerem. Inde vero ad Solem triplũ quaſi tonum & dimidium ſtatuit Diapente. à Luna autẽ ad Solem duplum cũ dimidio faciens Diateſſaron. à Sole vero ad Martem rurſus tantũ volunt haberi interualli, quantum à Terra ad Lunam faciens tonum. Inde ad Iouem dimidiũ illius, aliud faciens ſemitonium, & tantundem ab illo ad Saturnum conſtituens ſemitoniũ, à quo ad ſtellarum orbem iterum ſemitonij ſpatium interiacet, eſt itaq; à Sole ad cœlum ſtellatum Diateſſaron, duorũ nempe tonorum cũ dimidio à terra vero perfecta Diapaſon, ſex nempe tonorum integrorum. Secundum alios à proportione motuum Planetarum ad inuicem & cum octauo cœlo reſultat Harmonia vt dicunt omnium ſuauiſſima, eſt aũt proportio Saturni ad Iouem dupla ſequialtera, Iouis ad Martem ſeſcupla, illius ad Solem, Venerem & Mercurium, qui pariter iter perficiunt, proportio dupla, illarum ad Lunam duodecupla, Saturni vero ad orbem ſtellatũ mĩllecupla & ducentupla. Agrippa vult, q̃ Saturnus, Mars & Luna plus vocis habeant q̃ concentus, dicitq; Saturnum habere voces triſtes, raucas, graues, tardos & veluti ad centrum coarctatos ſonos. Mars voces aſperas, acutas, minaces, veloces, iracundas. Inter has Luna obſeruat mediocres. Iuppiter, Sol, Venus, Mercurius poſſident concentus. Iuppiter ergo ſibi vendicat concentus graues, conſtantes, intentos, ſuaues, hilares & iucundos. Sol venerabiles, puros, dulces. Venus laſciuos, luxurioſos, voluptuoſos. Mercurius remiſſiores, multiplices, & cum quadam ſtrenuitate lætos & iucundos. Ex particularibus v. concentibus & proportionatis tonus Muſis nouem obtemperat, Iuppiter habet gratiam vocis octauæ & quintæ, ſ. Diapaſon & Diapẽte, Sol obtinet octauæ vocis melodiam, ſc. Diapaſon. Similiter & tonos quindecim Diſdiapaſon. Venus tenet gratiam vocis quintæ ſcil. Diapente. Mercurius habet Diateſſeron, ſcil. gratiam vocis quartæ. Et ſic in cæteris.

Plato & Pythagoras à numerorum & proportionum ratione & adinuicem concatenatione Harmonię ſuæ demonſtrationes hauriunt. Ariſtoteles per principia & principiata phyſica rem iſtam explicare tentat. Itidem ſunt & alij, qui fingunt Animæ humanæ Harmoniam conſtare ex debito temperamento & proportione virtutum & operationum ipſius, quæ ſunt, Concupiſcibilis, Iraſcibilis, & Rationabilis, quarum proportiones ferunt eſſe huiuſmodi: videl. illam Rationabilem & Concupiſcibilem habere proportionem Diapaſon, ad Iraſcibilem vero Diateſſaron: Iraſcibilem autem ad Concupiſcibilem habere proportionem Diapente. Et huiuſmodi aliæ inuentiones variæ ſecundum mentes & intentiones Philoſophorum & Mathematicorum varie & diuerſimode philoſophantium.

Ex his igitur luculenter apparet, quod liceat tam Iohanni ſecundum animæ ſuæ conceptum mõre ſuo mathematico in Harmonię mundanæ demonſtratione procedere, quam Roberto Symphoniæ ſuæ naturalis leges pro ſua inuentione & imaginatione explicare: cum ex præſcriptorum teſtimonio conſtet, rem eſſe inter Philoſophos communem & familiarem, naturæ myſteria ſuo more & methodo peculiari ſcriptis mandare.

At iam, mi Ioannes, quoniam inquiſitionem in tuæ Harmoniæ leges vlteriorem facere in animũ meum propter amicitiam inter nos comiter olim contractam, nõ venit, mihi quidem hoc loco in mentẽ occurrit, vt de mea Harmonia mundana atq; de eiuſdem proportionibus verba pauca, ſed luculenta ſatis proferam, ſimiliter vt comparationem inter proportiones eiuſdem atque illas Platonis leuiter hic inferam, quo

tibi & mundo ſuccincto quidem ſermone declarem, Robertum in Harmoniæ ſuæ inuentione & proportionum diſpoſitione non ita grauiter erraſſe, ac tu fortaſſe prima quidem fronte cogitaſti. Sed priuſquam in propriæ meæ Harmonię Diſcurſum deſcendam, de Harmonia veterum verba, duplici ratione me ad hoc compellente, nunc faciam. Primum ſc. vt literatis indicarem, me in veterum Harmonia non eſſe omnimodo tam ignarum, ac ab Iohanne in multis locis ſum prædicatus. Secundum vt ipſorum Harmoniæ proportiones ad meum mundi monochordū rectius & facilius adaptarem, quo vos (Lectores optatiſſimi) de comparatione illa mea rectius iudicaretis.

Scriptis mandatum repetimus, tam ſecundum Pythagoricos quam Academicos mundum vtrumque cum ſuis animabus per proportiones harmonicas quam commodiſſime fuiſſe deſcribendum: Et quoniam tria melodiarum, ſc. harmoniæ genera in vſu præcipue & praxi apud veteres fuerunt, Diatonicum ſcil. quod per Tonum Tonum & Semitonium conſonantiam Diateſſeron conſtituentia, in omnibus tetrachordis (ad diſpoſitionem quatuor elementorum prius inuentis) proceſſit, quod genus aliquantulum durum eſt, ſed tū naturale: Cromaticum à Diatonico ſcil. naturali recedens & mollius reſonans, illudque decreſcit per ſemitonium, ſemitonium & tria ſemitonia, quę coniuncta faciunt etiam Diateſſaron, ac deniq; Enharmonicum, quod in omnibus dettrachordis cantatur per Dieſim (quæ hic accipitur pro ſemitonij dimidio) & Dieſim & dittonum, quę omnia ſimul addita conſonantiam etiam Diateſſaron commenſurant. Ex his diuinus ille Plato ad Harmoniam ſuam mundi & animæ deſcribendam ideo Diatonicum eligebat, quippe quod genus magis naturale eſſe percipiebat atque ſimplex & generoſum & per conſequens magis per ſe diſpoſitum ad originaliter depingendos & deſcribendos mundi & animæ, hoc eſt, materiæ aquaticæ & formæ lucidæ ſeu paſſiui & actiui nexus, officia Symphoniaca & proportiones harmonicas in quolibet per ſe & inter ſe: ad quam quidem electionem eo magis inductus eſt, quoniam obſeruatione diligenti ab eo & Timæo Locro animaduertebatur hoc genus habere in ſua natura quandam vitæ rationalis gubernationem, quemadmodum illud Harmonicum omni vitæ corpori accommodatæ præſidere, vt & Cromaticum reſpectum habere ad ideam corporalem, ſed quoniam ex his animæ proprietatibus ratio eſt eminentior & nobilior, & genus hoc Diatonicum magis in ſua diſpoſitione naturale, ergo illud præ cæteris ad hanc ſuam Harmoniæ mundanæ inquiſitionem eligebat. At vero vt veteres per hoc in tetrachordis proceſſerunt, ſic Plato ad Nicomachi imitationem ad meliorem & magis proportionalem Harmoniæ ſuæ demonſtrationem ad Heptachordi naturā ad ſeptem limites conformati illud dilatauit, incipiendo ab vnitate atque duplicando vſque ad cubum binariam, videl. 8. & tum poſtea triplicando vſque ad cubum & ſolidum ternarij. Secundum huiuſmodi ergo numerorum proportionem exiſtimauerunt Academici tum animæ tum mundi fabricam fuiſſe diſpoſitam atque ad exitum productam, iuxta antiqua illa Pythagoræ documenta, qui numeri ternarij proportiones animæ, tanquam perfectioni maſculo agenti, & luci adæquauit, vt & illius binarij materiæ, tanquam imperfectioni, fœminæ, patienti & aquæ, ex quarum coniunctione videl. ex materia & forma omnia ſunt procreata atque propagata in hoc mundo: Aptauerunt ergo numeralis ſcientiæ conſultiſſimi Monadem opificii Deo, Diadem aut Dualitatem materiæ, ac formis ipſis Triadem virginem, ac vitæ & hominī Heptadem. Atque hinc Plato Diatonicam ſuam Harmoniam ad Heptachordum ordinauit, quia mundi vtriuſque interni ſcil. ſeu animæ & ſubſtantiæ corporeæ adaptauit, cuius proportiones ab 1.2.3. prædictis deducit, quorum numerorum cubi perficiunt tam animæ quam mundi ſtructuram, animæ, inquam, cubus ternarij, videlicet 27. & corporis ſ. materiæ cubus binarij videl. 8. Sed has quidem proportiones in mundi fabrica, quam optime, vt mihi videtur, ex Antiſtitis Moyſis relatione colligere fas eſt: Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Hic ſpiritus Domini eſt vnitas formalis, vt aquæ vnitas materialis. Tunc duplatio facta eſt, quando imperauit Creator, vt materia vniuerſalis informaretur, dicendo: Fiat Lux. Deinde huius binarij quadratum erat productum cum generalis illa mixtio in 4. redacta eſt elementa, quæ per vaſtam mundi cauitatem diſperſa ſunt. Denique per binarij illius cubum corpora creaturarum elementa ſunt propagata, videl. ſtellæ ex elementorum cœleſtium mixtione, mineralia, vegetabilia & animalia ex illis ſublunaribus. Atque hoc modo proportionaliter completa eſt creatura materialis, & fœmina in hoc mundo ſecundum diſpoſitionem trinæ dimenſionis, longitudinis ſcil. latitudinis & profunditatis, ſcil. lineæ, ſuperficiei & corporis, quæ reſpondent in mundo maiori ad ſubſtantiam tenuiſſimam cœli Empyrei, ad illam medij, & Elementaris, quorum, vt in Harmonia noſtra diximus, reſpectus eſt, ad radicem, quadratum & cubum in binario numero. Denique omnia numerorum illorum binariorum interualla implentur cum numeris ternariis eiuſdem proportionis, ſine quibus exiſtere nequeunt: nam ſine his vacuū & inanitas ſequeretur in maſſa fœminina: vnde in Geneſi omnia creata dicta ſunt bona & diuinis radiis impleta, quatenus de bonitate Elohim, hoc eſt, Spiritus ſancti numerum ternarium in proprietate diuina arguente, participant, ſine qua omnia eſſent, vt ante eius apparitionem, tenebræ & inanes. per vim ergo maſculinam ſcil. ternariam procedendum eſt in eadem proportione cum illa fœminina ad cubum, ſc. vſque; nam erat virtus iſta maſculina, quæ attribuebat gradus & proportiones ſubſtantiæ fœmininæ, eius interualla vita, eſſentia & actione implens, & perfectiſſimam in mundo harmoniam inſtituens, proportionem nempe conſonantiæ perfectiſſimæ Diapaſon in Angelis & Spiritu intellectuali, quæ eſt in dupla proportione, vt 1.2. & illam minus perfectā, videl. Diapente: in Dæmonibus Olympicis & cœlo æthereo, & imperfectam Diateſſaron in rebus inferioribus, vt in animalibus vegetabilibus & mineralibus. Ad has ergo tres mundi regiones pertinent tres hæ enneades ſic diſpoſitæ:

sitæ: 999. quæ simul additæ statuunt 27. qui numerus est cubus numeri ternarij. Impleuit ergo Plato ad exemplum animæ mundi suæ harmoniæ interualla, sed nos Christiani attribuimus huius Harmoniæ rationem ad vitæ spiritum, vitæ lignum, vitæ fontem, qui est mundi vita eiusq; verus Mettatron dicitur, summaq; mundi Sapientia & veræ Harmoniæ basis scilicet lapis angularis, de quo tantum prædicauit Iacob, arguens vt per solam illius Harmoniam, tanquam per eius scalam, datum esset hominibus in regnũ cœlorum ascendere, de quo Paulus loco antea allegato sic loquitur: Pacificans per sanguinem suæ Crucis res omnes quæ in terra & in cœlis sunt. Vnde concludere videtur, quod non modo homines, verum etiam res omnes aliæ sint ad suas harmonias veras conductæ per sanguinem Christi. Ad cuius quidem mysterij exemplar Veteres Sophi tam Academici quam Pythagorei per vmbrosas numerorum & figurarum formulas explicare tentauerunt; nam quanta erat ipsorum in mysterio diuino cognitio, quam admirabilis scientia, in eo docemur, vtpote quibus tametsi religione Ethnicis, Sacrosanctæ Trinitatis mysterium est reuelatum, vnde etiam à nobis Christianis Mercurio Trismegisto & Platoni diuinitatis titulus non insulse attribuitur. Christus ergo noster seu Deus patens ex petra Iacobi exurgens, è terra tanquam à centro Patris seu Dei latentis germinans, vbique se expandens & in infinitum vltra & extra omnia se extendens (quoniam Sapientia diuina non habet finem) omnia creata tentat ad Creatorem per Harmoniam plusquam perfectionis (in qua excellens ista consonantia exertissime sonat & glorioſus Sol scil. Lux diuina vitam & gloriam dans sonat in æternum) reducere; à consonantia in perfecta Diatessaron, hoc est, Creaturæ vita tenebris obruta, per Diapente consonantiam minoris perfectionis, hoc est, per spiritum æthereum (in quo primum gustat perfectionis & beatitudinis delitias ad ipsam Diapason, quæ terminatur in ipso Deo, quando idem cum Deo per Christum mediante consonantia illa vera perfectionis fuerimus facti. Et quemadmodum iuxta Platonis heptachordi Descriptionem quatuor sunt gradus tam in fœmello quam masculo progressu videlicet 1. 2. 4. 8. vel 1. 3. 9. 27. qui quatuor series sic disponuntur 1. 2. 3. 4. sic in generali hoc Harmoniæ systemate 1. 2. quæ est dupla proportio, denotant illam consonantiam plusquam perfectionis in vnitate scil. Deo terminata, videl. Diapason: vbi omnia ab vnitate in multitudinem progredientia in vnitatem & simplicitatem suam iterum reuertere obseruantur. Et sesquialtera hæc proportio 2. 3. indicat consonantiam minoris perfectionis, Diapente. Et sesquitertia 3. 4, arguit consonantiam imperfectam Diatessaron: sic enim videmus res exactissime se habere in hoc mundo, videl. ob huiusmodi imperfectionem, qualis est in Diatessaron, res omnes sublunares langueſcere & assiduis alterationibus subiici obseruamus, in cœlo æthereo res propter perfectionem diapente minorem corruptionis immunes docemur, & in cœlo angelico summam beatitudinem per plusquam perfectionem per Diapason acquiri cognoscimus. Vnde Diatessaron ex quatuor se habens in sesquitertia proportione vt 3. ad 4. arguit quatuor elementa sublunaria, Diapente quinque denotans mediam perfectionem regionis cœlestis, se habens vt 2. ad 3. in sesquialt. Quinta essentia vocatur; & Diapason ad cœli angelici plusquam perfectionem, quæ sex tonis commensuratur & Essentia sexta dicitur, se habens vt 1. ad 2. in dupla. Atque hæc consonantia in Deum plusquam perfectionis fontem & metam vltimã desinens, & omnia ab vnitate in multitudinem effluxa in vnitatem, iterum diuinam reducens. Quies nuncupatur Sabbathi in Ensoph, qui terminatur in numero 7. cum ex tot interuallis constat Diapason. Progressus ergo ab vnitate in multitudinem est vsque ad numerum millenarium, vltra quem teste Aristotele, non est progressio in numeris, qui numerus ab Hebræis describitur per Aleph magnum, vt vnitas per Aleph paruum, quæ litera apud Cabalistas est indicium & Character diuinitatis in vnitate: atque hinc est, quod Deus à diuo Ioanne dicatur α & ω, principium & finis. Progressio ergo ab Aleph paruo scil. vnitate fit ad multitudinem 999. iuxta Platonicorum documenta, cui numero si Aleph magnum addatur producit 1000. per quem fit rerum à multitudine reditus. Recte ergo dixi Mundum sublunarem esse imperfectum & mutationibus obnoxium, quoniam in eo est minima Luminis s. animæ mundanæ portio, quemadmodum animam magis in capite & corde hominis credimus, quam in tibiis aut cruribus; nam ibi materia dominium habet super lucis proportionem: Iterum eadem proportione explicaui corruptionem à regione ætherea reiici, & perfectionem mediam ibi habitare propter æqualitatem dominij & proportionis lucis ad illam materiæ mundanæ, vnde in eius centro Solem collocaui haud inconsulto, atque hoc probatur ita esse, quoniam à Philosophis & in praxi mysteriorum secretorum peritioribus æthaer quasi igneus seu ignitus aer ab æqualitatis proportionis aeris s. aquæ & ignis s. lucis in ea & præcipue in loco vbi transit Sol. Denique ostendi ibidem, quod regio angelica immensa propter ignis s. lucis in eo dominium super tenuissimum spiritum mundanum, perfectissima fuerit in sua essentia, & ad Diapason summam recte comparata, atque hinc cœlum empyreum à græco vocabulo πῦρ quasi ignis & igneum nuncupatur. Hæc quidem ego omnia propter formæ igneæ atque materiæ aqueæ contrarietatem cum illa in vnitate, Lucis perfectione, actione essentiali, subtilitate, motu & entitate sit omnimodo oppositа huic, quæ est multisaria, opaca, passiua, grossa & quieti obnoxia sub forma duarum pyramidum figura & quantitate similium, sed situ & positione oppositarum depinxi: nam vt multitudinis sc. materiæ motus & resolutionis progressus fit à numero millenario in vnitatem, sic Lucis creatæ proportio æquiualent illam millenarij numeri, sed in vnitate, vnde quo magis progreditur à multitudine ad vnitatem, eo etiam magis vincit vnitas s. forma lucida, & dominium magis sibi vendicat in materiam. Hinc ergo iuxta Platonis proportionem vt inter binariam sc. fœmininam materiam, & ternariam s. masculinam formã, (quæ inter se proportione conueniunt) est discrepantia,

pantia, ſic æqualitatem aliam finxi ego inter pyramidum vtrarumq; figuras. Cum 1. informat 2. & 3. 4. & 9. 8. & 27. corpora elementata: ſed de his copioſius infra dicemus, poſtquam de harmoniæ Academicorum ratione & progreſſu parumper diſceptauerimus.

Qui hoc ſuum Heptachordum ex pluribus conſonantiis perfectis ſecundum proportionum interualla inter 1. & 8. vel 1. & 27. conflare geſtit, ad cuius deſcriptionem huiuſmodi apparatu me accingam.

Heptachordum Platonicum (quod ipſe ad mundi & animæ Harmoniam demonſtrandam applicuit atq; ordinauit) ex ſeptem quaſi neruis vel proportionibus partim paribus & partim imparibus conſtat, videlicet 1. 2. 3. 4. 8. 9. 27. quas quamuis Porphyrius & Proclus in lineam protraxerunt, tamen Adraſtus & Calcidius ad Trianguli ſcil. Pyramidis latera hoc modo adaptauerunt, in ſummitate cuius vnitas tam materialis quam formalis exprimitur, inde confirmans illud Syneſij & aliorum Theoſophorum opinionē, quod Deus ſit omne quod eſt, quippe à quo, in quo & per quem ſunt omnia: Eſt mas & eſt fœmina, vel vt Mercurius Triſm. ait vtriuſque ſexus fœcundiſſimus: Eſt potentia eſt actus, Eſt forma eſt materia: Imo & reuera nihil eſt quod ipſe non exiſtit. Sex autem aliæ figuræ lateri reſpondent oppoſito, videlicet parium proportiones ſemel & imparium ter: ita vt proportio quælibet formalis ternarij nempe numeri directe correſpondeant illis parium oppoſitorum hoc modo:



In Creatione:

In his ergo numeris luculenter demonſtratur primaria rerum omnium in Creatione genera cum ipſorum Harmonia, atque etiam ſpecies ſubalternæ & intermediæ quæ inter has proportiones continentur, & præcipue ad mundi ſpiritus atque animæ eiuſdem complementum. Sed in hoc Platonis Heptachordo imperfectionem videtur Proclus tuus haud exiguam inueniſſe, eo quod, vt inquit ille, interualla in eo nonnulla non ſunt completa, & principaliter illud ſpacium, quod eſt inter 1. & 2. quia (ait ille) non eſt medium inter hos terminos, niſi vnitas in partes frangatur. Hic quidem Proclus non inſtar Chriſtiani ſed Ethnici loquitur, & à Philoſophis Chriſtianis hac in re falli oculis apertis cernitur: quoniam Deus, in quo ſolo eſt conſonantia pluſquam perfecta (nempe Diapaſon) ſe habens, vt 1. 2. in dupla proportione, produxit hanc maximæ perfectionis conſonantiam in Lucem ſuam archetypicam, quando Sapientiam ſcilicet Verbum ſuum ante ſecula gigneret, quod nihilominus Verbum ab Eſſe diuino non fuit diuiſum, ſed idem & vnum cum illo in æternum. Hoc ex Philoſophia confirmare videtur Hermes Triſmegiſt. in his verbis: Monas generat Monadem & in ſeipſum reflexit ardorem ſuum: inde arguens, quod ante mundi Creationem Filius, hoc eſt, Deus patens è tenebris, & Aleph lucidum, reluxerit ſeu egrederetur à Patre, hoc eſt, Deo latente in tenebris, & Aleph tenebroſo: nec tamen in Creatione aut poſt Creationem diuiſus eſt Filius ab eſſentia Patris, licet à proprietate & officio in mundi Creatione Perſona dicitur ſecunda à prima quidem diſtincta, vt 2. ab 1. Porro etiam ex Sacris Scripturis colligimus, Filium eſſe vnum cum Patre, manere in ſinu Patris, eſſe in ore Patris, ſedere ad dexteram Patris, mediatorem eſſe pro nobis hominibus ad Patrem, nullum inter ipſum & Patrem medium habentem, ſed eo modo ei coniunctum, vt lux Solis corpori ſolari, aut diameter circuli centro. Atq; hinc à Poetis fingitur, quod Apollo & Cupido ſint Iouis filii, inde declarantibus Chriſtum in mundo relucentem radioſque ſuos amatorios vndique per ſpiritum mundanum eiaculantem. Vel in reſpectu habito ad primam Creationem dicitur Iuppiter, hoc eſt, Deus potens & patens, qui filius erat Saturni, hoc eſt, Dei tenebroſi & latentis. Vnde liquet, quod contra Procli opinionem terminus hic ſine medio impleatur, quatenus eſt vnius atque continuæ eſſentiæ, deſcendens per conſonantiam plusquam perfectam Diapaſan à mundo archetypico in illum creandum videl. ab 1. denotans puram, ſimplicem & ineffabilem lucem increatam, in 2. hoc eſt in vnitatem materiæ, vnde 1. increatum lucidum & formale creat & actuat vnum tenebris deforme & potētiale ac materiale ſeipſum cum eo permiſcens, atque ita creata eſt lux prima in mundo creatura, formarum omnium ſubiectum, per Diapaſon ſpiritualem. Deinde 3. quod eſt medium occultum inter 2. & 4. deſcribit cœli ætherei ſeu firmamenti naturam, quod eſt medium inter 2. ſeu cœlum Empyræum, quod eſt receptaculum primæ Creaturæ lucidæ & 4. denotans quatuor elementa ſublunaria. At huius ergo regionis mundi productionem concutrebat natura primæ Creaturæ, quæ erat Lux ſeu Mundi anima (quæ ei erat loco animæ ſeu formæ) & ſubſtantia aquæ eius præſentia creatæ & nomine firmamenti iam nuncupatæ: inter primum ergo cœlum Creatura prima lucida impletum, & cœlum hoc æthereū eſt tam diſtantia quam ratione compoſitionis ex materia & forma in proportione ſeſquialtera, videlicet 3. & 2. ex qua conflatur & in qua conſiſtit conſonantia minus perfecta Diapente, vnde & pars hæc mundi dicitur Quinta eſſentia, vt illa ſexta & ſeptima. Nam vt Diapente eſt conſonantiæ minoris perfectionis, ita & Diapaſon eſt conſonantia perfectionis ſummæ, ſic enim ſe habet cœlum æthereum, quod eſt regnum Solis viſibilis ad illud Empyreum, cui præſidet Sol ſpiritualis & inuiſibilis. Deniq; 4. quod eſt quadratum ad Radicem 2. denotat cœlum elementare in 4. ſtationes diſtinctum, quæ elementa dicuntur.

Atque in hac mixtione regia 3. ſeu ſpiritus æthereus informatus eſt anima & forma videlicet ad 4. id

eſt,

eſt, ad materiam mundi ſublunaris, cum ille ſpiritus cœleſtis ſit inſtar agentis ſeu maris ad illum elementalem. Atque hac de cauſa dicitur à Philoſopho, quod ſuperiora agant in inferiora motu, lumine & influentia. Sed hoc via harmonica comprobatur, videlicet ratione differentiæ conſonantiarum: nam vt Diapente eſt conſonantia minoris perfectionis, ſic etiam Diateſſaron eſt conſonantia imperfecta, & quod habet de perfectione, illud recipit à cœlis 3. at vero inter 3. & 4. eſt proportio ſeſquitertia, quæ denotat conſonantiæ Diateſſaron proportionem. Denique ex 2.3. & 3.4. hoc eſt, Diapente & Diateſſaron conflatur Diapaſon materialis, hoc eſt, perfectiſſima illa proportio, quæ reperitur in natura mundana, cuius anima eſt Diapaſon ſpirituale. Vt 1. in illo Heptachordo eſt anima primaria & Enſoph ſcil. infinitudo ſcil. originalis & Archetypica illa conſonantia Diapaſon in eſſentia diuina, quæ dat vitam æqualiter tam ad materiam aquaticam, quam ad formalem Lucem primitus creatam, vt per eius poſitionem luculenter indicatur ex Porphyrij, Seueri & Procli in recta linea ſic: 1.2.3.4.8.9.27. Vbi hæc omnia manifeſtius apparent; nam 2. materialis nexu formali ipſi 1. fit ens in actu per Diapaſon ſupremam; & natura numeri materialis 2. per nexum formalem vnitur ad materiam ſibi duplam. 1. Ergo eſt forma ad 2. videlicet Deus ad materiam informem, quæ à Platonicis per 2. ſignificatur, quam vnitatum confuſionem dicunt Pythagoræi, eſtque quaſi Chaos: ſed emanatione ſpiritus lucidi 1. in ſpiritum deformem 2. ſeu Iod in He fit illa Lux creata: quæ quidem vnitas increata ſe altius in materiam confuſam immergens facit 3. ſeu cœlum, quod eſt quaſi forma & anima ad 4. hoc eſt, ad Elementa ſublunaria 1. ergo quaſi radix primaria & elementum ignis ſummum produxit lucem Empyream, quæ eſt Elementum 2. & deinde ſe altius in multitudinem immergens, creauit ſpiritum æthereum, qui eſt Elementum 3. Tum poſtea in regionem mundi infimam penetrans, ibi quidem Elementa alia 4. eaque groſſa creauit & diſpoſuit, quorum quodlibet in loco idoneo ſecundum materiæ dignitatem ſuſpendit & ſuo glutine igneo ligauit, atque hi ſunt quidem 7. à Deo gradus. At ſi radix in ſuo regno archetypico relinquatur & compoſitum elementatum addatur, quod per cubum ſignificatur, erunt quidem in rerum natura 7. gradus ad ſupremam Monadem dirigentes.

Porro etiam, ſi formale Trianguli latus conſideremus, ibi 3. inuenimus eſſe formam correſpondentem ad 2. & 4. vnde dictum eſt, quod ſpiritus Domini ſ. Elohim ſ. Dii in tres Perſonas vt nonnulli volunt, in vno ſpiritu arguendo ferebatur ſuper 2. aquas, igneum & amatorium iis vigorem atque vitæ virtutem impertiens; vnde Aquæ à Cabaliſtis per מ Mem Hebraicum denotatur, quas Pythagorici per 2. ſignarunt: & Spiritus Sancti hieroglyphicum fecerunt ש Schin ignis characterem, inde arguentes, per tria cornua ſpiritum vnicum tripliciter operantem: qui ſe profundius in aquis immergens ſeipſum diuidit proportionaliter in partes 9. ac denique illas 9. partes ſecundum trinam ſuam naturam ad centrum vſque penetrando triplicauit, hoc eſt, quamlibet in alias partes 3. diuiſit, videl. 27.3. ergo ſeu ſpiritus igneus creauit 2. id eſt, cœlum empyreum, & ad ſuum exemplar in Hierarchias Angelorum tres diuiſit. Sic formatum eſt cœlum ſpirituale: & altius deſcendens ſecundum triplam ſuam naturam ſe diſperſit in cœlorum materialium multitudinem, atque ſic quodlibet eorum informatur. Denique ſe iterum triplans creaturas compoſitas informauit: atq; hoc factum eſt ſecundum illud Pſalmiſtæ: Verbo Domini firmati ſunt cœli, & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum.

Denique ex proportionibus ſeſquialtera 4. & 6. & ſeſquitertia 6. ad 8. tanquam ex Diapente & Diateſſaron producitur Creaturarum compoſitarum Diapaſon, quæ eſt Harmonia grauis atque baſſa ad ſimilitudinem conſonantiæ Diapaſon ſpiritus mundani, quæ formata eſt ad exẽplar conſonantiæ plusquamperfectæ in ſpiritu intellectuali: in quibus quidem proportionibus Pythagorici Hexadem attribuerunt ad compoſitionem humanam, & Heptatem inter 8. & 6. ſiram ad vitam ſ. animam ipſius: ad vitam omnium aliarum creaturarũ ipſi Enneadem adæquauerunt, quæ eſt ternarij quadratum. Atq; hoc modo videmus, quomodo Deus creaturis ſuis eſt alligatus, videl. primum 1. ſeu monas in actu ad 1. ſeu monadem in potentia, & fit Dias. Deinde Monas ad Diadem vnita produxit Triadem. & Monas iterum Triadi conglutinata producit numerum quaternarium: atque ita per hanc Harmoniam mundus in tribus primis Creationis diebus conflatus eſt, & Deus omnia implere dicitur, vnitaſq; formalis ſeu diuina erat agens, vnitas vero materialis ante æuum in potentia exiſtens erat patiens ſ. fœmina. Hæc, inquam, eſt vera mundi Harmonia, & qui vltra hanc curioſius per ſe ſine influxu diuino explorare geſtiunt, fallunt & falluntur, quia particulariter de Deo eiuſq; operibus, hocq; directe diſceptare immenſum, impoſſibile & imperſcrutabile foret negotium: quia admirabilia ſunt opera Dei, & ab captu humano minime comprehẽdenda, niſi vbi Deus dederit Sapientiam ſuam & miſerit Spiritum ſuum Sanctum è ſanctis cœlis, iuxta illud Salomonis cap. 9. Sapient. Corpus, inquit ille, quod corrumpitur, aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit ſenſum multa cogitantem, & difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt inuenimus cum labore, quæ in cœlis autem ſunt quis inueſtigauit: ſenſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum tuum de altiſſimis.

At in deſcriptione Harmoniæ Platonicæ iam pergamus, & admittamus illum Procli ſcrupulum, quod non ſit medietas aliqua inuenienda inter 1. & 2. Ac tum poſtea, quod quamuis ſolus numerus ternarius inueniatur inter 2. & 4. quippe qui (vt innuere videtur) cum ſit hęc proportio tantũ cum dimidio ad minorem 2. comparatur, & illa ad minorem comparata in ſeſquitertia proportione inueniatur, vnde concludit, ꝙ in-

terualla

terualla non possint harmonice impleri. Et iisdem proportionibus diminutis interuenit numerus 6. inter 4. ad perficiendam Harmoniam corpoream. Et pariter similibus: sesquialtera scil. & sesquitertia proportionibus numerum etiam imparem in fundamentali & primaria Platonis numeratione harmonica obseruari & recte dicit, videl. 6. inter 3. & 9. vt in prædictis 3. inter 2. & 4. & 18. inter 9. & 27. quemadmodum in prædictis 6. inter 4. & 8. Concludere ergo videtur, quod huiusmodi numerorum dispositione Harmoniæ interualla impleri non possint. Et tamen, vt mihi videtur (pace Procli & aliorum suæ opinionis) vbi adest proportio sesquialtera, quæ se habet vt 2. ad 3. ibi per consequens, consonantia Diapente se repræsentat, in cuius mensura subintelliguntur interualla trium tonorum cum dimidio. Et similiter vbi occurrit proportio sesquitertia, quæ se habet vt 3. ad 4. necesse est ibi vt tria interualla subintelligantur, videl. duo toni cum semitonio, quæ ambæ proportiones simul iunctæ cõstituunt Diapason. Sequitur ergo, quod si Consonantia Diatessaron sonet, vel illa Diapente vel Diapason, quod omnes harum consonantiarum partes necessario subintelligantur. At inter 1. & 2. est proportio dupla, quæ est consonantiæ Diapason indicium cum impletione omnium ipsorum interuallorum, quæ sub ea comprehenduntur. Similiter inter 2. & 3. Diapente. Ac denique inter 3. & 4. Diatessaron. Denique 4. se habet ad 8. vt 1. ad 2. Porro etiam in ternario s. masculino ordine 2. intercedit inter 1. & 3. qui est in proportione dupla ad 1. & sesquialtera ad 3. & inter 3. & 9. occurrit numerus senarius, vbi proportio adest dupla ad 3. & sesquialtera ad 9. Denique inter 9. & 27. per eandem rationem intercedit 18. Sed tamen progrediatur ille suo more: Ipse, inquam, propter interuallorum impletionis defectum repudians numerum 27. sub quo omnia genera rerum primaria comprehenduntur, elegit numerum alium ampliorem, limites nihilominus atque proportiones easdem cum primatiis obseruantem, licet (inquam) maioris sit quantitatis ad prædicta interualla exactius implenda: quare vt cuiuslibet proportiones in particulas suas integras reducat, loco vnitatis sumit numerum senarium, qui ita se habet ad 12. vt 1. ad 2. qui progressione duplicatus producit 12. 24. 48. & triplicatus facit 18. 54. 162. Concludit igitur, quod interualla omnia huiusmodi numerorum figura compleantur quoniam medietates inter inter duo extrema 6. & 12. sunt 8. & 9. vbi medietas 9. æquali numerorum proportione excedit 6. & à 12. exceditur. Porro à minori extremitate 6. ad minorem medietatem 8. est proportio sesquitertia, videl. 6. & eius pars tertia, quæ est 8. vnde exultat consonantia Diatessaron. Atque etiam à maiori medietate ad maiorem extremitatem. Sed à minori extremitate ad maiorem medietatem est proportio sesquialtera, videl. 6. & eius pars dimidia; hoc est 3. qui constituunt 9. ex qua proportione eruitur consonantia Diapente. At ab extremitate minori 6. ad illam maioris 12. dupla reperitur proportio, ex qua exurgit consonantia Diapason: Toni igitur interuallum est illud, quod iacet inter duas medietates, minorem scil. 8. & maiorem 9. Atque ex his oriri dicunt Platonici Harmoniam omnem quæ ex tonis conflatur. Hoc idem etiam faciendum est, cum numero ternario, vbi extremitates sunt 6. 18. medietates vero 9. 12. alteræ vero eius extremitates sunt 18. atque 54. quarum medietates sunt 27. & 36. atque ita proportionaliter procedendo à 54. ad suam extremitatem. Quorum omnium medietates tam ad extremitates inter se eisdem, quam illæ binariæ seu duplicatæ respondent proportionibus. Medietas ergo Arithmetica inter duas extremitates 6. & 12. est 9. quippe quæ est quædam numerorum proportio alteram progressione proportionali excedens, vt 6. 9. 12. vbi in 9. tantus inuenitur excessus in maiori extremo 12. quantus est defectus in minori 6. videlicet 3. At medietas harmonica procedit à multiplicatione minoris termini, videlicet 6. per seipsum, & productum 36. diuidendo per medietatem, vbi Diuisor 2. addito minori extremo, nempe 6. producit 8. quæ est medietas harmonica. Quoniam proportione eadem excellit minorem extremitatem, qua maior extremitas illam superat. Nam vt 8. excedit 6. seu dimidium totius per 2. sic 12. quod est totum, excedit 8. per 4. qui est dupla ad 2. similiter in 3. 4. 6. res se habet, vbi 3. est medietas harmon. Ergo medietas harmonica non videtur multum differre à Geometrica, cum hæc sit proportio quędam de proportionibus, ex quarum duabus resultat medietas Harmonica. Hisce, inquam, Regulis docet Proclus implere omnia mundi interualla, præterquam semitonia & Dieses.

Huius toni inueniendi ratio per scalam istam sequentem luculenter demonstratur.

Minor



At huiusmodi Scalæ tam masculinæ quam fœmininæ ordine recto sic à Porphyrio, Proclo & Seuero ordinatur. Tametsi nos formam hanc Harmoniæ Platonicæ triangularem cum Adrasto & Calcid. propter aptiorem pyramidem nostra physicalia ad eam applicationem magis amplectemur.

Extrem: 6. minor.
:
Diatess: 8. Proportio sesquitertia.
:
Diapente 9. Proportio sesquialtera.
:
Diapason: 12 Proportio Dupla:
.....
1.6
.
18.
Disdiapason. 24 Propt. quadrupla.
.....
2:7
:
3:2.
:
36
:
4:8.
.....
5:4.
:
8:1.
:
10:8.
:
16:2.
:
:
:
.

Ex istiusmodi vero Porphyrij & Procli ordine recto (vbi fœminini gradus cum masculinis secundum naturæ dispositionem concatenantur) facillimum est nexum in rebus compositis, atq; Harmoniam earundem discernere, quæ quidem facta est inter spiritum æthereum, quem per 6. intelligimus, qui est indicium 2. Platonici; ac spiritum elementarem, qui per 8. indicatur, qui est signum 4. qui ambo per formam lucidam 9. se hic habent pro ternario Platonico cum corpore terreo. 12. quod est argumentum 8. seu cubi fœminini Platonis. Hinc inde arguendo, quod 6. per vnitatem viuificantem & lucidam, quæ facit 7. coniungit spiritum dignissimum & prius creatum, cum elementis mundanis 8. ac iterum eadem vnitas altius se in multitudinem immergens, de 8. facit 9. atque hæc vnitas est medium coniungendi spiritum aereum ad corpus, vt illa in septenario illum æthereum ad elementa præcipue ad aerem sublunarem: forma enim lucida possidens hic medietatem arithmeticam quasi cathedram iustitiæ spacium, seu interualla Geometrica 8. & 6. atque 8. & 12. harmonicam consonantiam reddere facit; quippe qui 8. denotat medietatem harmonicam seu spiritum mundanum, qui vibratur & animatur ab anima lucida 9. & sic in cæteris.

At iam ad illam Proclereanam (de Semitonij & Diesis inuentione) descriptionem pergamus, qui exactius de interuallorum repletione cogitando, semitonia minora huiusmodi Platonis Harmoniæ suo more addere est progressus. Tametsi Pythagoræi scientiæ numeralis quam peritissimi semitonia omnino repudiauerint: eo quod proportio superparticularis in portiones duas æquales minime possit diuidi. Vnde liquet quo Semitonium proprie dari nequeat. At nihilominus Ptolomæus, & qui post eum scripserunt, tonum in partes quamuis inæquales diuidere non hæsitauerunt, quarum maiorem Apotomen s. Semitonium maius vocauerunt, cum quibus Timæus Locrensis voluit, vt interualla minutiora implerentur, minorem vero Lemma seu Semitonium minus dixerunt, & huiusmodi Semitonij species, Apotomes omnino reiiciendo, Proclus noster in hoc Platonem imitando (qui genus Harmoniæ Diatonicum ad mundi harmoniam explicandam eligebat) ad interualla minora refarcienda eligebat. Sed priusquam ad Semitonij minoris collocationem & dispositionem in Harmonia mea Platonica seu Proclereana verbum aliquod faciam, familiarem ex iis, quæ antea sunt dicta, semitonij tam maioris quam minoris inuentionis demonstrationem hic proferam, quo sequens Procli in multitudine profundiori indicatio facilius intelligatur. Primum ex superioribus patet, quod Tonus in sesquioctaua proportione consistat, cuiusmodi est 9. ad 8. at hic nullum reperitur inter hos numeros medium: quare has medietates duplicamus, & exurgent 16. & 18. inter quos numerus ille 17. mediat. 17. ergo ad 18. collocati sesquioctauam sibi vendicat proportionem, quod quidem interuallum, vt dictum est, mensurat tonum. Sed hanc proportionem numerus medius 17. non diuidit æqualiter, quoniam si 17. comparetur ad 16. habet eum totum cum eius parte decimasexta, videl. vnitate. At si 18. ad 17. comparetur, habet ipsum totum, ac insuper eius decimamseptimam partem, scil. vnitatem. Quare sat liquido constat, quod numerus iste medius partibus quidem inæqualibus minorem superet, & à maiore superetur, quatenus pars 17. est 16. maior, & 18. minor. Atque hæ partes sunt toni, quæ Semitonia vocantur, vel minus vel maius, secundum defectum vel excessum. Et sic se habet medietas 3. inter 24. & 27.

Sed progrediamur cum Procli inuentione Semitonij. Ipse negat esse possibile, quod proportiones sesquitertiæ (in terminis antea descriptis) possint in sesquioctauas & lemmata diuidi: Est enim, vt antea dictum est, proportio inter 8. & 9. sesquioctaua, & hoc interuallum est toni mensura, quod quatenus est mensura vnitatis, non potest diuidi in partes. Ad hoc opus igitur efficacius perficiendum primum tentauit 8. in se multiplicare, atque ita à 64. numero, quippe ex quo numero possibile erat tres sesquioctauas formare; nam triplicando iterum 64. producetur 192. cui si sesquitertia eius 64. addatur, facit 256. & si huic sesquioctaua eius pars 32. adiiciatur producet 288. qui tenent medietatem Arithmeticam inter 192. & 384. qui est dupla numeri 192. proportio, & sesquitertia ad 288. At quoniam impossibilitatem inuenit ad efformandas duas sesquioctauas de numero 288. quoniam eius sesquioctaua: 224. non habet octauam: ideo concludit, quod ex hoc numero fabricari nequeat proportio sesquioctaua, cum eius pars octaua est 40. cum dimidio s. vnitate fracta. Vlterius ergo ad exactam Semitonii inuentionem, in multitudinis abyssо se immergere est coactus, quare pergit duplicando omnes prædictos numeros, videl. 192. & producit 384. & sic in cæteris. Vel sit numerus 384. loco numeri 6. seu vnitatis minor extremitas, & quia sesquioctaua proportio assignat toni interuallum, ideo addatur huic numero eius proportio sesquioctaua, quæ est 48. & aggregatum nempe 432. commensurabit tonum a. 384. Deinde addatur huic etiam producto sua proportio sesquioctaua, quæ est 54. & efficiet 486. & designat secundum tonum: at vero sesquioctaua proportio non reperitur in 486. quia diuisione facta restant 6. vnde semitonium occupat hoc interuallum inter 486. & 512. proxime sequitur pars sesquitertia addenda ad 384. & efficiet 512. qui est minor medietas s. medietas harmonica inter duo extrema 384. & 768. At si proportio sesquioctaua addatur huic medietati minori producetur medietas maior s. arithmetica, videl. 576. estque alius tonus: tunc postea si huic pars sua sesquioctaua addatur, dabit 648. eritque inter 576. & 648. spacium alterius toni. Atq; iterum, si pars sesquioctaua numeri 648. ei addatur, producit 729. & quia pars sesquioctaua non reperitur sine fractionibus in 729. ideo Lemma implet spacium inter 729. & maiorem extremitatem, quæ est 768. Atque hoc modo habemus septem interualla impleta cum quinque tonis & duobus Lemmatibus seu semitonis minoribus, quorum interuallorum tria priora

cum

cum duobus tonis & hemitonio implentur, & producunt consonantiam Diatessaron, & quatuor posteriora cum tribus tonis & semitonio s. lemmate metitur, quæ constituunt consonantiam Diapante: ex quibus duabus consonantiis simul vnitis consonantia perfectissima Diapason deriuatur. Simili plane modo progrediendum est efficiendo extremitatem maiorem in priori diapason: minorem in secundo: & maiorem producendo per minoris duplicationem. Verbi gratia: minor extremitas erit 768. & maior 1536. quod est minoris duplum. atque ita progrediendum est cum medietatibus & omnibus aliis numeris, qui excreuerũt ex additione sesquioctauæ proportionis sui ipsius. vt bis 432. est 864. bis 486. est 972. bis 512. est 1024. bis 576. est 1152. bis 648. est 1296. bis 729. est 1458. atque peruenitur ad maiorem extremitatem, quæ est 1536. Atque hoc modo habemus secundam consonantiam Diapason completam. Post hæc progredimur secundum generalem rerum naturalium ordinem 1.2.4.8. ad tertiæ & quartæ consonantiæ Diapason inuentionem, semper efficiẽdo duplicatione, vt minor extremitas exurgat ad maiorem: quemadmodum in sequenti demonstratione luculentius explicabitur.



Secundum Procli institutionem sic secundum ordinem rectum disponuntur numeri isti etiam interualla semitonia implentes:

384 Tonus.
432 Tonus.
486 Semitonium seu Lemma.
512 Tonus.
576 Tonus.
648 Tonus.
729 Semitonium seu Lemma.
768 & cætera.

His ergo ita se habentib. operæpretiũ fore existimauimus, vt perspicuam faciamus cõparationem inter istam Platonis Harmoniam ex numerorum proportionib. conflatam, atq; illam meam, ex proportionibus geometricis in planam superficiem circinorũ ope delineatis atq; cõmensuratis. vt eo modo mundo declararem imprimis Harmoniæ meæ proportiones in omnib. conuenire cum illis Platonis præterquam q̃ mea à mensuris per circinos diuisis demõstratur, vt illa Platonis atq; Proclériana à numeris arithmeticis scientib. explicatur: ac tum postea, vt Harmoniam istam meam cum illa Platonis ad Mundi fabricam quam aptissime applicarem, quo lectoribus doctrinæ alis elatis declararem, Harmoniam meam mundanam proportionibus mathematicis non minus indigere, quam illa Kepleriana. Demonstratio sequitur. ***

Ex huiusmodi monachordi dispositione videmus eiusdem diuisionem secundum leges Geometriæ in omnibus conuenire cum intentione Platonis: Et quamuis eius Harmoniæ proportiones ratione Arithmetica numeris explicantur, & illæ mei more geometrico super superficiem planam mediantibus circinis delineantur, non video tamen, quid impedire queat, ꝙ ad inuicem non correspondeant, cum vtriusq; artis proportiones in idem quasi conueniant, quemadmodum per conuenientiam inter numeros Cossicos & illos Algebricos satis luculenter enarratur. Vt igitur vnitas in nouenario numero excedens octo seu sesquioctaua proportio est mensura toni inter duo extrema: sic igitur Monochordū istum in partes 9. diuidimus, estq; pars vnica toni primi in hoc monochordo interuallum, hoc est, proportio sesquioctaua totius: & refertur hoc monochordi spacium ad interuallum 384. & 432.

Deinde distantiam Monochordi ה. in alias partes 9. æquales diuidimus. & pars prima erit proportio sesquioctaua ad illam distantiam, & per consequens, respondet ad vnius toni valorem, est ergo tonus in monochordo secundus hoc videl. spacium D. E. quod se habet in eodem statu cum proportione Platonica 432. & 486. Tum postea diuidimus Monochordum integrum in partes quatuor æquales, & vbi prior desinit, erit videl. in F. erit semitonij minoris seu lemmatis finis: ita vt spacium inter E. F. erit illud monochordi interuallum, quod Lemma dicitur: at quoniam quarta pars monochordi est in proportione sesquitertia videl. 3. & eius pars tertia, quæ est 4 ideo consonantia Diatessaron hic producitur ex duobus tonis videlicet C. D. & D. E. atque Semitonio E. F. estque proportio monochordi C. F. seu sesquitertia Chordæ pars: Hoc Monochordi spacium E. F. se habet in monochordo isto vt 486. & 512. in Heptachordo Platonico seu Proclereano.

Habemus ergo hic productam consonantiam imperfecta Diatessaron. Progrediemur autem ad reliquorum interuallorum inuentionem & spacium inter F. & ה. in 9. æquales iterum diuidimus, quarum pars prima sesquioctaua, nempe inter F. & G. erit valor vnius toni, qui in monochordo respondet ad interuallum numerorum 512. 576 atque hæc est distantia vel differentia inter medietatem minorem 512. & illam maiorem 576. Deinde alter tonus inuestigatur eadem plane ratione, videlicet interstitium G. & ה. in nouem æquales, & spacium G. A. erit tonus secundus à semitonio, quod se habet, vt interstitium inter 576. & 648.

Post hæc tertius à Semitonio prioris tonus elicitur eadem plane ratione, diuidendo A. ה. in nouem æquales. eritq; toni huius interuallum a b. & se habet vt 648. & 729. Deniq; sesquialtera Monochordi pars inter F. vbi Diatessaron finitur & ה vel duplæ proportionis sed dimidiæ monochordi integri C. ה erit pars in c. & terminus interualli b. c. est lemma. atque punctum C. terminus consonantiæ Diapente inter F. & c. conclusæ quippe quæ ex tribus tonis cum semitonio consistit. Vel est terminus consonantiæ Diapason, à C. numerando, quæ conflatur ex Diapente & Diatessaron. Ad cæterorum interuallorum inuentionem videl. c. d. & d. e. & e. f. & f. g. & g. aa. & aa. bb. & bb. cc. atque ita de cæteris. aut procedendum est ad tonorum inuestigationem cum diuisione c. ה. in 9. æquales, & ad semitonij prioris productionem e. f. cum diuisione c. ה. in 4. æqualia, & illius vltimi bb. cc. portionem monochordi c. ה in tria æqualia partiendo. Vel hoc omne citius perficitur procedendo à qualibet litera versus ה. totum semper diuidendo in duas æquales. Verbi gratia: Si verum locum d. inuenire velim, tunc D. ה. in duo æqualia diuido, & intersectio media erit d. similiter media intersectio spacii E. ה. erit e. atque sic in cæteris. At cum ista Monochordi nostri diuisio in omnibus proportionibus tam extremis quam intermediis, atque etiam per consequens, consonantiis harmonicis sic conueniat cum Heptachordo Platonico vtcunque à Proclo correcto & minimis interuallis repleto, videamus iam obsecro, an eius partes & proportiones ad mundi maioris Harmoniam recte & apte comparari possint, necne. Deum dixere Sapientes centrum atque circumferentiam, vtpote qui est omne quod est. sed omnia superans in se dicitur & extra omnia, h. e. infinitus & incomprehensibilis. Hinc eum etiam & Mercurius Trismeg. circulum fecit (metaphorice loquēdo) cuius centrum est vbiq;, circumferentia vero nullibi. Atque hinc dicit Iob. c. 11. 9. vti sæpius allegatum est, quod Dei sapientia non sit inuenienda, cum sit illa altissimis cœlis altior, & profundior sepulchro imo, longior terra mensura eius, & latior mari. Erat ergo Deus in se solo, h. e. in centro ante creationem: at à centro ad peripheriam progressus est in creatione, se aquis deformib. reuelando, vnde scriptum est; ꝙ Spiritus Domini ferebatur super aquas, (& vt nōnulli addunt) motu circulari, igneum illis vigorem impertiens. At medium, quo Deus Pater se extendit à cētro ad peripheriam, in qua Spiritus Domini ferebatur, erat Verbum: atque hæc omnia non sunt nisi vnica & eadem essentia cum Verbo: vt centrum, Diameter cum suis partibus & peripheria à circuli essentia minime differunt, aut ab inuicem distinguuntur. Quare vt omnia interualla inter centrum & peripheriam à semi diametro implentur, sic omnis mundi spiritus inter eius centrum & circumferentiam à Verbo informatur & perficitur, nec amplius vacuum in rerum natura inuenitur, iuxta illud D. Petri 2. 3. Cœli erant prius, & Terra de Aqua & per aquā consistens Verbo Dei. Et D. Ioan. c. 1. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum sunt facta, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Hinc ergo vera Harmoniæ mundanæ per Circulum metaphoricum explicatio. Sed ad rem redeamus.

Concipitur ergo ipsius Dei cognitio ab hominibus, aut gradatim progrediendo & descendendo à circumferentia seu peripheria centrum versus: aut ascendendo à centro ad circumferentiam. Prior aūt demonstrandi

ſtrandi ratio licet vulgatiter cenſeatur eſſe à priori: quoniam Deus dicitur eſſe in cœlo cœlorum, hoc eſt, in mundi peripheria, iuxta intentionem vulgarem: eſt tamen reuera Demonſtratio à poſteriori: quoniam vt omne centrum debet conſiderari ante ſuum circulum, ſic etiam Deus erat in ſuo centro & in ſe, priusq̃ emicaſſet & reuelaſſet ſe è tenebris ad mundi creationem. Hinc igitur ego ad intellectum vulgarem (qui omnia conſiderat, prout oculis nunc ſe habent) Phyſicam meam atq; Harmoniam eiuſdem à Dei ſede in circumferentia mundi ſeu eius ſummitate ſita ſeu imaginata gradatim produxi, quamuis reuera Sapientibus exploratum atq; explicatum ſit, Deum eſſe vbique, & in Scripturis Sacris inuenimus, quod Deus impleat mundũ ſua præſentia & virtute, quæ ab eſſentia eius haud differt. Et ibidẽ inuenimus, quod ſpiritus diſciplinæ ſanctus impleat orbem terrarum. Atq; hinc dictum eſt (vt antea) Iob 11. quod Sapientia Dei ſit altiſſimis cœlis altior, profundior ſepulchro imo, longior terra mẽſura eius, & latior mari. Inde arguendo, eam eſſe in omnibus inter mundi peripheriam & eius centrum interuallis, atq; iterum reſpectu ſui extra omnia. Dicitur ergo Deus in cœlo cœlorum, quatenus in loco digniſſimo, ſiue ſit in terra ſiue in corporibus elementatis, ſiue in illis cœleſtibus, atq; etiam in digniori & magis lucido ipſorum elementorum ſpiritu, igneo ſeu empyreo ob eius excellentiam dicto, qui vbiq; reperitur, quatenus Deus dicitur vbique, qui illud, videlic. Lucem primitus creatam, pro primario ſuo veſtimento in hoc mundo eligit. Ad illud ergo veſtimentum penetrauerunt oculi intellectuales ipſius Apoſtoli, quando dixit, ſe in cœlum tertium fuiſſe raptum, vbi mirabilia & ineffabilia ſe vidiſſe narrat. Nam, vti diximus, vt cœlum Empyreum ſeu Angelicum ſumitur pro tertio cœlo ſeu cœlo cœlorum, ſic etiam ſi ſit hoc cœlum Dei ſolium, neceſſe eſt, vbi Deus ſit, ibi etiam & cœlũ hoc: at Deus, vti dictum eſt, vbique eſſentialiter adeſt, Ergo & vbique eſt cœlum illud, videl. in Sole, quippe Dei tabernaculo, in nube denſa, vtpote eius tigurio, in terra, cui datum eſt germinare Saluatorem, in Homine, vtpote Dei templo, & in qualibet Creatura, quatenus in Verbo eſt vita. Cœlum igitur ſummum pro ſumma dignitate & puritate atque exaltatione ſumitur. Sic Epiſcopum dignitate exaltatum dicimus, non dimenſione quantitatiua.

Dei autem demonſtrationem & reuelationem, more myſtico & non vulgari loquendo, à priori putamus potius eſſe à centro quam circumferentia. Nam nemo mentis ſanæ dicet, circumferentiam eſſe ſuo centro, tempore & ordine priorem. Hinc ergo dictum eſt, Deum è tenebris ad mundi creationem apparuiſſe. Et Mercurius Triſmegiſtus dixit, quod Monas generauerit Monadem & in ſeipſum reflexerit ardorem ſuum. Et ſacræ Scripturæ agnoſcunt, Deum in creatione apparuiſſe ex tenebris. & iterum, quod Tenebræ fuerint locus eius ſecretus. Atque hinc appellatur à Cabaliſtis Deus latens, quatenus in ſe ſeu ſuo centro conſideratur, atque etiam Aleph tenebroſum. Sed à ſuo puncto ſeu à ſe emittens radios ſuos circulariter hocque in infinitum, reducit aquas potentiales in actum: atque ſic mundus eſt creatus, & hinc à Cabaliſtis dicitur Aleph lucidum, & Deus patens, quæ eſt illa ſapientia diuina, quæ effluxit atque emanauit à ſinu Patris ante omnia (vt in Eccleſiaſtico 1. reperitur) creata, iuxta illud Mercurij Triſmegiſti ſuperius allegatum: Monas generat Monadem, &c. A terra ergo ſeu tenebrarum meditullio (quippe quæ Saluatorem germinare dicitur) tanquam à nobis manifeſtiori circuli mundani centro ad eiuſdem peripheriam (imo vero & extra omnia) monochordum noſtrum mundanum extendimus: ita & Aleph illud minus Cabaliſtarum vnitatem importans in centro, hoc eſt, primo monochordi ſeu ſemidiametri extremo, poſuimus, quod in monochordo notatur per C. Aleph vero magnum numeri millenarij character in eiuſdem circumferentia multitudinem importante, iuxta illam Platonicorum enneadum diſpoſitionem 999. vel literarum Iehouæ ordinationem, vbi Iod. 7. eſt centrum c. He prius eſt interuallum a. ad c. vt Vau explicatur per c. naturam Solis internam arguens. & vltimum He poſtremum Dei in multitudinem progreſſum, quo iterum redit ad ſe videl. ad Iod, à quo eſt prius effluxum. Atque hinc hæ literæ obſeruantur à Cabaliſtis eſſe ſolummodo inter omnes alias literas Hebraicas ſphæricæ & rotundæ. Videmus ergo quod inter Iod & Vau, videlicet per He ſeu ſpiritum purum conſonantia Diapaſon ſpiritualis reperitur, vtpote immediate à Iod è tenebris ad mundi creationem emanans, vnde Lux & cœlum Empyreum primo die ſunt creata, & cælum æthereum ſecundo, mouente Spiritu Domini Vau ſiue Mettatron ſuper aquas vice Solis. Deinde inter Vau ad Iod iterum, videl. per ſpacium He ſeu ſpiritum groſſum ſiue elementarem altera conſonantia Diapaſon videl. illa materialis conſtituitur: & per hunc nexum harmonicum materialia à circumferentia ſeu Deo tranſeunt in ſpiritualia, & illa tandem in ipſum Deum, qui eſt centrum, vnde Iod. He & Vau omnia monochordo mundani interualla implent. Sed hæc omnia dices fortaſſis myſtica & Cabaliſtica: procedamus ergo via magis aperta & oculis tuis perſpicua. Vides monochordi chordam æqualiter tenſam non eſſe niſi vnicam, & vnicum certum & immobilem ſonum edere pulſatam: at ſi directe in medietate prematur, videlicet m. c. dabit vtraque portio æqualis, videlicet ח. C. & c. C. ſonos eoſdem & æquales, hoc eſt, eiuſdem toni, & tamen portio, chordæ c. C. comparata ad totam chordam C. ח. dabit percuſſa primam conſonantiam Diapaſon, atque identidem portio c. ח. percuſſa cum tota, ſecundam, proportionem duplam in omnibus priori ſimilẽ, præterquam quod hæc ſit in multitudine magis immerſa, vtpote à fonte c. magis dilatata. Hinc ergo in hoc experimento oculari habemus vnum ante aliquã dimenſionem, videl. chordam per ſe ſolam & in ſe totam conſideramus: a. c. ad ח. habemus etiam & 2. videl. duas chordæ portiones, duplicem conſonantiam Diapaſon cum toto ſeu vnitate chordæ ſonantes. Hic videmus notabilem Trinitatis ab vnitate progreſſionem in eadem proportione ſeu conſonantia perfectiſſima, ad cuius exemplar

omnis Harmonia numeri tam binarij quam ternarij exprimitur in mundo: nam ex vna chorda duæ ſunt ſectiones factæ, ſic Filius, qui eſſentia à Patre non diuiditur, à Patre vno emanauit, & ſic Monas generat Monadem, & 1. fit 2. hinc prima producta eſt in mundo Diapaſon & 2. iterũ rediens in vnitatem. (Nam vt monas generauit monadem, ita in ſeipſum reflexit ardorem ſuum) & hoc modo producta eſt 3. quę eſt ico ſeu exemplar Trinitatis officij in vnitate eſſentiæ; nam vnicã habemus chordam, at tres habemus in hoc vno Harmoniæ perfectiſſimæ proprietates, quæ vniuerſam mundi harmoniam conſummant: nam vbi Diapaſon adeſt & Diapente & Diateſſaron itidem includuntur neceſſario. Monas 1. generat monadem 1. & ſunt II. in loco ſolis ſeu mundi meditullio, vnde ſphæra æqualitatis dicitur & ardorẽ in ſe I. reflexit, & ſunt III. quæ nõ ſunt niſi Monas vnica, videl. Iod in Vau per He, & Vau iterum in Iod per He in nomine magno Tetragrammaton. ſeu Aleph paruum progreſſus in Aleph magnum, inde arguendo, quod omnia ſint in vno & per vnũ, & per conſequens, quod multitudo non ſit niſi vnitas. Atq; hoc modo circulus mundanus ſuis ſemidiametris harmonicis tam mediis quam extremis vndiq; impletur atq; perficitur, ab eius meditullio ad peripheriã numerando. At ſi huius rei approbationes adhuc magis manifeſtas experis, ſcias, quod omnis perfectio eſt à Deo fonte ſummo perfectionis, qui refertur ad monochordum, quatenus ſe extendit à centro ad circumferentiam, atq; hinc inde Deus dicitur centrum & circumferentia ac punctum perfectionis, quem in mundo producit mediante ſua præſentia in medietate Diametri mũdani, à qua ad Deum tam quatenus, eſt circũferentia, quam vt eſt centrum, reſpondet videl. ad vnitatem in dupla proportione, quæ producit conſonantiam perfectiſſimam, & proinde Deitatis lucidæ pleniſſimam, quia omnis plusquamperfectio eſt in Deo. Pergamus ergo, & ad Solem iam ſermonem noſtrum applicemus, quippe qui eſt omniũ creaturarum ſplendidiſſima, lucidiſſima & perfectiſſima, ita ſe habens in mundo, vt aurum inter metalla. Sequitur ergo conſequenter, quod vt in monochordij medietate inter vtraque extrema, centra ſcilicet & circumferentia coincidat conſonantiæ Diapaſon ſeu perfectiſſimæ menſura, ſic etiam hæc medietas in mundo in centro ſolari tanquam loco ſummæ perfectionis in rebus creatis exiſtat, & per conſequens, quod ſolis poſitio ſit directe in meditullio inter Deum centrum, & Deum circumferentiam, & quod ſolis anima in terra harmonice & ſpiritum mundanum conſonantias minores effundens ſit à Deo, in Deo, & per Deum, imo vero & ipſe Deus non minus quàm anima rotam chordam ſonans ſit eadem in toto, & in qualibet eius parte. Atque hoc idem eſt, quod Propheta agnoſcere videtur aſſerens, Deum poſuiſſe Tabernaculum ſuum in ſole. Verum hinc obiter tibi innoteſcere velim, Iohannes, quod quamuis omnem facultatem à ſtellis quatenus creaturis auferre videar in Declaratione mea Analytica, omnem tamen virtutem Dei creatori in iis operanti attribuo, quem Harmoniæ fontem & originem hic facio, Solem vero inſtrumentum & quaſi receptaculum radiorum ſuæ perfectionis, & per conſequens, generaliter loquendo, conſonantiæ Diapaſon locum in hoc mundo. Sic videmus ſpeculum ardens radios ſolis minime ignitos in ſe recipiens operationem magis euidentem & vehementem proferre, quam ipſe ſol ſua virtute. Dico igitur, Spiritum Sapientiæ vbique in mundo perfuſum & vitam tam homini & cæteris creaturis, quam Soli dare, & tamen Sole tanquam inſtrumento vtitur ad mutationes promptiores tam in generatione quam corruptione producendas, in ſpiritibus denſioribus at ſemper hæc omnia attribuo creatori Sapientiæ vbique per mundum expanſæ & ſecreto modo operante, & non creaturæ; ita vt Soles non modo geminos dicam eſſe in mundo, verum infinitos, & in qualibet re mundi, hoc eſt, Sapientiæ Sole viſibili clarioris & luculentioris longe radij vitam, motum & eſſe cuilibet rei vtcumque minime adhibentes. Vnde Democritus & Orpheus omnia Diis plena dixerunt, ſed hos omnes Deos vnico Ioui ſeu increatæ Sapientiæ attribuerunt: nec quando hoc dixerunt (Iohannes) aut crapula diriguerunt, aut vino Germanico erant diſtenti, aut cereuiſiæ Britannicæ fumis intoxicati, vt tu humaniter pag. 46. de me innuere videris. Nam te ſcire velim, quod dupla proportio ſeu conſonantia Diapaſon, hoc eſt, perfectionis ſe habet tam in minima creatura, quam in maxima, videlicet mundo. Hoc enim ex iſto monochordo demonſtratur. Nam Harmoniam tam completam habet proportio dupla C C C C C. ad c c c c c c. quæ denotat regnum minerale inter compoſita; quam dupla proportio C. c. denotans harmoniæ proportionem inter Deum centrum & ſphæram æqualitatis ſeu Solem: nam omnia inueniet opifex in creatura compoſita, quæ in mundo viſibili: imo vero & vlterius ſubtiliationibus ſuis progredi poteſt. Ex quibus liquet, quod ſapientia ſeu Sol increata ſit in qualibet creatura, vtpote in qua plusquamperfectionis conſonantia reperitur: ſed in vna magis eluceſcit illa, quam in alia, tam in Mundo ſcilicet quam in homine, & tam in homine quam cæteris. Luculenter, inquam, explicatur hoc ex gradibus diuiſionum monochordi in proportiones duplas.

Hic ergo vides duo generalis Harmoniæ extrema, quæ non niſi idẽ ſunt, & in vno conueniunt: nam aliter non eſſet regreſſus à Deo in Deum. Hic etiam vides vniuerſalis Harmoniæ mundanæ medietatem, quę pacem & concordiam facit inter vitam creaturæ tam cœlorum quam terrarum, & ipſum creatorem: videlicet anima increata, quæ poſuit Tabernaculum ſuum in ſole, atque hæc anima eſt ſumma illa Sapientia ſeu Meſſias & Verbum, de quo ſic loquitur Apoſtol. Paulus, inde arguens plane, vt antea dictum eſt quod non modo homines verum etiam res omnes alias ad Harmonias ſuas veras eſſe cõductas per ſanguinem Chriſti. Verba eius ſunt hæc: Pacificans per ſanguinem ſuæ crucis res omnes, quæ ſunt in terra, & illas quæ ſunt in cœlis.

Ex his

Ex his igitur luculenter patet, quod chorda monochordi in suo integro Patri referatur, qui vt est vnitas, est etiam omne, quod est, & omnia sua harmonia implet, at se secundum iustitiam suam in partes æquales diuidens arguit emanationem vnitatis in dualitatem, videlicet, quæ est imago Personæ secundæ, mundum & eius partes proportionibus harmonicis fabricantis, & secunda vnitatis portio à chordæ centro c. seu prima portione tanquam Patre & Filio promanans, videl. spacium c. ר. ad Spiritum Sanctum relatum, est illa proprietas, quæ iungit c. sphærico progressu cum C. in vnione amoris & harmoniæ, omnibusque mundi creaturis vitam & virtutem dat, iuxta illud Psalmistæ regij: Verbo Domini firmati sunt cœli, & Spiritu ab ore eius omnis virtus eorum: ac si diceret, quod emanatione consonantiæ perfectæ Diapason, hoc est, verbi effulgentis, à C. centrali, hoc est, Patre faciei suæ lucem emittente ad c. mundanum; cœli firmati sunt, & emanatione consonantiæ Diapason, hoc est, c. ר. ab vtroque emanans mundus completus est, & eius creaturæ informatæ. At quia Sol in hoc mundo diuinitate ampliſſima est præditus, (quatenus Lumine repletiſſimus, iuxta illud D. Augustini & aliorum: Quantum magis aliquid lucis in se habet, tantum magis Dei sibi vendicare videtur. Et illud Platonis & Apulei: Ne loquaris de Deo sine Lumine, vtpote qui est luminis pater.) Ideo de harmonica Dei perfectione maxime participat, & per consequens eius proportio ad Deum est, vt C. ad c. videlicet dupla, quæ producit perfectiſſimam consonantiam Dipason, & propter aspectum eius perfectiſſimum ad eum dicitur Sapientia (quæ est summa omnium rerum perfectio à fonte perfectionis exiliens) Tabernaculum in eo posuisse. Hic ergo habemus Alpha principium, & Omega finem, in quorum medietate statuitur creatura omnium pulcherrima, vtpote magis apta & digna propter politiſſimam & puriſſimam sui corporis substantiam, ad suscipiendos summæ perfectionis radios ab vtroque perfectionis circularis extremo per vnionem amoris inexplicabilis ad inuicem coniuncto atque continuato.

Videmus ergo ex diligenti huius Monochordi mysterio, quomodo Deus est centrum, & quomodo circumferentia, videlicet centrũ ante creationem in se delitescens, & circumferentia in & post creationem per radiorum suorum reuelationem & expansionem in circuitum, ac deniq; totum in toto seu omne quod est quatenus circulus. nam vt chorda, quam semidiametro circuli comparant, implet omnia monochordi interualla: sic etiam & Deus in creatione se circulariter patefaciens seu à tenebrarum meditullio peripherice exurgens, spiritum mundanum seu aquas splendore Verbi, (quod est itidem Deus) replere dicitur, iuxta illud Diui Petri: Ex aqua, in aqua, & per aquam cœlum & terra sunt facta mediante Verbo. Videmus etiam quali perfectionis proportione migrauerit Deus post creationem in Solem, videlicet duplæ proportionis saltu. Ex quibus liquet, Solem debere in meditullio esse inter Deum centrum & eum circumferentiam. Atque hic locus, vbi Sol ambulat, dicitur à Platonicis, sphæra æqualitatis, ac si dicerent, hoc in loco semidiameter est æqualiter diuisa in duplicem & æqualem proportionem ab vtroque extremo videl. à Deo centro & Deo circumferentia, Diapason duplicem constituente. At vbinam hic inuenit Ioannes errorem inter principales hos tres Harmoniæ mundi generalis terminos? aut vbi in proportionib. tam graue hic reperitur peccatum, quale in text. 26. prętendere videtur: Aut ænigmatibus & mysteriis perplexiſſimis obuelata est hæc mea demõstratio? nonne tam cum Philosophorum quam sacrarum Literarum sententiis videtur hoc conuenire? Nonne hoc confirmat cuiuslibet viri mentis sanæ iudicium atque ratio? Imo vero si Lector debito respectu hoc considerare atque contemplari se accinget, rem sane aliter se habere non posse obseruabit.

At petet Iohannes fortasse, quomodo possunt ergo & reliqua mundi interualla impleri, si termini hi tres admittantur? Respondeo ego, quod vbi consonantia maior Diapason nempe inuenitur, ibi & consonantiæ minores subintelliguntur necessario; & vbi hæ minores in mundi monochordo imprimuntur, ibi etiam & minima interualla includuntur, videl. tonus & semitonia. Porro etiam, minora huiusmodi monochordi interualla hoc modo possimus implere: incipiendo scilicet à dissolutione compositi retrograda via generationis hoc modo progrediendo, videlicet ab Alpha ad Omega: numerando cœlorum ordines more vulgari acceptos, hoc est, in distantia & positione quantitatiua loci; quamuis reuera Dei in natura progressio harmonica fiat secundum depurationis & purificationis gradus, per quos gressum fit subtile, & corruptibile incorruptibile, iuxta illud Apostoli: Quod seminatur corporeum & corruptibile, surget spirituale & incorruptibile. Spacium ergo inter C. & D. se habet, vt illud inter Terram & Aerem, videlicet Aquam, respondens tono: Et rursum inter D. & D. ad illud interuallum inter Aquam & Ignem, nempe Aer, assignans alium tonum. Et inter E. & F. ad illud inter Aerem & Lunam, videlicet Ignem: quod Semitonio propter acuitatem & tenuitatem suam respondet. Atque huiusmodi interualla in cœlo sublunari inter se in proportione sesquialtera reperiuntur, ex qua consonantia imperfecta nempe Diatessaron exurgit. cuius natura huic mundi regioni optime conuenit, vtpote quæ est imperfecta, quatenus generationi, corruptioni & mutationibus obnoxia. Procedimus autem iam ad interualla medij mundi regionis seu cœli ætherei, dicimusque, quod spacium inter F. & G. se habet, vt sphæra Lunæ inter Ignem & illam Mercurij, tonoque vnico respondet. Et illud inter G. & a. vt sphæra Mercurij inter illam Lunæ & Veneris, alteri tono relata. Et illud inter a. & b. vt sphæra Veneris in illam Mercurij & Solem collocata, Tertio tono comparata. & b. c. vt sphæra Solis inter illã Veneris & Martis, respondens ad Semitonij conditionem

propter ſolaris naturæ virtutem ſubtilem,ſynceram,igneam & occultam: atq; ita procreatur Diapente materialis,quæ eſt conſonantia minoris perfectionis; nam & talis eſt natura cœli,cui & Quinta eſſentia rectiſſime ob hanc conſonantiam conuenire videtur. Et ex his duabus conſonantiis minoribus conſonantia Diapaſon materialis orta eſt. At nunc credat Ioannes velim,me magis hoc locorum dignitates in purificatione & ſubtiliatione quam in eorum dimenſiones reſpexiſſe.

Deinde progrediemur eodem modo à Deo in circumferentia ſeu cœlo cœlorum ad complendam conſonantiam Diapaſon ſpiritualem in ſole hoc modo: diuidendo ſecũdam chordæ monochordi medietatem in ſimiles partes cum priori hoc modo: dico quod interuallum inter C. c. & b ſe habeat, vt prima Angelorum Hierarchia inter ſedem Dei & Hierarchiæ ſecundæ regionem: & hoc ſpacium propter infinitam ſuam puritatem & ſubtilitatem reſpondet ſemitonio: & illud inter b. a. ſe habet vt interuallum Hierarchiæ mediæ, tono integro reſpondens. Et illud a.g. ad interuallum Hierarchiæ infimæ, tono ſecundo relatum. atque ita conſonantiam Diateſſaron ſpiritualem habemus. Deinde illud g.f. ſe habet vt interuallum ſphæræ octauæ Semitonio comparatum, & f. e. ad ſphæram Saturni tono relatum, & e. d. ad illam Iouis alio Tono reſpondentem. ac denique d. c. ad illam Martis, quæ Soli eſt contigua, atque ita conſonantiam Diapente ſpritualem habemus productum in cœlo etiam medio, ex quibus iunctis conſonantia maxima & perfectiſſima Diapaſon eſt producta. At ſi interualla hæc more myſtico implere volumus & non vulgari, tunc progrediendum eſt in omnibus via huic contraria, quia à centro in prima creatione effulgens Deus ſpiritualem quidem Diapaſon primum impleuit, incipiendo cum ſphærarum & creaturarum digniorum creatione, vt in Monochordo noſtro demonſtratum eſt. Atque hoc modo completa eſt monochordi mundani in duas conſonantias diuiſio. Et quamuis hic Iohannes hanc diuiſionem propter differentiam cœlorum in dimenſione oppugnare tentauerit: ego ei hic reſpondeo ſicut alibi, quod vnum groſſum non differat pondere philoſophico ab vno dilatato, & conſequenter vnitates non menſurantur iiſdem lineis ſed ponderib. Quare Lectores hic notare moneo, vt ſubſtantias meas quemadmodum dictum eſt non intelligant eſſe quantitatis dimenſionibus, ſed qualitate formali differentes. vt ſi eadem res in eadem ſubſtantia & quantitatis gradu olim cruda, iam formæ lucidæ in ea prædominatione magis matura, pura, perſpicua, ſubtilis & incorruptibilis redditur, vnde illud idem in terra purificatione naturali à natura terræ in cœlum, & à cœlo in naturæ Spiritus Deum ipſum circumambientis reduci poteſt, in medio gradu ad huiuſmodi perfectionem ſe prodit Sol cuilibet extremo per conſonantiam Diapaſon reſpondens. Verbi gratia: Terra inanis, tenebræ & quaſi nihil lucis appatitione, in aquam mutatur, actum cõtinua Lucis diuinæ actione illa aqua in aerem purificatione reducitur, & poſtea per tertium gradum ille aer in ignem elementalem operatione Verbi aſſurgit, & ille in ætherem per quintum gradum, & tunc lux iſta purificans in ſubſtantia Solis ſe conglomerat, iuxta illud Hippocratis Philoſophi & Medici diuini: Illud immortale, q̃ calidum vocatur, cum omnia eſſent conturbata, in ſupremam diſceſſit peripheriam, quam Veteres æthera dixerunt. Et Mercurius Triſmeg. in ſuo ſacro ſermone: Erat vmbra (ait ille) infinita in abyſſo, aqua inſuper, & ſpiritus tenuis intellectualis per diuinam potentiam in chaos inerant, cumque indiſtincta fuiſſent omnia, leuia poſtea in excelſam regionem prouolarunt, grauia ſub arena humida reſederunt diſtinctis libratisq; rebus, quæ igneo ſpiritu vehebantur, emicuit cœlum in ſeptem circulos. Hoc modo atque hac ratione diligenter obſeruauerunt ſapientes Harmoniæ mundanæ gradus, per quos mediante ſcala veritatis aſcendimus à terra in cœlum, ad corpus vſq; ſolare, per conſonantiam Diapaſon materialem, & tum poſtea à Sole ad ipſius creatoris ſedem per gradus alterius Diapaſon, quæ ideo & ſpiritualis dicitur. Atq; hæc eſt Scala illa Iacobea, per quam Angelos à cœlo ad terram deſcendentes, & à terra iterum ad cœlum aſcendentes re vera & non ficte ſomniauit Patriarcha. Iterum ſecundum tres Platonis Enneades 999. Harmoniam hanc mundanã diſpoſuimus, monochordum in conſonantias Diapaſon tres diuidendo, vti in exemplo prędicto ſat liquido explicatur, & cuilibet conſonantiæ magnæ nouem attribuuntur ſtationes nouem vocibus, quæ ad Diapente & Diateſſaron concurrunt, ex quibus conflatur Diapaſon, reſpondentes: quemadmodum & in Harmonia mea in Hiſtoria de Macro-& Microcoſmo explicatum eſt.

Porro quælibet Mundi regio poteſt etiam referri ad Harmoniam totius, vnde & in Muſica mea Macrocoſmica diuiſi Regionem mundi elementarem more totius in duplicem Diapaſon, vbi feci Solem mundi inferioris ipſum Deum in nube ſuper alas ventorum vectum, vt à Pſalmiſta regio habetur, quippe mediam aeris regionem poſuimus medietatem inter terram & concauam Lunæ ſuperficiem. Nam hoc certum atq; approbatum eſt, quod illa res quæ ex mundi elementis conflatur & habet in ſe ſecundum ſuam proportionem ad totum & exactiſſimos Harmoniæ mundanæ gradus, quod quidem in Homine Mundi filio, & in luto illo pretioſo, ex quo prius Adam erat extractus, quod Microcoſmum verum appellamus, comprobatum eſt, & à Filiis veræ artis Phyſices ſæpiſſime expertum.

At nunc, vt prima diuinæ maieſtatis emanatione totum monochordum mundanum in duo æqualia cõſonantiam duplicem Diapaſon ad eius totum ſonantia diuiſimus, quod erat proximũ ad diuinam ideam exemplar in mundo archetypo: ita etiam illud iam in tres partes ad exemplar ideæ ſecundæ, quæ eſt in mundo creato, diuidimus, eaſque inæquales propter regionum mundanarum in diſpoſitione materiæ ſpiſſæ vel ſubtilis cum forma in ea inæqualitate. Nam vt mundus eſt imago Dei, ſic etiam eſt eius Templum vel domus quæ ad ſui Domini iconem & ſimilitudinem efformatur: vnde in tres regiones ſecundum reſpectum

ſpectum ad Trinitatis in illum operantis proprietates diſtinguuntur. Ad mundi igitur tam maioris quã minoris exemplar (qui eſt imago Sapientiæ in mundi tenebras ante omnia coruſcantis) Deus tam mundum quam Hominem creauit, (vnde Mercur. Triſmegiſtus Hominem Mundi filium, vt mundum Dei filium appellauit.) Nam vt mundus in cœlum Empyreum, Spiritum æthereum & regionem elementarem vertitur, ſic etiam Homo ex mente diuina, ſpiritu viuente, & corpore opaco conflatur eodem plane modo Moyſes arcam ſeu tabernaculum, ex portione dicta Sanctum Sanctorum, vbi Cherubim erant, regione media auro & ſeptem lucernis ornata, & parte cœlo & aeris mutationibus obnoxia, & mactationib. & morti pecudum deſtinata eſt diuiſa. Sic etiam Salomonis Templum ad Moyſis Tabernaculi exemplum, in tres partes dignitate alteri præcellentes eſt diſtinctum. Eſt ergo Sapientia ſeu Verbum imago Patris, Mundus imago Sapientiæ, Homo imago mundi, Tabernaculum Moyſis imago Hominis, & Templum denique Salomonis ſimulacrum tabernaculi. Per emanationem ergo Sapientiæ à Patre fit primæ Harmoniæ perfectio, per conſonantiam Diapaſon in hoc mundo, quæ per aliam Diapaſon in vnitate eſſentiæ (quæ à Patre tanquam fonte ſeu centro, & Sapientia tanquam Filio & lucido vitæ flumine ſeu diametro circulum implente, & in ſole tabernaculum ſtatuente, tertia Perſona eiuſdem eſſentiæ nexu inuiolabili duo extrema in vnum coniungit: Sic etiam in magno nomine Tetragrammaton ‫יוד‬ Iod per ‫ה‬ He tranſit in ‫ו‬ Vau atque iterum per ſecundum ‫ה‬ He reuertitur etiam ‫ו‬ Vau in ‫יוד‬ Iod, à quo progreſſum eſt. Vbi He ſpiritus ſeu reſpirationis ſignum eſt gluten illud amatorium & ſempiternũ, à quo & per quod ſecunda Perſona à prima egreditur, & in primam reuertitur. Sic etiam in mundi fabrica Sapientia egreſſa eſt ex ſinu Patris, ſeu Alèph tenebroſo, ſeu Deo latente ſeu vnitate ſua ſeu centro, & in mundi multitudinem ſe immerſit, & in Sole ſpirituali, hoc eſt, in lucido ſpiritu primo die creato poſuit perfectionis ſuę tabernaculum per primam mundi Diapaſon, eratq; hoc ſpacium propter ſubtilitatem & puritatem ſuam omnium capaciſſimum, atque ita etiam interuallum huius conſonantiæ Diapaſon immediate à centro C. exilientis ad c. eſt omnium capaciſſimum: & refertur in idea diuina ſeu nomine magno ad primum ‫ה‬ He, in quo ‫יוד‬ Iod ſeu Lux ſe immergit; in mundo ad cœlum Empyreum ſeu mundum igneum, ſuper-cœleſtem, intellectualem & angelicum, in nouem Angelorum gradus, vnitatibus ſeu radicibus propter ipſorum ſimplicitatem comparatos diuiſum, & repræſentant hi gradus primam enneadum ſeriem, nouem vnitates importantẽ: eſtq; diei primi in creatione opus. In homine huic regioni comparatur Mens cum nouem ſuis dimenſionibus: in Tabernaculo Moyſis Sanctum Sanctorum: in Templo Salomonis pars eius ſecretior Arcam Dei cuſtodiens. Deinde per Diapaſon mediam completa eſt ſecunda Mundi regio ſeu firmamentum ſiue cœlum ſtellatum, ſeu æther, ſeu regio cœleſtis, ad exemplar cœli ſupremi. Nam vt Iod fons Luminis in He fontem ſpiritus limpidiſſimi prius eſt ingreſſus, ad cœli Empyrei creationem, hoc eſt, radij lucis diuini olim latentes iam per puriorem ſpiritum mundanum ſunt perfuſi, atque hac ratione Lux prima creatura eſt creata: ſic etiam radij ipſius Iod in ſpiritu Empyreo, profundius ſe immergentes in ſpiritum mundanum & groſſiorem in mundo produxit ſpiritum, Filio in Trinitate relatum, vt ſpiritus ille Angelicus Patri, vnde illud Prophetæ regii antea allegatum: Verbo Domini firmati ſunt cœli, &c. atque hoc Cœlum denotatur in Tetragrammato per literam Vau, quæ eſt media inter ‫ה‬ He ſpiritum & ‫ה‬ He. quaſi firmamentum ſeparans aquas ab aquis. Atq; hic conſonantia minus perfecta Diapente terminatur in Sole, vbi Verbum poſuit Tabernaculum ſuum, & Diateſſaron, hoc eſt, conſonantia minus perfecta finitur in Luna, hinc denotans Lunæ imperfectionem ad Solem comparatæ. & Diapente & Diateſſaron conſtituunt Diapaſon vitæ ſeu intermediam. Hic ergo ſpiritus eſt priori denſior & ſpiſſior, & prior ſpiritus informatus inſeruit huic, vt anima corpori. In 9. diuiditur ſphæras, quæ loco quadratorum ſe habent ad illas Angelorum reſpectu tenuitatis ipſorum ad illas ætheris, vt radices ad quadrata. In Homine huic cœlo Spiritum vitalem comparamus, in Tabernaculo Moyſis partem deauratam, vbi 7. ſunt lucernæ, Planetarum 7. icones: in Templo Salomonis eius cor ſeu medietatem & myſteria eiuſdem. Denique Deus profundius adhuc in multitudinem verſus peripheriam rerum deſcendens Diapaſon mundi materialem & elementarem produxit, eratque hoc opus diei tertii, in quo litera Tetragrammati Vau ſe in vltimum ſpiritum He non aliter immerſit, hoc eſt, in aquas mundi inferiores ſeu ſub firmamento ſitas, quam litera Iod in primum He. ſeu aquas ſuperiores. & hoc cœlum Spiritui Sancto attribuitur, quippe quod animam ſuam à primo & ſecundo cœlo tanquam à Patre & Filio deriuauit, & ſpiritus hic, vbi vult, ſpirare dicitur: Et proprie anima huius cœli eſt ſubſtantia cœli medii, vt illa medii eſt portio cœli ſuperioris: æther ergo corpus eſt, & eius anima cœlum empyreum: aer corpus eſt, & eius anima æther, atque horum omnium matrix ſeu vltimum receptaculum eſt terra. Eſt ergo hæc regio infima ad ſuperiores tanquam cubi ad radices, & per vltimã Enneadem Platonis ſignificatur, quatenus in regiones etiam nouem diuiditur, vt alibi à nobis tum in Hiſtoria noſtra Macrocoſmica, ſed præcipue in Microcoſmica explicatum eſt. In Homine huic comparatur corpus, in Tabernaculo pars mutationibus & alterationib. externis obnoxia, in Templo Salomonis pars vulgatior & communior. Hic autem imprimis obſeruandum cenſemus, quod in monochordo conſonantiæ cuiuslibet Diapaſon quantitatem ſemper deſcendendo contractiorem & breuiorem eſſe, inde arguendo, materiam cuiuslibet regionis eſſe ſpiſſiorem & denſiorem, & per conſequens minorem locum requirere ad ſuam in mundo exiſtentiam: Sic pugillum terræ ſubtiliatione dilatatum in aquam decies tantum loci requirere iam in aquea natura videmus quam antea in terrea.

Quod

Quod autem ad inferiores illas consonantias Diapason spectat, quæ vltra has generales exurgunt, arguunt quidem corpora ex prædictis composita, in quibus quidem eadem Harmonia sonat, sed prior assignatur Homini, videlicet inter ccc. & ccccc. vtpote in quo est completa mundi harmonia ab vnitate seu Deo numerando ad infimum Elementorum descendendo, per quem omnia tam in cœlis quam in terris sunt saluanda. Hic enim Deum Alpha & Omega seu Aleph paruum & magnum designat, & vnionem cum Deo per Deum habere dicitur: estque verissimus mundi filius, quippe Mundus est propago Dei. Secunda ab hac Diapason datur compositioni cæterorum animalium. Tertia vegetabilibus, & vltima mineralibus, vtpote totius centro contiguis. Atque ita omnia in mundo creata ab vnitate numerando ad numerum millenarium in hoc nostro monochordo quam luculentissime secundum Platonis intentionem explicantur: Ita vt corpora composita sint quasi cubi ex cubis composita. Nam vt in simplici mundi structura concurrebat respectus radicis vel cœli supremi ad quadratum seu ætherei & quadrati ad cubum seu cœlum elementare: sic in compositis Animalia se habent ad vegetabilia vt Radix ad quadratū, & Vegetabilia ad Mineralia vt quadratum ad cubum. Porro corpora Angelica seu supercœlestia se habent ad stellaria illa, vt linea ad superficiem, & hæc ad corpora sublunaria, vt superficies ad corpus. Concludimus ergo, quod Deus existens in se vnus sit tamen omne quod est, & Harmoniam omnem potentia sua diuina comprehendat qui Harmonia suæ perfectionis commetitus est cœlum supremum, ad cuius exemplar cœlum medium secundo die formatum est, & ad huius denique die tertio cœlum infimum. Ex rebus autem compositis animalia primum cœlum respiciunt, vtpote conditionis magis igneæ, quorum caput est Homo, Angelis Seraphin comparatus, qui semper stant coram facie Dei. Vegetabilia ad cœlum medium referuntur, quatenus magis aerea: & horum caput Triticum scilicet Soli cœlesti rite confertur. Et Mineralia cœlo infimo comparantur, quatenus magis participant de aqua grossa, & huius caput, Aurum nempe, de Sole centrali participat.

Ingens quidem de hac re Volumen in lucem edere potui: sed non est mea intentio, vt tædiū Lectori hoc in Tractatulo afferam, sed solummodo eum ingenue & candide admoneam, Harmoniam meam mundanam à proportionibus etiam mathematicis non ita longe distare, vt Iohannes in hoc quidem deceptus in sua comparatione existimabat: nec quidem Robertus in Harmonia Platonica, Pythagorica atque Proclereana adeo ignarus, vt ipse illum mundo ebuccinare tentauit.

Ac iam quia Iohannes videtur aliquibus in lociter leuiter de Roberti, in Harmonia ex 5. corporibus regularibus exurgente, cognitione aut scientia iudicare, ac si in huiusmodi area harmonica aut nunquam aut non bene sementem fecisset: ostendam Lectori paucis, quid in iuuentute mea (contra Ioannis sententiam) obseruauerim, de illis quantum proficui ex iis elicuissem, Ad corpora ergo regularia quod attinet, quinque ipsorum figuras mundi partibus, cœlo videlicet atq; 4. elemētis, (ex Mathematicorum optimorum sententia) correspondentes animaduertimus quarum tres ex superficiebus triangularibus, quartam vero ex quadratis, ac denique quintam ex pentagonis planis constitutas agnouimus. nam præter figuras quidem has plures à Mathematicis in Geometria non reperiuntur, quippe quod nullus angulus soladarum quatuor rectos superficiales æquiparare aut valere potest: quemadmodum ex 21. libri 11. Elementorum Euclidis latius reperitur.

Trianguli igitur, qui ad Anguli recte constitutionem concurrunt, debent esse vel 3. vel 4. vel 5. nam in triangulo æquilatero angulus sane quilibet continet grad. 60. vnde sequitur, quod tres istius conditionis anguli constituant 180. qui sunt minus quam 4. recti: & per consequens, quatuor huius generis anguli producunt gradus 240. & quinque itidem efficiunt gradus 200. atque vltra hoc in angulis non est progrediendum, quia sex anguli tales producunt 360. qui æquiualent quatuor rectis, quod sane solidi anguli naturę minime conuenit.

Ex angulorum ideo concursu tres producuntur figuræ, quarum prior est Tetrahedron, quod est plane quatuor basium triangularium pyramis. atque hoc elemento Ignis assimilatur. Et huius angulus solidus, constat ex tribus angulis planis seu superficiebus trianguli æqualium laterum, vt in sequentib. apparet.



Secunda

Secunda eſt Octohedron, cuius angulus quilibet ſolidus ex angulis planis quatuor iiſque triangularibus conſtat. Atque figura hæc eſt Elementi Aeris Symbolum. eſtq; huiuſmodi:

Tertia eſt Icohaſedron, quæ angulos habet ſolidos ex quinq; angulis planis triangularibus conflatos. eſtque hoc Elementi Aquæ argumentum: cuius character eſt huiuſmodi:



Non ſunt ergo plures quam hæ figuræ regulares, quæ ex triangulis ſunt conflatæ. Ex Quadratis autem docemur, quod vnica tantummodo eliciatur figura, quæ Cubus nuncupatur, qui ad elementum Terræ proprie & naturaliter applicatur. Huius autem angulus ſolidus ex tribus quadrati angulis ſuperficialibus exurgit, lateribus ſex eſt prædita, vnde & Hexaedron nuncupatur. At ſi plures angulos quadratorum coniungamus ad quatuor rectos deueniemus, quod in angulo ſolido figuræ angularis minime toleratur. Cubi figura eſt huiuſmodi:



Denique ex Pentagonis exurgit etiam vnica figura, quæ appellatur Dodecahedron, eſtq; cœli Symbolũ: atq; huius angulus ſolidus à tribus pentagoni angulis perficitur. At hic notãdum eſt, quod quilibet in pentagono angulus recto æquiualet, & deſuper parti quintæ recti, ita vt tres æquipolleant gradibus 324. quod ſi quatuor huiuſmodi anguli ſumantur, quatuor rectos excedant. Figura hic ſequitur:

Hic denique obſeruare liceat, quod ſuperficies Hexagonea ad anguli ſolidi compoſitionem concurrere nequeat, eo quod angulus Hexagoni valeat rectum & $\frac{1}{3}$ recti, vt ex lib. 32. Euclid. colligitur. & inde etiam liquet, quod ſex anguli intimi in Hexagono æquiualeant 8. angulis rectis, vnde vnus eius angulus æquiualet

vni

vni recto,& tertiæ recti parti: quare cum tres anguli hexagoneæ figuræ æquiualent quatuor rectis,in angulum ſolidum admitti non poſſunt. Ex his igitur conſtare videtur, quod quinq; tantummodo ſint corporum regularium figuræ à nobis ſic deſcripræ & non plures.

Ad Harmonam vero ſeu proportionem harum figurarú ad partes mundi quod ſpectat, ſic ſtatuere Platonici, videl. q̃ Cubus vtpote quæ inter omnes figuras eſt magis ſtabilis & firma, terræ quippe,quæ eſt fixa atque immobilis; correſpondeat. Porro Pyramidem ſeu Tetrahedron elemento Ignis applicuerunt, cum ipſe in tali figura ſurſum tendere obſeruatur. At vero quoniam Octohedron ad pyramidis compoſitionem & figuram proxime accedit,huic Elementum Aeris, vtpote qui igni eſt proximus,accommodarunt. Deinde Icoſahedron (eo quod eſt multifariorum laterum atque angulorum.) Aquæ adaptauerunt, quæ ob fluctuum diuerſitatem in formas infinitas Prothei inſtar permutatur. Ac deniq; Dodecahedron (quippe quæ inſcriptionem omnium aliarum figurarum in ſe patitur) cœlo comparant atq; aſſimilant, quoniam cœlum naturali ſuo complexu omnia contineat. Porro in hoc etiam peroprime cœlo adapratur huiuſmodi figura, quoniam vt cœlum in partes 360.ſeu gradus commodiſſime diuiditur,ſic eriam Dodecahedron ex totidem angulis rectis conſtare obſeruatur: nam hæc figura conſtat ex viginti angulis ſolidis, & ad eorum conſtitutionem concurrunt tres pentagoni, in omni pentagono tres anguli æquilateri reperiuntur, ita vt in omni angulo ſolido ſint nouem trianguli æquilateri,qui per 20. multiplicati faciunt 180. In triangulo vero omni tres æquiualent duobus rectis, ita vt in Dodecahedro contineantur poteſtate 360. anguli recti.

Proportiones harum figurarum ſic depinguntur.

Figuræ corporũ regularium.	*Latera*	*Angulorũ Solidorũ num.*	Figuræ *Simplices*	*Anguli plani ſolidum continentes.*	*Anguli ſolidi quantitas*	Partes Mundi
Tetrahedron.	4	4	*Trianguli plani 3. æquilaterum.*	*Tres anguli plani ſingulo 60.grad.*	180. *grad.*	Ignis
Octohedron.	8	6	*Trianguli plani 4. æquilaterum.*	*Quatuor anguli plani ſingulo 60. grad.*	240. *grad.*	Aer
Icoſahedron.	20	12	*Trianguli plani 5. æquilaterum.*	*Quinq; anguli plani ſingulus 60.gr.*	300. *grad.*	Aqua
Cubus.	6	8	*Quadranguli plani.*	*Tres anguli plani ſingul. 90.grad.*	270. *grad.*	Terra
Dodecahedron.	12	20	*Pentagoni plani.*	*Tres anguli plani ſingul. 108. grad.*	324. *grad.*	Cœlum

Poſthæc vt verba illa Iohannis adhuc Naturæ vacuo inaniora literatis demonſtrarẽ, quæ ſiquidem more contemptu pleno,atq; etiam(vt plane percepi)ſubito violentiæ atq; indignationis afflatu accenſo,huiuſmodi erant pag.9. ò miſellos Philoſophos,qui de creationis opere ſpeculationes ſuas obtrudunt,cum creauerint ipſi nihil. Scilicet etiam in oculis, etiam in experientia operis alieni,habet ſuum Theoria ſubſidium. Vt igitur Ioannes & alij me percipiant in centrali rerum creatarum enucleatione,atq; per conſequens ipſorum creationis myſteriorum praxi quodammodo,& non contemplatione aut imaginatione ſola verſatum: velim ego,vt imprimis ſciatis vos ſecundum D.N.Ieſũ Chriſti reſpõſum ad ipſum Diabolum,quod duo ſint præcipue,quibus viuit homo, videl. Pane & Verbo Dei,quorum ille ad corporale nutrimentum, vt & hoc tam ad corporale quam ſpirituale conducit: prior ergo eſt panis mortalium,alter vero eſt immortalium ſeu Angelorum,quem Manna abſconditum vocauerunt S.Scripturæ.Panis materialis creatura eſt,ille ſpiritualis ab afflatu diuino ſcaturire dicitur,eſtq; Verbum ſine quo nulla creatura,imo verone cęlum aut terra,aut

aliquod

aliquod elementorum momento quidem temporis perdurare posset, cum iuxta Diuum Ioannem per Verbum omnia facta sint, & sine eo nihil; nam in eo erat vita, &c. Et D. Petrus agnoscit, quod mediante Verbo isto cęlũ & terra ex aquis & per aquas fuerint creata. Sed ingens huius Verbi seu panis Angelici seu rupis spiritualis mysterium & ineffabilia eiusdem arcana illuminatissimis illis & reuerentia summa colendissimis viris Fratribus Roseæ Crucis non sine ratione sic dictis, exploranda atque enucleanda commendo, quippe qui per scripta sua circa huiusmodi panis diuini mysteria reserui, & eiusdem functionem habere agnoscunt, de quibus te moneo & obtestor Ioannes, vt maiori modestia imposterum loquaris, qui fol. 43. sermone non ita casto sed contemptu potius cachinnoso pleno eos tractare videris. nam reuera te scire velim, omnia Naturæ arcana, aut Ioannis aut Roberti capacitati vtcunque acutę nondum esse subiecta. At quam sit alicui absurdum, de rebus illis iudicare, in quibus sementem nunquam fecerit, neminem sapientia imbutum latere scio. Igitur precor, ipsos dicacule probris afficere desinas, qui tum Ioanni tum Roberto in Philosophiæ mysteriis atque profunda & vera Harmoniæ mundanæ cognitione mille procul dubio gradibus sunt præferendi.

Ergo igitur ambitione omni ablata, & alis humilioribus vectus, ne Solis ardori appropinquando, Icari instar, deficiente pennarum glutine ima me deglutiret abyssus, circa panem illum materialem solummodo versari contentus euadam, cum nihil præter solum Hominem agnouerim pani illi spirituali eo materiali propinquius. Nec quidem sine ratione coniunxit Christus panem cum Verbo, cum & ipse panem materialem hoc dignaretur honore, vt ipsum loco sui corporis in Cœna sua vltima discipulis præbere eligeret. Et dictum est 24 Luc. quod per panis fractionem cognoscerent Christum. Imo vero videmus totam fere Christianitatem inter se de abdita huius Panis natura & dispositione contendentem. Quare ego ad eiusdem naturam & mysteria inuestiganda procliuis, huius creaturæ medullam atque centrum gradatim anatomizatione suaui perquisiui, & vltra imaginationem aut præter spem meam admirabilia naturę arcana adinueni. Ex huius ergo subiecti meditullio mundi & Physices meæ fabricam extraxi (fateor) tametsi profundiori & magis solida adhuc contemplatione concomitante, Verbo seu Pani spirituali seu sapientiæ diuinæ tanquam speculo magis certum adhuc & infallibilem mundi creationis ordinem atque rationem inesse cum Salomone agnoscam. Imprimis ergo omnia in nubem vastam conglomerata & perturbata vidi. Secundum Aquæ luce tinctæ apparuerunt, in cuius basi massam nigerrimam & omni forma priuatam obseruaui, quam deformi Chaos substantiæ comparaui, illud ergo ego tractare aggrediens ad centrum vsq; eius oculis quidem curiosis gradatim penetrate non destiti, & in ipso tandem Elementa quinq; natura, substantia & qualitate distincta animaduerti, singula subalternatim extraxi, ab inuicē separaui, depuraui, vnum super aliud loco & dignitate dominium habuisse vidi. Quid autem de quolibet eorum sim expertus nunc verbo dicam.

In Elemento Terræ experimento primo vidi rationem, qua natura vegetabilis tam insit in natura minerali quam animali. secundo interni caloris in Terra originem percepi: quod videl. à sale quodam limpido & fixo procederet. tertio causam auscultaui, cur Terra elementorum 4. cæterorum videl. Quintæ essentiæ & reliquorum sublunarium dicatur Matrix & receptaculum. quarto, quid sit Naturæ Archeus seu Sol centralis. quid denique Terra inanis & vacua.

In Elemento Aquæ primum paruulam vitę portionem inesse obseruaui. secundum, quod ad destructionem in se potius quam ad nutritionem cõducat: vnde hæc cum Igne tam ad putrefactionem & ruinam agere percepi, quam Aer cum Elemento quinto ad vitam & conseruationem. at nihilominus hoc elementum per naturæ vinculum in pace ligatum ad compositionis refrigerium quodammodo conferre vidi.

In Elemento Aeris primum obseruaui, illud nihil aliud esse, quam salem purissimum & volatilem. Secundo vidi, quomodo Aer in Aqua ex omni parte esset inclusus, cui vim vitæ suppeditare videtur. Tertio, quod Aer sit præcipua causa vegetationis, & quomodo agat ad vegetationem, imo vero experiẽtia eram doctus, quo ipsum ferrum ad vegetationem promoueret. Quarto vidi experimentum, quo instruebar, quomodo multiplicatio facta sit in corpore animali, vegetabili & minerali. Quinto, quod ex his sublunaribus Aer sit quasi sperma seu materia apte disposita ad suscipienda seminaria lucida seu Tincturã solis tam visibilis quam inuisibilis: quod hisce oculis, quibus hæc scribo, breuissimo temporis spacio euenisse cõspexi. Sextũ experimentum declarabat, quod hic Aer sic extractus esset de vniuerso spiritu mundano, quoniam de aqua, igne, & quinta essentia participauit. Septimo probatum est, quod omnia iuxta Epicureorum sententiam ex atomis essent facta. Atque vltimo experimento collegi, quod spiritus hic semper per purificationem agat in hoc mundo.

In Elemento Ignis primum ratione satis prægnante ductus obseruaui, illud esse præcipuum in natura sublunari corruptionis & putrefactionis authorem atq; productorem: & promptum ad nigredinem & tenebras tristes ac diabolicas sibi attrahendas, & consequenter, ad morbos æstuantes & melancholiæ malignos inducendos. nam hoc Elementum agit tam contra & præter naturam, quam Ignis ille æthereus ad vitæ & naturæ sustentationem.

In Elemento quinto seu æthereo hæc consideraui, videl. imprimis experimento notabili ductus sum, quod sit vitæ author, atque illud quod ad animalis vitæ sustentationem præcipue versatur in nutritione. Secund. eius excellentiam in Medicina tentaui. Tertio, quod tam gustu quam suauitate odoris, & composi-

tione ſubſtantiæ ſuæ à cæteris quatuor omnimodo differat, & conſequenter explicatum eſt, quod ſit Elementum quintum. Quarto, quod eius compoſitio optime declaret diligenti Philoſopho æqualitatem compoſitionis corporis Solaris in luce & ſpiritu. Atque ab eo pyramidum æqualium Lucis & ſpiritus, inuentionem me accepiſſe fateor, finxiq; ibi illum ſphæræ mediæ & æqualitatis locum (in quo Sol à Platonicis dicitur mouere) vbi interſectio facta eſt inter duas pyramides ſitu oppoſito inter ſe diſpoſitas quam affirmaui ita ſe habere ad axem pyramidis cuiuslibet, vt 1. ad 2. hoc eſt, in dupla proportione, ac ſi monochordum vnicum per medium diuiſerim à principio eius ad illam mediam interſectionem, erit proportio ad totum vt 1. ad 2. quæ ſonat conſonantiam Diapaſon: atq; ab huiuſmodi proportione ſic diſpoſita videlicet vno integro & duabus eius portionibus æqualibus, Harmoniam meam tam ſpiritualem quam materialem diſpoſui, videlicet à termino à quo in monochordo tanquam ad eius medietatem, vbi Diapaſon ſpiritualis ſeu Mundi ſuperioris perfectio ſonat in Sole, quippe in quo Deus ſeu ſumma perfectio poſuit Tabernaculum ſuum: & deinde à medietate ad alteram extremitatem tanquam magis deorſum in multitudinem deſcendens, vbi etiam altera conſonantia Diapaſon ſonat in rebus mundi magis groſſis & materialibus.

Cum igitur, vt antea dictũ eſt, ad corporis ſolaris in pane exemplar demonſtratione à poſteriori venimus elementorũ 5. ſubſtantias ſenſibiles obſeruãdo, per gradus Diapaſon materialis à termino ad quem ſeu multitudinem reuertendo tanquam ad medietatem: iam oculis intellectus proſpiciendum exiſtimaui in gradus Diapaſon ſpiritualis, quo ad terminum à quo ſeu Monadem & ipſum Deũ & Lucis præſidem accedamus, qm̃ proculdubio ſenſibilia & corporea ad exemplaria inſenſibilium & ſpiritualium ſunt facta: Atq; ita à ſole magis ſurſum aſſurgens Animæ atq; Angelorum myſteria enucleare geſtiebam, atque ad ipſum Lucis increatæ fontem tandem aliquando attingere hac via minime deſperabam.

Hæc, inquam, (Ioannes) obſeruaui in ventris naturæ meditullio, ex quibus ſecure tuto & ſine fallacia meæ Philoſophiæ fundamenta poſui, quæ non ſunt ænigmata, parabolæ, aut Symbola, vt tu dicis, ſed vera, & demonſtratione certa comprobara, atque eo magis, quia ab ipſius Antiſtitis Moyſis atque ſacris Scripturis vbique, & Philoſophorum veterum doctrina confirmata ſunt. Et quamuis in hoc nihil creare videar, tamen pace tua, quid ſit creatura, quomodo creetur, & ex quibus mediis mundanis conſtituatur, huiuſmodi hac noſtra inquiſitione facilimum erit Philoſopho concipere. At heus, tu, anne credis homini eſſe impoſſibile (mediante virtute diuina) nouum creare mundum Microcoſmum dictum? Si hoc opinaris, toto erras cœlo & deciperis, cum Salomoni & alijs huiuſmodi fuerit data poteſtas, quemadmodum ex S. Bibliis euidenter declaratur. Sed ne ſutor vltra crepidam. Nam in eo quod fatear me nihil ſcire, contentus ſum cum hoc meo naturæ experimento, quod quidem, Deo volente, in meo proximo Volumine, vbi de Anatomia triplici verba facere mihi eſt propoſitum, mũdo particulatim cum omnib. ipſius viſionibus, hocq; luculenter, copioſe explicando, vt cupidos inde literatos magis ſedulo incitarem ad interna Philoſophiæ myſteria inquirenda: & vt imprimis recte intelligant, Philoſophiam illam meam non eſſe vanam aut ænigmaticam, ſed ab ea fructum debitum accipiant & naturæ ſuauitatem prælibent, quo facilius per panis materialis naturæ reuelationem & contemplationem ſynceram ad illius panis diuini, Chriſti nempe veri, & petræ ſpiritualis, Summi boni & Perfectionis fruitionem (quæ eſt vltima cuiuſque appetitus meta, de qua fratres eluminatiſſimi R. C. tam benigniter mundo cecinerunt) pertingant. Proinde mundum literatum ſcire velim, quod ſi efficaciter illam perlegerit, ipſam ab ænigmatibus tam longe abeſſe animaduertet, quam illi, qui Scripta mea parabolica & ænigmatica proclamare atque ebuccinare ſolent, à charitate Chriſtiana, aut religione vera.

At iam ad huius Apologiæ tuæ particulas, mi Ioannes, reuertar, & ſingula iam breuiter percurram, ſemper ea, quæ ad tuam Harmoniam pertinent, cum taciturnitate & reſpectu, excipiendo & tranſeundo: & quę contra meam Philoſophiam obiecta ſunt, pro poſſe delendo atque abſtergendo.

Pergo igitur ad fol. 19. inquiſitionem: & primum dico, quod Planetæ cœleſtes à Sole animam accipiant, & Sol ſuam à Mundi anima. Secundo, quod Anima terræ eſt, vt illa brachij vel tibiæ in homine, quoniam Terra eſt mundi pars, quæ ab integra eiuſdem anima gubernatur, cuius manſio ſeu ſedes eſt in ſpiritu mundano. Tertio concedo aerem quoad nos ſumptum eſſe inſtrumentum, per quod influxus cœleſtes fiunt in terram, at vero eſt vita quædam in aere occultata, mediante qua omnia hæc inferiora fouentur & ſpirant in hoc mundo, hinc à Philoſophis numerarur Aer inter elementa agentia: atque vita hæc in aere ſic occultata eſt ipſa ſapientia, omnia mediante iſto ſpiritu mundano implens & viuificans. Vt ergo Aer eſt inſtrumentum, ita patitur: vt vero omnia ſublunaria viuificat, ita quidem & eſſentialiter agit. Vnde cum Aerem omnia fouere & viuificare dixerim, hoc intelligitur de eius interno ſeu forma occulta, quę ideo proprie dicitur aer, quia dat nomen & eſſe. porro etiam aerem ignem ſpiſſum vocamus. Hic fol. 20. dicis contra meam aſſertionem, qui affirmaui, Marmorum pluuioſo tempore ſudoris cauſam eſſe aeris humidi in marmora ingreſſum, cuius contactu madido ſalia interna diſſoluuntur. Primum hoc per pondera marmoris probare videris falſum, quia tunc lapidem illum propter ſalis emiſſionem leuiorem fore dicis. Deinde impoſitione eiuſdem in aquam ſolueretur etiam ſal ille, porro quoque & vacui euitationis neceſſitatem allegare videris. Ad primum dico, quod quamuis ſal internus quodammodo humectatur, non tamen ſequitur, q̃ per anguſtos lapidis poros effluere, tamen omnibus cognitum eſt, quod aere humido ſal diſſoluatur attrahendo ſibi ſimilem ex

lem ex aere madido & denſo, nec tamen ſequitur, vt deſiccato in aere ſicco illo ſale humido proinde ſit leuius factū iam quam fuit antea. Ad ſecundum dicimus, aerem ſubtiliorem longe, & per conſequens facilius corpora penetrare poſſe q̄ aquam, vtpote quæ eſt groſſior aere. Et quis dubitat, quod corpora poroſa aerem propter vacui euitationem perpetuo imbibere ſoleant, qui aer ſi humidus ſit factus vt in ſalem marmoris agat humectando, ſed non diffluendo, vt tu dicis. Ad hoc te admonere velim, quod experientia ſim doctus, ipſum marmor ſale naturali magis impleri, quam aliquis alius, quem ſcio, lapis.

Poſt hæc dicis, plus eſſe materiæ in vnica aquæ gutta, quam in aeris ampliſſimo ſpacio, quod ſcil. implet conclaue totum. Iam quidem Ioannes extra elementum ſuum loquitur, quoniam chimica experientia ego ſum inſtructus, q̄ aer in globulo vitreo per ſe incluſus, & igne lampadis ſuaui ſuppoſito in multas aquæ guttulas roris inſtar concreſceret, & tamen aeris proportio loci quantitati neceſſaria eum implebat. Concedimus quidem in Chymia experti, quod centum aeris portiones ad vnicam aquæ concurrant, non tamen ſequitur, quod totius cubiculi aer non niſi vnicam aquæ guttam efficiat.

In Apolog. ad Anal. XIII.

Ecce me hic illum Robertum, qui ſe hucuſq;, vti dicis, in Hermetis ſui lucos abdidit; in palæſtram, inquam, mathematicam prodeuntem; ipſum hic vides, ad dicta & ſcripta ſua aduerſus oēs, ſiue ſit Ioannes ipſe ſiue aliquis Auditorum ſuorum, indignam operam meam aut minimum eiuſdem particulam conclamātes, defendenda, & ad iniurias ipſorum propulſandas paratum.

Imprimis igitur me concludere aſſeris contra Veterum aſſertiones, conſonantias eſſe incommenſurabiles. Male, Ioannes, me hic capis, nec quidem dogma Geometricum de proportionibus incommenſurabilibus ideo tollo, ſed hoc ſolummodo innuere videor, quod Phyſico imo vero & Mathematico quodam reſpectu omne interuallum, cuiuſmodi eſt tonus, Diateſſaron, Diapente, & Diapaſon, ſit in partes ſuas diuiſibile, cum omnis menſura motus ſit per terminos, vt illa numeri per vnitates & lineæ per puncta. Anne hic dogma aliquod Geometriæ refello, aut ſi fingit Ioannes, hoc non eſſe verum, negat etiam, quālibet monochordi proportionem eſſe in partes, hoc eſt, in tonos & ſemitonia diuiſibilem, cum Diateſſaron ex tribus interuallis, videl. ex duobus tonis cum ſemitonio, Diapente ex quatuor, & Diapaſon ex Diateſſaron & Diapente componantur. Hanc equidem in longitudinem ſeu interualla diuiſionem agnoſcunt Veteres, & ſine ipſorum conſenſu hoc idem teſtatur ocularis & infallibilis monochordi obſeruatio. Cape tu ergo conſonantiarum incommenſurabilitatem tuo more, mihi quidem ſufficiet, earum commenſurabilitatem meo modo, ei etiam adſtipulante experientia, intellexiſſe.

Porro etiam male concludis; me cōſonantias dixiſſe à numeris denominari, numeris tamen proportionalib. via comparationis explicari & ab inuicem diſtingui, affirmare non erubeſco. Vt Diapaſon ſe habens in dupla proportione vt 1. ad 2. Diapente in ſeſquialtera, &c. Similiter dicimus Diateſſaron Vocum eſſe quatuor: Diapente quinque: & Diapaſon conſequenter 8. Nondum ergo eſt Ioannes in Palæſtra mathematica ſatis validus, vtpote qui Robertum verbis inanibus ſuperare poteſt, nec quidem in tantas adhuc anguſtias ſum redactus, vt Aduerſarij cuiuſpiam aſſiſtentiam implorem.

Præterea magnam tu facis inter commenſurationem & connumerationem differentiam, minime conſiderando, quod omnis menſura per motum ſit facienda, ipſumq; motum nihil aliud eſſe, quam vnitatum multitudinem, quemadmodū omnis menſura ſit in linea, quæ eſt nihil aliud quam punctorum fluxus. Talis ergo eſt differentia inter commenſurationem & connumerationem, qualis inter vnitatem arithmeticam & punctum geometricum, quæ in effectu ſunt idem.

Poſt hæc mecum de vnitatis natura litigare placet, quam dicis mentis eſſe opus, ſimplicem eſſe, & in abſtracto. Æquiuocare nobiſcum videris Ioannes; nam ego de vnitate hac vel illa intelligo, videl. de ſubſtantia vna reali & concreta, cuius proportione talis vel huiuſmodi ſonus editur. verbi gratia, accipio lignum quoddam planum, illudq; circinis ad hoc opus adaptatis in partes nouem æquales diſtinguo. pars ergo prima erit toni monochordi prioris dimenſio, cum huius ſpacii ſeu interualli dimenſio reſpōdebit ad toni proportionem, atq; huiuſmodi commenſuratione in alias vnitates diuiditur monochordum, vt in præcedentibus declaratum eſt. Atque iſtiuſmodi ſunt vnitates meæ, non in abſtracto, ſed in concreto, vti apud mercatores libra 1. vel ſcuta vna, &c.

Sed procedamus vlterius. Tonum comparo Trianguli lineæ, dicoq; (vt aſſeris) quod, vt in figuris multiplicantur latera, ſic etiam in conſonantiis toni coaceruentur. Anne hæc ſunt tenebræ Roberti cimmeriæ, quas intimare videtur Ioannes. & tamen eius atque omnium aliarum conſonantiarum ortum ex ſectione chordæ circuli per figuras facta ſcribit. Reſpondeo ego, quod quodam comparationis reſpectu tonos ad trianguli lineas applicuerim, vt non qui eos ab iiſdem lateribus originaliter proueniſſe exiſtimarem. Quare Lectorem moneo, vt diligenter iſtius contextus Analyſim intueatur, quo vnius controuerſiæ veritatem exinde hauriat.

Tum poſtea conclamas ore aperto: ò Geometræ, accurate inquirite, ſi quis è veſtro numero ſit, qui præcedentem Roberti orationem intelligat. Patet minora interualla eſſe ſimplicia. Imo vero auſus eſt Geometra quiſpiam cum Ioanne ſuſtinere, quod partes non ſint magis ſimplices, quam ex iis compoſitum? quod

vero ſonus ſit ſimplicior quam conſonantia Diateſſaron, cum illa ex duobus tonis cum ſemitonio conſtet aut Diapente, quam Diapaſon, quæ conflatur ex Diateſſaron & Diapente, neminem credo aut philoſophiæ aut Geometriæ peritum latere.

In ſequenti clauſula video Ioannem ira excandeſcentem, quare donec refrigerium patiatur mihi ſilentium imponam, dum ipſum interea ab expectato victoriæ ſuæ trophæo tam remotum adhuc ſentio, quam ego à verborum ipſius timore inconcuſſus ſecure huc vſque perſiſto.

In Apolog. ad Anal. XIV.

Dicis te operam in erudiendis myſteriis Naturæ ex Poetarum fabulis non dediſſe. Et facile credo, ſcriptaq; tua narrant, hanc tuam aſſertionem non eſſe fabulam. Sed an Mathematicæ tuæ demonſtrationes ſint veritate ſub fabulis Poetarum occultatæ certiores, nec ne. Hic labor hoc opus eſt depingere.

Ad Anal. XV.

Ad tuam Harmoniam pertinet Analyſis hæc: quare ſilentium mihi hoc in loco imponam.

Ad Anal. XVI.

Hic Ioannem ira, neſcio qua, ſtimulatum perſentio, vapore cuius flagrante me adeo concoctum & recoctum (eius enim verbis vti liceat) inuenio, vt terreſtri Chymicorum culina omnimodo neglecta ipſum in illa ſphæræ Martis combuſtione & indignatione pleniſſima, coqui officium diu exercuiſſe credam. Ad huius vero Analyſis meæ ſubiectum Lectorem lubens remitto.

Ad Anal. XVII.

Quænam ſint vnitates tuæ Geometriæ æquales aut inæquales, mihi quidem meis propriis vnitatib. contento non intereſt. Porro etiam ſi tecum vlterius de numeris formalibus diſputarem, inane mihi foret negotium, vtpote qui vel neſcit, vel ſcire non videbitur, aut proportiones in natura formales, aut numerorum eſſentialium rationem. Si neſcis, tunc contra ignorantem nulla eſt diſputatio, ſi ſcis & ſcire non videberis, cum peruerſo inanis foret contentio. At vt primum de rei eſſentia, videl. de mentis quantitatibus (ſi quæ eius ſint dimenſiones) tractare exordiaris, protinus afflatu quodam maleuolentiæ raptus in iniurias erga me ſtatim prorumpis: & tuũ Proclum falſo allegare videris, ac ſi ille cum te ſuo diſcipulo ſimul iunctus maturationes, vt dicis, & perfectiones meas in μέγα κῦμα βαρυφλοίσβοιο γενέθλης abiiceret. Cum ille hominib. eſſet ſuperſtes, ego quidem nullibi eram, & iam exiſtente me inter homines, vbi ipſum inuenirem anne ſcis tu Ioannes? Et tamen ore eius vti nõ erubeſcis, quẽ de Roberto minime, dum eſſet, exiſtente falſo iudicaſſe fingis. Sed tibi iam iam fortaſſe Procli genium adeſſe ſomniari videris, qui Dæmonis Socratici inſtar de rebus optatis te inſtruat. Sed falleris, mi Ioannes, fallitur in meis maturationibus & perfectionibus tuus Dæmon, Cacodæmon tibi adeſt, te decipit, quare caueas interea, ne ille demonſtrationes tuas imaginarias, circulos Geometricos reales & eiuſdem partes realiter in mente indiuiſibili fingentes in μέγα κῦμα βαρυφλοίσβοιο γενέθλης abiiciat. Agnoſco violentiam tuam: video enim te propter veram meam de vnitate formali opinionem iracundia intenſum. Imo vero omnia à me dicta ænigmatica & parabolica facis, quæ reuera diligenti intuenti ſunt tam clara & perſpicua, quam eſt tuus Sol. Quæ igitur in hac mea Analyſi ſequuntur, iudicis iuſti arbitrio lubens commendo. nam ſi omnia à Ioanne propoſita & oppoſita agitarem, tam mihi quam Lectori tædium fortaſſis foret.

Ad Anal. XVIII, XIX. XX.

In hiſce Apologiæ Ioannis partibus ad meam Harmoniam pertinentib. adeo ſum ego in Diſcurſu meo Analytico ſecurus, & monochordi mei deſcriptione prædicta, & per eiuſdem ad mũdi harmoniam applicationem munitus, vt Lectori iuſto ſat liquido explicatum ſperem, nihili momẽti eſſe ea, quæ Ioannes in Apologia ſua aduerſus ipſam inferre videtur.

Ad Anal. XXI.

Hic ego tecum, Ioannes, loqui, hocq; certiori conatu & ratione magis apta, potui, quam tu mecum ad Analyſ. 13. *dicendo, quod quamdiu teipſum in Procli tui lucos abdidiſti, tuitus es exiſtimationem vtcunq;.* Nunc poſtquam prodis in palæſtram Chymicam, ſtatim omnibus huic profeſſioni addictis adeo manifeſtus es, vt indignam huius Apologiæ tuæ partem clamaturi ſint. Et ſi errores, quos in breui hac tua trium principiorum Chymicorum memoratione protuliſti, hic enuclearem, te magis magisq; in me ſtomachabundum proculdubio redderem, & à ſcopo meo deuiarem nimis. ergo tuam culpam ob meam quietudinem & commodum hoc in loco detegere non placet.

Ad Anal. XXII. XXIII. XXIV.

Contra actionis & paſſionis Lucis cum Aquis proportiones à me allegatas tendit hæc tua Diſputatio: in quibus Demonſtrationes meas certiores ſat ſcio eſſe, quam vt oppoſitio aliqua tua iis in re qualibet nocere

nocere queat. Inſpiciat ergo Lector Analyſes illas meas, & per ipſas ſenſum & animi mei intentionem percipiet à veritate haud diſſentaneam.

Ad Annal. XXV.

Quod Monochordum meum eiuſq; interualla (contra tuam ſententiam) mundi ſeu naturæ in mundo gradibus rite applicauerim, in præcedentibus, ſpero, ſatis ſuperq; ſapienti explicatum eſt, vbi etiam demonſtrani locum ſemitonij ad illum mũdi gradum pertinere, vbi Lux magis abundat quippe quę propter ſubtilem ſuam diſpoſitionem contracta in locum minimum reduci poteſt, videl. Elementum ignis, ſphæra Solis, cœlum ſtellatum à viuifica & lucida ſua virtute ζωὴν, id eſt, animal dictum, & ſphæra deniq; Seraphin præſentia Dei lucis fontis & ignis præſidis flagrans. Iubet me nominare terminos contrapuncti. Dico ergo ipſos eſſe Alpha & Omega, vel Aleph paruum & Aleph magnum quorum medietas eſt illa creatura perfectiſſima, Sol dicta, quæ tonat Diapaſon duplicem ad vnitatem ſui creatoris, hinc inde denotãs, quod ipſa ſit creaturarum cœli perfectiſſima cui inter compoſita in regno animali reſpondet Homo, in Vegetabili Triticum, in minerali Aurum. Differentiam tum poſtea quæris generum cantus in iſto monochordo mundano: Reſpondeo ſecundum Platonicos & præcipue Proclum tuum, genus iſtiuſmodi melos eſſe magis Diatonicum, atq; huius rei rationem in præcedentibus enucleaui. Porro etiam in virtute huiuſce cantus iuxta Pſalmiſtę regij opinionem, cœli, ſtellę, aquæ, pluuiæ, nimbi ſonantes, niues, tonitrua, venti & omnes creaturæ Deum creatorem laudare, & voce altiſſima honores ei reſonare dicuntur. Imo vero, ipſis dico ſtellis & Planetis ineſſe huiuſmodi cantus formulam, ſed nõ aliter quidem quam in cæteris creaturis vtcunq; minimis, licet nobis propter ſubiecti exiguitatem non ita clare elucelcat hæc virtus harmonica. At tu dicis, te plenum eſſe certitudine rei, videl. quod ſemitonij ſedes certis naturæ metis diſtincta, differentia generum, cantus, Termini contrapuncti, &c. in ipſis Planetarum motibus eſſe expreſſa, atq; inde concludis plus aliq; diuinorum operum in tuis harmoniis te derexiſſe, quam ego in meis, qui (vti fingis) priuatis de mundo conceptionibus nullo ſenſu cõfirmatis indulgeo. Profecto, mi Ioannes, ſi ex Mathematico in Prophetam mutatus fuiſſes, tibi ampliorem fortaſſis præberem hac in re fidem, ac me ipſum ſuſpectum haberem, omniaq; mea ſecreta & virtutem vtcunq; magnam vel exiguam tibi reuelatam atq; detectam ſomniarem. Sed ex dictis ſcio, te nudum Mathematicum permanere, & cum ipſo Endimione ſeu Lunę amatore ea in ſomnio forſan vidiſſe, quæ reuera non ſunt. At ex 7. Planetarum longe à nobis diſtantiũ motibus, cur eam Harmoniã expectaremus, quæ in minimo & vnico apud nos ſubiecto oculis apertis & ſine hæſitatione vlla eſt reuelata. At tu clamas, vti pag. 46. habetur: Ecquando tandem finem impones, Roberte, Nomenclaturæ tuæ arbitrariæ? Reſpondeo, quod omnia ſint tibi denſis inſcitiæ nebulis circumſepta, arbitraria, & proinde hominibus incredulitate turbatis arcana vtcunq; vera explicare, eſſet margaritas porcis proiicere. Sed teipſum iam producam contra te teſtem, qui pag. 13. Tychonem Brahe (cui in parte operis tui te ſucceſſiſſe fateris) fidum ſilentij in Hermeticis cuſtodem agnoſcis, at vero in rebus mathematicis ipſum vulgo apertum & perſpicuum facis nulla illum ænigmata cõminiſci, nihil in picturis tradidiſſe innuis: non, inquis, eſt pollicitus motus cœleſtes docere ſine quantitatibus, non dedignatus ſubuenire ingeniis infirmioribus. At quid, aut quo tendit hoc à te narratum, Iohannes, (vt teipſum iam nunc teſtem habeam) quod Ars iſta Hermetica ſit tam nobilis reſpectu illius Matheſis vulgaris, vt hæc quidem vulgo profano ſit tradenda atq; publicanda, illa vero in Sacrario Dei atq; Naturæ eius recondenda, ne panis filiorum hominum (vt cum Chriſto loquar) canibus proiiceretur, aut Margaritæ porcis. Ipſe myſterium naturæ profanis minime commendandum atque publicandum denegans hoc ſecrete ſibi & dignis reſeruauit, at vero Artem mathematicam communem ſuo more mundo & hominibus cuiuslibet conditionis promulgare non hæſitauit, vtpote rem non adeo occultatione dignam: vtraſq; tamen artes mathematicas appellamus. at illa Mathematicorum vulgarium eſt externa, atq;, vt tu ipſe fateris, quantitatibus & dimenſionibus quantitatiuis demonſtranda. hæc Hermeticorum eſt interna & demonſtratione formali, & eſſentiarum in progreſſu ſuo ad perfectionem obſeruatione declarata, & non dimenſionibus quantitatiuis, quibus impoſſibile eſt vt forma illa diuina in & à creaturarũ meditullio mouens commetiri queat, vtpote quæ eſt infinita, & à nullo prædicamento comprehendenda, multo minus dimenſionib. mathematicis explicanda aut terminanda. Vt igitur Anima eſt corpori præferenda, ſic quidem & Matheſis occulta & formalis illi manifeſtę & ex quantitatibus, videl. linea, ſuperficie aut corpore metienda. Et hic Lectorem admonere velim, quod Artes ſeptem liberales vulgariter acceptæ ſint ſolummodo vmbræ & externæ quaſi icones illarum ſeptem, quæ à vera ſapientia dependent. vnde ſcriptum eſt, ſapientiam domum ſuam ædificaſſe ſuper ſeptem columnas. Et alibi Spiritus diſciplinæ Sanctus dicitur ſcientiarum verarum productor. Sunt ergo ſcientiæ omnes vulgares non niſi internarum atq; occultarum exemplaria, vt corpus eſt ad imaginem animæ conflatum, & ſub litera interficiente ſpiritus dicitur deliteſcere. Vt ergo corpus dimenſionibus quantitatiuis, videl. ſuperficiebus, lineis & punctis metiri ſolet, ſic etiam Anima habet dimenſiones ſuas, quæ magis ſunt eſſentiales & vere ſubſtantiales, vtpote mere ſpirituales & à corporis natura longiſſimæ, quam vt à quantitate, quæ circa corpora ſeu trinam dimenſionem verſatur, delineari aut demonſtrari queat. Et quamuis Deum & ipſam Mentem numeris mercatoriis aut dimenſionibus geometricis deſcribere tentent Philoſophi, hoc quidem more analogico & Symbolico faciunt. Sic Deum deſcribimus per figuras Algorithmicas 1.2.3. Et alij dicunt, Iouem in ſeptingentis numeris comprehendi

hendi quam exactiſſime. Alij Monadem Deo creatori, Diadem materiæ, & Triadem formæ aſſignant: & ſub his numeris externis numeros intelligunt internos. qui numeri ſunt veri & formales, & hi ſunt viſiones variæ Lucis & tenebrarum in progreſſu naturæ, quæ quidem cum admiratione, vt dicunt, à ſpectatore tib. percipiendæ ſunt, quibus numerorum vulgarium ordinem fundamentalem, atq; figurarum geometricarum rationem originalem diſcernimus. quæ quidem nihil aliud ſunt, quam variæ progreſſionis naturæ ad pluſquamperfectionem gradus, ad quorum obſeruationem & exemplaria ſapientes Artes quidem externas inuenerunt, atque audacter hoc dicam, nullam fuiſſe in mundo inuentionem originalem, quæ ab huiuſmodi Iuſtitiæ ſpeculo non habuerit exordium, iuxta illud: Sapientia omnia docet. Sed pergam ad reliqua, & ad te iam conuertam orationis meæ filum.

Dicis, *quod nunc non debeas conniuere quietus, quin potius indignationem tuam demonſtrare, quoniam me vides æmulatione irritatum, iniuriaq; (quam memet mihi imaginari ais, ex eo quod tu Deo ſuum tribuiſti, munere tuo functus diſtinguendo inter tua & mea) huius offenſiculæ vltionibus exagitatum me tranſuerſum rapi: vt aſpernatione & deformatione tui operis opera ipſa Dei diuturnioribus ignorantiæ tenebris, quantum in me ſitum, inuoluam.* Hic certe pulcherrimum proteipſo præludium finxiſti, minasq; cum pietatis argumento ſimul peroptime miſces. Si tibi placeant hæc, ego quidem voluntati tuæ & in ea voluptati congratulor. At hoc interea te ſcire velim, Robertum nec curare nec flocci quidem pendere, an Ioannes cõniueat, aut oculis quidem apertis, & iracundia terribilius ipſum intueatur nec ne: non enim Ioannem metuo magis quam virtuti ſuæ diuinitatem inuideo, ad virtutis ſuæ felicitatem in mathematicis non inuideo, quippe quæ inuidiæ meæ ſtigmate aut non ſit digna, aut eo eminentior longe. non video ego, quæ in tuo opere ſunt adeo admiranda, ſufficiat, ſi, quæ ſcripſiſti quorundam laude ſint digna. At quod tu Deo ſuum tribueris, quod Chriſtianum hominem decet, à te factum puto, & in eo pergas moneo. At quod Deo ſuum tribueris in eo, quod munere tuo ſis functus diſtinguendo inter tua & mea: Hic fingis quidem, cum formalia à Deo magis accipiantur, quam corporalia, ſi reſpicias Harmoniarum noſtrarum dignitatem, & pacem ac concordiam philoſophicam, quam litigium & iurgia, ſi controuerſiam à compararione factam intelligas, quare nullo modo Deo, vt mihi videtur, quod ſuum eſt, hoc in opere tribuere videris, ſacrificio enim magis formali quam materiali propitiatur Deus. At quod ego ideo in te iratus aut ſtomachabundus ſum factus, quia illa omnia feciſti, egregie hac in re falleris, non inuideo, non iraſcor, imo vero video & alacrior deuenio. At deniq; Deus mihi melius, quam vt aſpernatione & deformatione tui operis opera ipſa Dei diuturnioribus ignorantiæ tenebris, quantum in me ſitum, ideo inuoluam, quia Harmoniã Ioannis Chimæris vanis & in aere repreſentatis aſſimilo: nam vt interiora ſeu formalia ſunt Deo proxima, externa vero & corporea à Deo remota, ita etiam (ſecundum Scripturarũ ſacrarum ſententiam iam loquor) corpus vmbræ & tenebris aſſimilatur illud apparens quod non eſt, vnde corruptibile, anima vero & mens vera Dei imago & ſimilitudo. Sic etiam externam Ioannis doctrinam de mundi Harmonia dixi ita ſe habere, vt litera ad ſpiritũ & anima ad corpus. Nec tamen negare poſſum Harmoniam ſuam ſecundum Matheſis exterioris & vulgaris reſpectum eſſe laudabilem, nec non inuentiones ſeu obſeruationes ſuas minime ſpernendas: ad Matheſim vero formalem & originalem ita eam ſeſe habere dico, vt rei vmbra ad eius realitatem, vmbra (inquam) eſt veritaris, ſed non ipſa veritas. Ignoſcat mihi Ioannes, ſi veritatis ore iam loquar, & ab adulatione ſeu recantatione me iam inueniat remotum. At ſi qualis ſit veritas hæc occulta, aut quæ ſit eius deſcriptio, inquiras: ſi hercle ſcirem, & in ea bene verſatus eſſem, tamen me monere videris tute ipſe Ioannes, ad Tychonis Brahe exemplum, illud minime reuelare, quippe quem in myſterio Hermetico ſilentẽ & taciturnũ declaraſti. Sufficiens aũt hoc vnicum putarẽ, vt demonſtrationib. aptiſſimis (quamuis modo quodammodo metaphorico) ipſam ad lucidum vſq; eius veſtimẽtum denudem, gradusq; ipſius ad pluſquamperfectionis metam tendentes more quodam Symbolico, ſed ad ipſam naturæ veritatem proximo indicare aggrediar.

Multa alia tu hic profers non magni momenti, quæ omnia ad amuſſim examinare nimis fortaſſis Lectoribus longum foret atq; tædioſum, quare ipſos ad meæ Analyſis examinationem remitto.

Ad Anal. XXVI.

Ego te triumpho tuo & laudũ tuarum monumentis hic deferam. Hoc ſolum interea te admonere volẽs, Fratres Roſeæ C. quos me dicis laudaſſe & me ego adhuc laudare agnoſco, maiores profecto eſſe (vti opinor) quam quibus maleuolorum opprobria nocere poſſint. ſileas ergo velim (vt in præcedentibus eſt dictum) atque os durum occludere ſuadeo: mouetur enim inuidiæ contra eos flatus, vt venti ſpiritus aduerſus ſcopulos nulla violentia remouendos. Sic caniculi quidem è longe latrare ſolent, mordere neſciunt. Oh quam corpore robuſtus eſſet Ioannes, quam ſpiritu potens & fortis, qui Fratres hos, Philoſophia & Theoſophia eminentiſſimos ſolo ſuo nutu cogeret vt in hominum frequentiam prodirent. Imo vero nec tibi (mi Ioannes) nec mihi Roberto tuo, obedientes, neminiq; niſi ſoli Deo ſubiecti in publicum prodire & mundo ſe reuelare ſuo tempore proculdubio nõ deſiſtent, dum interea tam Ioannes q̃ Robertus ſuis contenti maneant conceptionibus, & contra homines ipſis (vti mihi videtur millies doctiores probra & conuitia ſine cauſa aut ratione inferre deſiſtant, ne hęc linguæ ſuæ intemperantia iis tandem aliquando damnum afferat.

Ad Anal.

Ad Annal. XXVII.

Ista Apologiæ Ioannis pars ab aliarum farina multum non videtur dissentire, iurgiis inquam, plena est, & non magni cum cæteris nonnullis momenti materia, quare eam breuitatis causa omittendam sentio. At nunc tandem ad vos, Lectores optatissimi, ad vos, (inquam) sermonis huius breuiusculi filum extẽdere mihi fas sit atq; honestum. Quamuis ferenda non sit quorundam inuidorum & maleuolorum insolentia, vos tamen, viri candidissimi, per commune ius humanitatis in officio sanctæ bonitatis vestræ maneatis rogo, omniaq; tam in Demonstratione mea Analytica, quam Ioannis Kepleri Apologia trutinis iustitiæ ponderetis obtestor. Atq; vt Robertum nihil in Analysi sua explicatum adhuc recantasse inuenietis, sic etiam ipsum (spero) verbis Ioannis cachinnosis in multis Apologiæ suæ locis leuiter & patienter satis trãsactis, ne quicquam aut contra Ioannis honorem aut Harmoniæ suæ leges in Replicatione hac sua intulisse sentietis, sed illud solummodo in hoc Tractatulo perfecisse, quod virum Philosophum apprime decet, videlicet, quod suum est aduersus cuiuspiam contumelias aut calumnias pro posse statuminare, verbisq; demonstrationis fulcro sustentatis, validi Minetuæ militis instar defendere: Iudiciis ergo vestris æquitate munitis me, causamque meam lubenter commendo.

Epilogus ad Virum clariß. & in Matheſi celeberrimum Ioannem Keplerum.

Tametsi, Vir clariss. vt ad iustam ego vatiis huius Apologiæ tuæ locis indignationem arrectus mihi non mediocriter succenserem imo vero pro modo vehementiæ & feruoris tui sæuirem, aptissima se præbuerit occasio; en tamen & ecce, quemadmodum magico susurramine amnes agiles reuerti, ventos vnanimes exspirare, atq; fulguris violentiam inhibere dicuntur, sic etiã me, moderamine & patientia meliori imbutum, atq; bilioſum in meo meditullio elementum vtcunq; in se mobile & rapidum, æquanimitatis tuæ atq; amicitiæ oblatæ spiritu propitiatum mite atq; fixum satis hucusq; te inuenisse spero quo tibi comiter mundique literatis me tuam in Matheſi gloriam aut ebuccinatam in Philosophia, qualis qualis est, virtutem æmulatione aut inuidia minime vnquam persecutum, sed quod meum est potius Athlanticis quasi humeris sustentare in præcedentibus aggressum indicarem. Quam autem ad pacem & amicitiam literatiam dispositus est in me animus, à perplexis disputantium contentionibus quam remotus, ad Dei & Naturæ suæ contemplationem quam procliuis, in Epistola huius Tractatuli initio annexa satis superq; tibi explicatum opinor. Sis igitur, Vir ornatissime, in studiis tuis mathematicis tam priuatis quam publicis felix atque faustus, precor, A Roberti Philosophia abstineas suadeo. sic firmum inter nos imposterum amicitiæ philosophicæ nexum & nodum confirmabimus comiterque expediemus, sic valida contentionis & iurgij nostri vincula perrumpemus atque absoluemus, ac amicitiæ dextra inter nos vnanimiter sic porrecta, fœdus tandem & pactum si placeat, ineamus perpetuum, quo spiritus ille disciplinæ sanctus concordiæ amator veræque scientiæ instructor, nos in viam veritatis afflatu suo propitio conducat, mediante quo ad exoptatam summæ sapientiæ metam feliciter pertingamus.

Vale, Die 9. Decemb. Anni 1621.

FINIS.

Prognosticatio Meteorologica per planetarum inter se aspectus et ad ☽.☌.☍.□.

		☽	☿	♀	☉	♂	♄
VÆAH	♄	Turbidi humoris Coloru remissio Nebulæ Pruina Nix.	Venti pluuiosi. Venti: Venti nubiferi Venti niuosi.	Pluuia frigida Nubes pluuiosæ frigidæ imbres	Pluuia frigida Grando Tonitrua Pluuia frigida. Nix Nebula.	Tempestas pluuia Tonitru Grando. Tempestas pluui.	Tempestas. Grando Tonitru Venti uel pluuia Tempestas.
VÆAH	♃	Aeris temperies.	Ventus magnus.	Temperies.	Ventus. Tonitru. Fulgur. Ventus. Frigoris profligatio	Venti robusti Tonitru Tempest Venti ualidi. Frigoris profligatio	
VÆAH	♂	Frigoris et humoris fuga.	Venti aliquando nubiferi.	Pluuia. Imbres. Pluuia. Frigoris remissio	Venti siccitas. Tonitrua. Venti siccitas. Frigoris remissio		
VÆAH	☉	Aeris alteratio pro natura temporis.	Ventus.	Pluuia. Tonitru nimbosa Pluuia. Humiditates.			
VÆAH	♀	Cœlum caligino Caloris remissio Nebulæ crassior Nix.	Venti humidi nubiferi.				
VÆAH	☿	Venti aliquando nubiferi.					

Nota quod literæ { V Æ A H } Significant { Ver. Æstas. Autumnus. Hyems. }

☌. est Signum Coniunctionis.

☍. est Signum oppositionis.

□. est Signum Quadrilis aspectus.

♄. est character Saturni. ♃. Iouis.

♂. Martis. ☉. Solis. ♀. Veneris.

☿. Mercurij. ☾. Lunæ.